Nº A
37-333

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala
Estante A
Tabla 37
Número 333

19 sto_ 8_ 1

4

4-469

Sala
Estante A
Tabla 37
Número 333



121915362



Del Colle: de la Comp: de Jesus de Granada Lib.

LITTERAE SOCIETATIS IESV

R. 4994

DVORVM. ANNORVM
M. D. LXXXVI
ET
M. D. LXXXVII

AD. PATRES. ET. FRATRES
eiusdem Societatis.



BIBLIOTECA

ROMAE
In Collegio eiusdem Societatis.
M. D. LXXXIX
Cum facultate Superiorum.



LITTERAE SOCIETATIS. IESV DVORVM. ANNORVM M. D. LXXXVI ET M. D. LXXXVII

PATRIBVS. FRATRIBVSQ. Societatis IESV, gratia, & pax Christi Domini.

BIENNIVM fere est, cum ex instituto nostræ Societatis litteras annuas accepistis: annus, cum exigitis nouas: eæ nunc reddentur. sero: sed, quod idem est, duplices: duobus annis in vnũ volumẽ coniectis. Vtinã earum scriptionẽ suscepisset alius, qui otio magis abũdaret, & ingenio: meliores haberetis. Nunc, onus impositũ est homini imparato, qui ad ea retractãda, quæ scripsit, parũ habuit liberi tẽporis. Si quid fuit subseciuarum horarum a necessitate docendi, quæ etiam hoc anno aucta, huc collatum est. additum præceptũ, vt prætermissis interioribus quibusdam rebus, quia lubricæ: vulgaribus, quia contritæ: expeditius reliquæ simpliciusq. scriberentur. Cui præcepto dum pareo, secutus sum plerumque (quemadmodum quidẽ volui) non lacinioſum, & fluens dicendi genus, sed succinctum

cinctum, & tractum: ad imitationem Historicorum, maxime Taciti. Deleta quoque nonnulla, & circumcisa multa Patrum Assistentium arbitrio. Et incepi anno octogesimo octauo fere exeunte. His tam multis incommodis vna occurri celeritate scribendi. qua si vobis placui, non quæsitæ elegãtiæ veniam sperare debeo, non rogare.

Vt autem, recepto more, explicem ea prius, quæ vno in conspectu ponunt formam Societatis: quod ipso statim initio gestit animus cognoscere: faciendum videtur, vt hæc strictim antea, & generatim delibemus: tum deinde singula persequamur. Societas igitur vniuersa distributa est in Prouincias viginti duas. Prouinciæ cunctæ habent (vt confuse & permiste hoc quoque dicatur) loca, in quibus nostri versantur, ducenta triginta octo. Domos nimirum Professorum duodecim. Collegia centum sexaginta duo. Residentias quinquaginta. Quattuordecim Nouitiorum Domos. In his locis omnibus, super Bæticam, de qua nihil habui, fuerunt fere hoc biennio socij circiter sexies mille sexcenti viginti. Mortui ducenti sexaginta tres. Admissi octingenti quinquaginta. Reliqua curiosius perquestigare nec potui, nec debui.

PRO-

PROVINCIA ROMANA

HABVIT Prouincia Romana socios quingentos septuaginta nouem. Romæ, in Professorum Domo centum. In Collegio, Sedeq. Tusculana centum nonaginta. In Domo Probationis octoginta. In Collegio Pœnitentiariorum viginti. In Seminario viginti duos. In Collegio Germanico tredecim. Sex in Anglicano. In Maronitarum, duos. In Lauretano, Illyrico, & Montis Sancti duodequinquaginta. In Florentino viginti duos. In Recinetensi quattuordecim. In Maceratensi sedecim. Totidem in Senensi. In Tiburtino duodecim. In Perusino viginti. Mortui hoc biennio tres & triginta. Admissi in Societatē octoginta quinque.

DOMVS. PROFESSA Romana.

HINC autem apparebit, quam sim acturus omnia ex præscripto: quod de Romana Professorum Domo, de principe illa sede atque arce nostræ Societatis silere, de florentissimo Collegio pauca dicere constitui: non quod non superiorum annorum facta superauerint, aut certe æquauerint, sed quod ea, tamquam vsitata, & licet non ponantur, ignota nemini, sit satius prætermittere. Quid enim, si dicam

adem nostram concelebratam ab omni nobilitate, quamplurimis officiorum ac vitæ magistram: Patres, qui in ea versantur, fuisse multis auxilio, consilio, solatio: si longum incipiam confitentium & communicantium ordinem texere, quod facillimum factu esset: nonne videar abundare otio, & iam nunc præceptorum oblitus, obtemperare magis velle, quam posse, intemperantia loquendi? Parcite igitur mihi Patres, nostræ Societatis columina, ac silentium meum imputate dignitati vestræ: nam & expromi de vobis non nisi eximia debent, quæ inuidit hoc biennium: & præceptum, quod a vobis patissimum exijt, vt per se cognita, ex annalibus, & communia resecentur, firmari decet vestro exemplo. Ferent alij æquiore animo, quod vos libenti tulisse intelligent: & meum hoc factum vel defendetur, vel excusabitur: vestro defendetur consilio, meo excusabitur obsequio.

COLLEGIVM. ROMANVM

COLLEGIVM Romanum, si vmquam alias, discipulorum floret nobilitate & frequentia: ita peramplum licet Gymnasium præ confluentium multitudine angustum videtur. Et est cur bonorum omnium auctori Deo gratiæ agantur, cum eorumdem pietas eluceſcat magis & magis: quã cũ discendi cupiditate coniungunt. Fructus auditorũ non exiguus. apparet in dies amplior: cum publicæ eius signũ aliquod datur. quod est magnæ omnibus voluptati. Cardinales

dinales interdum, & qui varijs a Principibus sunt legati ad Pontificem Maximum (quod aptum perque fuit ad docentes honestandos, & ad excitandos discentes) sua præsentia Gymnasium illustrare voluerũt: plerũque per speciem officij delibantes aliquid e scholis compluribus: non raro etiam in vna tota horam explentes. Quin & publicæ disputationes fere semper ab illis ornantur: sic, vt non semel tuentibus positiones duobus adolescentibus Romani Reguli filijs, quindecim interfuerint. Vnus posteriore anno cum in Philosophica palæstra sui dedisset specimen ingenij, admirationi omnibus fuit, nondum sextumdecimũ annũ egressus. Qui ex vtraque Sodalitate Beatæ Virginis, alijs antecellũt. Ceterũ e nouemdecim, qui in nostram adsciti Societatẽ, magna pars ex illis profecta. Excitati plerique vtroque anno honesta distributione præmiorum. Auctum postrema Collegium bibliotheca magni illius Mureti, quam eius fratris filius, magna indole ac pietate adolescẽs, nobis nihil scientibus testamento reliquit.

DOMVS PROBATIONIS

DE Nouitijs per biennium imbuendis, quod constitutum est nostris legibus, priore anno stricte obseruari cœptum. Ea causa fuit, cur non plures triginta quinque reciperentur. posteriore igitur, quinquaginta. Et aliquorum constantia, aduersantibus necessarijs, vt fit plerumque, narijs probata experimentis. Neque enim defuere, qui subornatos suspicati sunt filios suos, partim etiam ad Principem de

tulerũt. Sed quo elimata magis veritas, eo magis inclaruit. Non est animus percurrere singulorũ exempla: vnum seligam ex omnibus, cui cetera respondeant. Adolescens annorum septemdecim e vicino oppido, Romæ commorans, dabat operam litteris, iam certus nostræ Societatis. cum hoc molitur, nescio quid afflans rumoris perstrinxit suspicacem animum patris. confestim ad vrbem. seducit filium. conatur blandimẽtis primum, minis deinde eius animum infringere. adolescens, ne parentis sibi notam iracundiam magis accenderet, meliore consilio abstruso, mitiora obtendit. nec propterea segnior patris cura. domum, vnde liberior exitus, diligenter observari iubet. ignarus quid actũ esset filius, sub noctem captata occasione furtim verso cardine domo erumpit. improbus ianuæ strepitus patrem aduertit, festinantem assequi, vbi iam tempus abierat: commodum enim alacer adolescens, ætate, timore, tenebris, adiuuantibus, Deo pandente viam fugæ, ad condiscipulos diuerterat: apud quos delituit dies octo. Interea hoc nuntio mater excita Romam aduenerat. ac forte templum ingressa natum offendit. hinc lacrimarum imber, arctiq. complexus. cum omnia ageret, &, obfirmato filio, ageret nihil, maiore quam decebat ira & dolore stimulata, tristificas voces profundit. cum luctus incenderet, euincebatur filius ad miserationem: sed, vt erat sublimium appetens, aduersus humilia durãs mentem, concitus aufugit, pallio in mulieris manu relicto. Vix hoc fecerat, cũ materni recordatione amoris cœpit mollescere. Ingrate (audiebat intus)

intus) ægram parentem relinques? quæ te peperit, perdes? Hæc, atque talia, dæmonis arte penetrantia iam langueſcens animus minime prohibebat: cum conuerteret cũ greſſu oculos fere immutatus, cruentatam Chriſti tuetur imaginem. tum vero ad ſeſe rediens. Igitur, permittes vt areſcens illa lacrimula æternum hunc ſanguinem obruat, & mulier ex arce pectoris expellat Deum? Ignaue, ſcelus eſt in hac re eſſe pium. hac cogitatione firmatus, inſtitit fugam. hoc magis vociferari parentes, appellare, interpellare viros principes, ereptum ſibi filium fremere. denique cum multam operam fruſtra conſumpſiſſent, ipſius etiã Põtificis aures verberare. qui cauſam cum audiſſet, omne ipſius arbitrium Patri Noſtro Generali permiſit. is prius, qua eſt lenitate, ſatisfaciendum matri cenſet, paucorumq. dierum requiem ignoſcendo dolori concedendam: dum victa muliebris infirmitas, vel ratione, vel tempore, dolere dediſcat. ægre id adeo adoleſcenti, vt peruigili cura noctem extraxerit. Et quamquam longam poſt fluctuationem paratum ſe in vtrumque Patri Noſtro oſtendit, tamen apparebat e fronte, vtrum mallet. itaque apud nos manere ſitus, parentibus licet, qui conqueri non poterant, fruſtra indignãtibus. Pijs exercitationibus excultiviri aliquot nobiles, magnaq opum affluentia potentes. Domus aucta annuo cenſu non leui, hortoq. contiguo veteris ſpatium excedente. vtrumque beneficio optimorum principum, quorum tantus erga nos amor, vt occaſionem occuparint vltro de nobis benemerendi.

COLLEGIVM. POENITENTIARIORUM.

FRVCTVS eorum, qui in hoc Collegio versantur, tacite magis æstimari a vobis, quam a me inconsiderate poni in annalibus decet. Sanctum est Pœnitentiæ mysterium, a qua nostri dicuntur: & veluti Regis sacramentum abscondere bonum est. nec in re alia vlla probatur æque silentium, cuius vel leuiter violati etiam suspicio vitanda. Itaque singulis prætermissis, vniuersa percensebo. Vnus vno anno audiuit cœnobitarum presbyterorumq. confessiones omnis anteactæ vitæ amplius ducentas. alter, hominum de populo his plures, quadraginta. ex his duobus quid reliqui præstiterint, cum sint in eodem opere, hoc biennio, conijcere potestis. Vno item anno ab apostasia duodecim, ab hæresi sedecim, ab adulterio septuaginta duo, a meretricum consuetudine centum duodeuiginti, a turpi corporis quæstu nouemdecim, a præpostera libidine reuocati quinquaginta quinque. restitutiones factæ grauioris momenti quinque & viginti. Alter annus audiuit viditq. similia. Mira vnius conuersio. Vir erat, quod amicis narrauit ipse, in magna scelerum conscientia. aduenerat maturitas confessionis. cum is diem de die differret, vidit tale somnium. Existimabat se esse in æde, percepturumq. Eucharistiam cum duobus ad sacram mensam accedere. admonuit alter præuiæ cõfessionis. adit sacerdotem, nec expectata absolutione, discedit e templo: deliberanti pro foribus vtrum re-

grede-

gredereturſenex promiſſa barba,grauiq. oris dignitate,Noſtin,inquit,illum? (eum ipſum indicabat) Ille ego ſum reſpondit.excepit ſenex. at ego te quærita bam,admoniturus nomine Beatorum Petri & Pauli,pleroſque præterea cælites nominabat, vt inſtitutam confeſſionem abſoluas. Hoc dormiēti ſomnium, vigilanti conſilium fuit.Ex ijs,qui maleficiorum pœnas capite expenderunt, vnus fuit, qui Chriſtianam religionem cum Iudæorum perfidia mutarat. agendus erat ad ſupplicium.eorum, qui ſuo ipſorum inſtituto venerant,vt ei in ſupremis adeſſent,verba auribus non admittebat. recordatus tamen ſe apud vnum e noſtris aliquando confeſſionem peregiſſe,orauit accerſi. res cecidit ſupra votū.repetita enim confeſſione omnium a pueritia peccatorum,ita reſipuit, tam multas profudit lacrimas pœnitentiæ teſtes, ita efficaciter habuit concionem e patibulo ad circumfuſam turbam Iudæorum(& conuenerant multi, iucundum de inuiſi morte capeſſentes oculis ſpectaculum) vt illum exiſtimarint omnes ad eum locum,qui recte morientibus patet, ſibi aditum aperuiſſe. Noſtrorum etiam opera curatū,vt doctrinæ Chriſtianæ præcepta aptis figuris in tabellis expoſita (hi eſſe ſolent idiotarum libri)peruulgentur.Id repertum viſum eſt ita vtile,vt dynaſtæ permulti in ſuas ditiones quamplurima tranſmiſerint exemplaria: & præfectus vrbis, vicariuſq. Pontificis mandarint, vt in cauponis omnibus & diuerſorijs affigerentur. Res profecto,quæ plus habeat in receſſu, quam prima fronte promittat.

SEMINARIVM. ROMANVM

SEMINARIVM quo nunc est angustius, eo tum instituitur rectius, tum regitur facilius. Clerici quadraginta quinque, Conuictores quadraginta, vno minus: etsi locorum angustiæ multorum animos nobilium diuturna expectatione suspendunt. Summus Pontifex vnum e suis propinquis, quem habet carissimum, summa spe iuuenem inibi educari, & apud nos edõceri iussit. Sex e numero horum adolescentium his duobus annis: clerici duo, cõuictores quattuor, in nostrum commilitium adscripti: duo erepti e rebus humanis: alter, filius fundatoris Collegij nostri Recinetensis, qui apud æquales affabilitatem, apud moderatores obseruantiam ne vultu quidem offendit: alter Marcus Antonius Muretus, cuius commemoratio nominis dupliciter mihi refricat animum: nam & ipsum adolescentem recordor, & cuius fuit cognominis, patruum eius. Sed de patruo dixi alias, & fortasse dicam: vt cognoscant omnes, me, cui multum debeo, eidem plurimum velle debere. iã enim de ipsius filio fratris, qui in Seminario est mortuus pridie nonas Octobres anno huius sæculi octogesimo sexto. & certe mallem de hoc alius scripsisset, ne mea debita erga illum beneuolentia, veritati abroget fidem. sed tamen quod mihi pretium, si mentiar, cum facile possim coargui? Relictus est a patruo intra annum ætatis sextum decimum, imbecilla adolescens valetudine, sed pietate prorsus incredibili: quam ita ostendit apud nostros per men-

ses

ſes ſedecim, quibus patruo fuit ſuperſtes, vt præpropera conſilij maturitas prænuntiaret mortis celeritatem. partem morum eius in ſpeculo, ideſt in teſtamento (non temere enim dixerunt antiqui teſtamenta hominum eſſe ſpeculum morum) intueri poteritis. ſubijcietur particula. Multa aureorum millia inopibus puellis in vrbe nationis Gallicanæ, partim vt honeſto iungantur matrimonio partim vt in religioſarum familijs, humanarum curarum ſolutæ, Deo liberius operẽtur. Et ſunt hodie, eruntq. in omne æuum, occupata videlicet pecunia ad perpetuos cenſus, Romæ ad Sanctæ Suſannæ in Quirinali, certæ moniales, quæ Mureti nomen ad poſteros numquam intermoritura memoria tranſmittent. Idẽ in pios etiam aliquot cœtus aſperſit partem non exiguæ hereditatis. Mille reliquit aureorum ſummam Domui Profeſſæ: inſignem patrui bibliothecam Collegio Romano. Nec vero Seminarij congregationem Partheniã, in qua ipſe vnus e ſodalibus, menſe ante, magna cum laude orationem habuerat Latinam, ſuæ beneficentiæ eſſe voluit expertem: legauit ad Crucis imaginem e ſolido argento, itemq. par candelabrorũ eiuſdem materiæ, aureos quingentos. eaque omnia ita inſcijs nobis, non tantum inconſultis, vt prius audierimus quid fecerit, quam quid facturus eſſet, potuerit aliquis ſuſpicari. Iacobus Sabellus Cardinalis propter admirabilem ſapientiam vſumq. rerum agendarum magna cõplexus, et maiora promeritus, cuius mortem Romanum Seminarium luctu verſuq. celebrauit, vrbanam vineam comparari iuſſit in mõ-

te

te Palatino: vbi fessi iuuenes studijs, & pressi angustijs domus, opportuna quiete laxarentur. additæ etiã Bacchanalibus priuatæ actiones fabularum, in quibus oblectatio fuit mirifica, plenissima vtilitatis. quod ipsum excitauit in adolescentibus discendi diligentiam: ea quanta fuerit, vel ex hoc coniectari potest: quod in Collegio Romano, ex omnibus scholis qui antistarent æqualibus, cum præmijs publice honestarentur, eorum maior pars & melior Seminario obtigit: & non nemo inuentus est, qui in superioribus classibus palmam numero tertiam, e tribus scilicet certaminibus, eamdemq. primam ordine tulit.

GOLLEGIVM. GERMANICVM

ALVMNI instar centum. magnam partem Theologiæ vacant: etsi datum quoque specimen eloquentiæ, vel in festo omnium Sanctorum, sollemni oratione ad Pontificem: vel idibus Decembribus die Sancti Eustratij in templo Sancti Apollinaris: vel ad exequias clarissimi viri Ludouici Blanchetti, qui fuit magister cubiculi Gregorio Tertiodecimo, in Vaticano eius sacello vere digno tanti Pontificis religione ac munificentia. Magnus omnium ardor ad pietatem et caritatem proximorum. Et extitit fructus in hominibus eiusdem gentis, quibus Roma commoratio, aut diuersorium. magna scientia Ecclesiastici ritus, quam tota pæne vrbs admiratur & laudat. In Germaniam ex hoc Collegio profecti strenuam dant operam Catholicæ religioni. Vnus ex eorum

rum numero Volfangus Theodoricus a Raithnau Salsburgensis creatus Archiepiscopus: qui & candelabra sex argentea aureorum pretio quater centũ Collegio donauit. Ad hæc, vnus ex alumnis abijt e vita. extrema eius exequar paucis, quoniam habuerunt aliquid admirabile. Henricus ab Haiden canonicus Treuerensis, pari morum elegantia & nobilitate adolescens, cum ab extrema pueritia septem annos in Collegio egisset, instanter requisitus a suis, reditum parabat in patriam: sed veram illi patriam Deo destinante, incidit in febrem, quæ octauo die attulit mortem: monitus a sacerdote de necessitate vltima (iam ante se generali confessione præmunierat) ad Apostoli Andreæ corpus, quod Malphi colitur, pro valetudine peregrinationem vouet: certam deinpecuniam ad Crucem argenteam ponendam in æde Sancti Apollinaris, is est Collegij patronus: itemq. ad pallium, quo altare operiretur Deiparæ Virginis, in cuius erat Sodalitio, reliquit. His rebus ita dispositis, eum somnus multis præsentibus oppressit. post paulo euigilans, accersito sacerdoti, qui erat ei a confessionibus, O pater, pater, inquit. Quæ ego vidi? Quæ? interrogat ille. Quæ nec oculis, nec auribus, sed nec vllo sensu percipi possunt. Cum commouisset expectationem, & iungerentur omnium preces, subiecit interattonitum lætumq. sed propior læto. Salus mea fuit in angusto: at benignitas Mariæ Virginis, Sancto rumq. Andreæ, Apollinaris, & martyrum nostrorũ tutelarium in tempore succurrit. a dæmone sum ductus ad iudicem. magna vis (cum solus essem) circumstetit

cumstetit accusatorum, varia crimina obiectantium. iam iamq. exactor supplicij me pertrahebat ad Gehē nam. cum abesset prope nihil quin essem miserrimus, astitit misericordiæ parens, & ad illos conuersa. Quo vos istum? aut quid vobis cum illo, qui tot annos mihi in mea congregatione seruiuit? Consecutus deinde Andreas, idem indignās, titulum obtendebat mei patrocinij quam voueram ad eius tumulum peregrinationem. Sanctus postremo Apollinaris cum ceteris martyribus, quorum sacrosanctæ reliquiæ sunt in æde nostra, vim inhibuit aduersariorum, memorans Crucem, quam proxime mandaui faciendam: ita, quæ Deo est gratia, periculo simul somnoq. solutus sum. Hæc cum dixisset exultans, quarta fere post hora animam reddidit. Henrici mors me admonet vt aliquid scribam de immaturo decessu Patris Michaelis Lauretani, qui cum primus hoc Collegium rexerit per annos quattuordecim, diuturnitate regiminis non extulit animum, non amisit apud eos, qui regebantur, venerationem. quippe modestia & caritate illam potestatem consecutus erat, quæ est longe difficillima, vt obedire gauderent qui iubebantur. mortem obijt piam & sanctam, videlicet consentaneam vitæ: tanto alumnorum mærore, vt eum cum capere non possent, per questus effunderent. Tulere corpus cum lacrimis & laudibus, vestem patris manusq. exosculantes. & celebrarunt funus honoribus, si nostrā consuetudinē spectes, amplissimis: si eorū voluntatē, de qua detraxit non parum patrum modestia, modicis: si rem ipsam, talibus, vt agnoscerēs laudem grati

animi

animi non ostentatione benevolentiæ, nec ambitionis vanitate quæsitã. Manauit eius desiderium etiam in Germaniam, quam iamdudum sui nominis fama ita implerat, vt qui perfectam formam Germanici Rectoris vellet describere, Michaelis Lauretani exemplo vteretur.

COLLEGIVM. ANGLICANVM

ARCTATIS Collegij rebus, coarctatus collegarum numerus: ij summum sexaginta. E quibus etsi priore anno decem, posteriore sex sacerdotes in expeditionem Anglicanam missi, multis Christi Vicario additis, auxerunt Catholicorũ cœtũ, duo etiam Cœlestium, propter eam causam, morte affecti, Christophorus Bustonus, & Robertus Mortonus: vtroque tamen anno duodenos, ad explendum numerum, Rhemense submisit. Sincera iam inter omnes concordia: quamquam eam ad vitiandam iactadudum erant semina: quibus euulsis, omnium securitas, duorum pœna (quos vt fucos arceri placuit Pontifici) fuit. Cetera, de sacrorum mysteriorum frequẽtia, pijs peregrinationibus, exercitationibus q. de anniuersaria oratione Vaticana, deq. sollemnibus e Philosophia & Theologia disputationibus, quia vulgata, omittantur: gaudium certe, quod perceptum est ex Doctoris Gulielmi Alani accessione dignitatis, præteriri non potest. Biennio ante venerat e Gallia, vt de re Anglicana præsens ageret cum Pontifice. diuersabatur in Collegio: ecce tibi septimo Idus

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Idus Augusti, anno octogesimo septimo, solus extra ordinem, nemine opinante, sed ne cogitante, quidem quia e lege, quam Pontifex tulerat, fieri non posse videbatur, omnibus tamen postea gaudentibus, & factum approbantibus, cooptatus est in Collegium Patrum purpuratorum. qui nouus honos moderato homini, summaq. virtute prædito, nihil attulit nouũ, nisi vt maiore auctoritate prodesse pluribus posset. Ex ea vero re tum in præsens magnum accepit afflicta Anglia solatium, tum in posterum etiam certam spem solidæ gratulationis.

COLLEGIVM. MARONITARVM

DE MARONITARVM Collegij instituendi consilio, quoniam superioribus litteris perscriptum diligenter, nihil addendum videtur. ij sunt, si sacerdotem numeres, qui sacrum Chaldaice facit, omnino septemdecim. paruus ager, spe magnus, nec fructu sterilis. Gnarum id tum Pontifici, qui ad æs alienum dissoluendum ducentos aureos dedit: tum Catholico Regi, qui in vino Neapoli exportando soluit eos vectigalibus. nam quid dicam de Antonio Carafa Cardinale, patrono eorum patreque amantissimo, spe ac subsidio totius nationis? qui vnus, iuxta Pontificem Maximum, hoc Collegiũ inchoauit, auxit, nunc etiam longius prouexit: beneficio videlicet, e quo olim obuenient annui reditus aureorum trecenum. Is promouet eorum studia, e quibus cum tres anno posteriore confecissent Philosophiæ

losophiæ curriculum, vnus positiones publice defendit. Is studet conseruandæ eorũ valetudini, & si forte defecerit, recreandæ. Aegrotabat puer annorum vndecim, parendi virtute conspicuus: tantaque apparebat vis morbi, vt mors instaret. iacebat tam alto sepultus sopore, vt eum nec vocis contentione quisquam excitaret, nec admotis aculeis. & aperiebat interim, sed eodem momento natantia lumina claudebantur. actum erat de illo, nisi vigilare iussus oculis apertis, animus obsequij tenax corpori vim faceret: ita dum palpebras sustinet inuitas, vitam retinuit.

COLLEGIVM. LAVRETANVM & Maceratense.

EPISCOPALIS dignitas nũc primũ Lauretum inuecta imposuit nostris (quorum opera vsus Episcopus Franciscus Cantucius Perusinus diuini cultus studiosissimus) maius onus proximos adiuuandi. Priore quidem anno, cum hiems gelida & niuosa inualidam plebem, vrbanam iuxta & paganam prohiberet opere victuq. eleemosyna vtrisque quæsita. posteriore autem alloquio & consilio ciues adiuti clericiq. peste grassante: quæ ipsum etiam Episcopum cum sustulisset, nostrorum quemquam nõ attigit. Etsi anno superiore obijt pater Nicolaus Adelinus Collegij Illyrici moderator: qui annorum paucitatem, quos degit in Societate (hi sex tantum fuere) fructuum multitudine pensauit. Reliqua. quæ

hic

hic gesta, & in Illyrico, Montisq. Sancti Collegijs, in animis vel subleuandis mole peccatorum, vel adiuuandis dũ egrediuntur e corpore: itemq. in salute solatioq. vinctorum in carcere, quoniam sunt vsu trita, relinquantur.

ANCONAM missi sacerdotes duo: alter Episcopo in lustranda diœcesi, alter vrbi in imbuendis rudibus doctrina Christiana, præsto fuit. eodem missus qui populũ habendis concionibus ad Aduentum Domini præpararet. auctum præterea Collegium senis cubiculis, & ambulatione.

MACERATAE in duobus maxime scelerũ dãnatis, vltimoq. supplicio affectis, nostrorum pietas, Deo fauẽte, eluxit. alter enim, cui ignito forcipe mẽbra erant vellicanda, detrectans pœnitentiam, animæ parabat interitum. alter retractans crimina, quæ patefecerat in quæstione, obstinata mente simulabat innocentiam. vtrique eorum aures aperuit Deus: ille enim bene præparatum pectus obtulit morti: hic autem suis euolutus integumentis, quod scelus male texerat, voluit omnibus audientibus confiteri.

RECINETENSE. COLLEGIVM

SVPERIORE Quadragesima Senatus a Patre Nostro Generali concionatorem obtinuit, eumdemq. mirifico applausu fructuq. audiuit. Discordiarum finiendarum arbiter constitutus Collegij Rector, magno multorum bono. Scholæ pleniores, quam vmquã antea. Sodalitatis vtriusque magna pietatis incre-

incrementa. ea maxime perspecta, cum altis niuibus prementibus terram gelu, paupertas fame laboraret. tunc enim sodales quadripartiti totam vrbem perambulantes cum saccis vnum in locum quæsitam stipem congerebant, vt indigentibus tribueretur. eius rei fama late diffusa etiam Perusiam manauit, missiq. duo e sodalitate Perusina, qui eius nomine cum Recinetensi inirent societatem. Terni vtroque anno inter nostros admissi, aliqui inter alios ordines. Ceterum eminuit vir annorum sex & triginta: qui duodecim olim annos apud Turcas captiuus egit. Hunc Capuccini nolunt adsciscere nisi ad sacerdotium. itaque nunc illa ætate, vt discat litteras, suppotuit se nostris, & manum ferulæ: ita serio, vt cum magistro egerit sæpius, vt haberetur numero puerorum, & cum eis per æque cæderetur. vir magno orationis & mortificationis studio, tantaq. flagrans caritate in pauperes, quorū pater iam dicitur, vt cunctas curas ipsorum amore leuiores habeat, eosq. sibi tuendos susceperit vel cum periculo valetudinis. tantos præterea progressus in litteris fecit, vt iam capax sit sacerdotij. Instituta schola doctrinæ Christianæ mane diebus Dominicis, quo opifices confluunt, & rustici, tanto maiore cum vtilitate, quanto genus hominum imperitius. Excitatum cœnobium virginum ad religionis munia studiosius exequenda. exposuere omnes sacramento confessionis quid quæque dolendum egisset in vita: priuatis opibus in commune collatis, quod ante ea neglexerant, Fine prioris anni pater Franciscus Orlandius, vir cum multis virtutibus

excellens, tum maxime sui despicientia, concesit e vita. nec desunt ex externis qui gloriam migrantis in cœlum animæ se vidisse testentur. Concludam Recinetum exemplo mulieris, quæ in morte filij constanti animo ferenda, virum supergressa videtur. Collegij huius fundator Paulum Leopardum filium miserat Romam, vt in Seminario a nobis institueretur. In studijs proceßerat adolescens, nec mediocrem spem sui concitarat. desponsa ei interea domi puella nobilis cum dote amplissima viginti millium: eam altera tãta pecunia sequebatur lege hereditatis. videbantur munimenta familiæ, si futurum prospiceres, præclare constituta. hæc erant consilia mortaliũ: hæc vota magnarum cogitationũ: mors media interuenit, & turbauit omnia. ferendus erat nuntius ad miserã matrem. ne grauiore ictu prosternetur, vel vt solatorem haberet magis præsentem, suscepit hanc prouinciam Rector Collegij. eum vbi vidit mulier, præsagio malorum diuinauit quod erat. & quamquam dolore perculsa, antequam quicquam audiret, precibus effusis ante Crucifixi imaginem, muliebrem animum firmat. surgit deinde, & accepto nuntio, nihil immutata, iterum procumbit in genua, eo maiore afficiens videntium oculos misericordia, quo animo fortior. Tũ presso mœrore, aut victo. Pater, inquit (referam enim ipsius verba) nihil ad aures poterat grauius accidere: sed quoniam depositum suum repetijt Deus, ita me ad eius voluntatem conformo, vt si commodaret iterum, iterum eius voluntatem antelatura sim cupiditati meæ. Neque id ostentationi datum: postridie

enim

enim cum tota familia gratijs Deo agendis communicauit in templo.

COLLEGIVM. FLORENTINVM

PRAETER confessiones vniuersæ vitæ, quæ vno anno fuerunt non pauciores centum, restitutiones aeris alieni, & pacificationes plurimas, multorumq. conuersionem ad pœnitentiam, hæc pauca adijcienda. Opificum cœtus, qui diebus festis a prandio de rebus pijs erudiuntur, institui cœptus magna cum eorum vtilitate, nec minore frequentia. Vnus ne semetipse exanimaret, quod iam facere parabat, deterritus. Aethiopes quinque informati a nobis ad baptismum. E nostris auditoribus, quinque varijs se religionibus addixerũt. Quinque item mulieres, quæ egestate coactæ, vnde ostendebatur vtilitas, illuc libidinem transferebant, vt melius sibi consulerent in tuto locatæ. Famosa meretrix se infamiæ exemit & peccandi licentiæ: magnaq. pecunia in pios vsus erogata (in his & puellam inopem alendam dotandãq. curauit) cum honesto viro coniuncta. At mulier quædam clarissimis natalibus, abundans diuitijs, & pietate, vna ex ijs, quæ templum nostrum frequentant, expleuit diem supremum. Hæc erat operibus misericordiæ maxime dedita, omnibus religiosorum familijs beneficio cognita: illum se diem perdidisse rata, quo nihil cuiquam præstitisset. Si quem e mensa audisset emendicantem stipem, surgebat statim, suamq. portionem ferens ad ianuam, communicabat & co-

medebat cum illo. culcitas suas omnes pauperibus tribuebat, paleam sibi, vbi cubaret substernens. cilicium interius semper habuit, duabusq. horis antequam expiraret, clam omnibus domesticis ferream catenulam vni e nostris dedit, qua carnem iuxta erat præcincta. Hæc scribenda videbantur de femina cui mira semper cupido fuit Dei colendi. Facies interior templi extructa toti ædificio conueniens. exterioris formã Magnus Dux vidit probauitq. facta potestate, vt e foro tantum spatium exciperetur, quantum structuræ satis esset, addito breui grauiq. præconio ordinis nostri. quod ipsum non tam re fuit nostris gratum, quam ut minueretur suspicio eius immutatæ voluntatis. Auxit opinionem, quod sacrum nostrum tabernaculum, insignis cuius pulchritudo celebri fama erat vulgata, ne materiam sermonibus præberet, ementito habitu visere voluit. idẽ factum ab vxore. Sed & Florentini inter cetera, quæ ostendũt hospitibus, vnde vrbis elegantia æstimetur, templũ etiam nostrum demonstrant. & vero est cum Apostolorum omnium statuis, gypso cutem marmoris imitãte, tum etiam duabus tabulis pulcherrime pictis, illustre.

COLLEGIVM. SENENSE

CVM priore anno frumentum angustè obuenisset, penuria laborabatur in hac vrbe: sed nihil tamen defuit nostris, eorumq. suasu subuentum multis qui premebantur fame: profectum vtrumque e liberalitate piorum, qui gustarunt de eleemosynæ suauita-

uitate: itaque ea collecta vberior in concionibus quã vllo vmquam antea anno. Posteriore quidem, quo in æde maxima concionabatur noster, etiam summis æstibus nihil imminuta frequentia (audiebatur enim ab omnibus libentissime, eoq. audito multa fiebãt) Cum puellæ nuditas commendaretur, reperta est quæ pallam superiorem sibi detraxit, vt inopi daret, annuliq. aurei in arculam quæstoriam coniecti. ad Collegij certe necessitatem, quam auxit vinea muro cingenda, pariterq ad ornatum templi collati sponte aurei septingenti. quin etiam ciues aliquot nobiles annuam pecuniam sunt inter se pacti daturos proprio chirographo, nemine e nostris sciente. Non parua hæc, sed hoc mirum magis. Collegium in summa erat annonæ caritate: pater rector modios frumenti duos videbat esse necessarios: deerat res, et cõsilium. hoc ipsum dum animo agitat, vocatus ad ianuam videt aliquot iumenta frumento onusta: donum Senensis Archiepiscopi, qui Romæ morabatur: ea res affirmauit diuinam prouidentiam. quamquam autem res arctæ essent Collegij, tamen hereditas vna, quam mulier testamento reliquerat, vt premerentur rumores vulgi, magno animo repudiata. Terni vtroque anno, & plerique adolescentes summo genere in Societatem adscripti. etsi vnus ex eis firmata vir ætate & Iuris consultus, magnæ apud omnes existimationis. Scholæ enim & iuuenum Academia, quæ olim neglecta, maxime celebrantur: itemq. virorum Sodalitas, quæ sedem habet in Collegio sub nomine sanctissimi Sacramenti. accessit conuentus Scl

lulariorum, qui diebus festis pariter in Collegio ad pietatem instruuntur. e discipulis cum mortuus esset adolescens vnus ingenti significatione pietatis, elatusq. tristi ministerio a sodalibus, magnos in admirabunda ciuitate animorum motus excitauit. Doctrinæ Christianæ vtilitas in dies amplior & illustrior. Aethiops institutus a nostris, qui erat baptizandus. Monasteria multa adiuta concionibus, & confessionibus excipiendis. confessiones etiam singulis mensibus auditæ in ergastulis. meretrices a turpi quæstu non pauculæ abductæ. inuenta ratio, qua puellæ diuitijs orbæ & parentibus, quæ pernoctabant in porticibus non sine periculo, in tuto essent, honesteq. alerentur. complures e corruptis moribus ad emendatiorem vitam traducti: sed hi duo admirabiliter. Vtebatur iuuenis opulentus & nobilis puellæ consuetudine: persuasum est mulieri, vt absente iuuene, qui rusticabatur, patefaceret peccata confessione. quod fecit: simulq. constituit amplecti pœnitentiam: eodem die rediit adolescens, eiusq. quam immutatam repente viderat, consilio adductus & exemplo, confessionem facit, itaq. vertit animum ad amorem cælestium, vt non solum illi data dote aperiret cœnobiũ Conuersarum, quas vocant, sed eius quoque sororem conuerterit, quæ gradiebatur per eadem vestigia. multi confirmati in supremo vitæ tempore, quo anima disceptat. Corcyrensis quidem Episcopus cum haud prope ab vrbe grauissime ægrotaret, missis curriculo litteris ad prætorem nocte adulta, orauit vt ad se nostri mitterentur: missi magno cum fructu, solatioq.

latioq. morientis. Hoc etiam pertinet ad indicandā religionem Senensium. Iuuenis vnus ex ijs, qui sacra apud nos obeunt mysteria, publico fungebatur magistratu: cuius dignatio non ferebat vt incederet sine apparitoribus & pompa: ita, vt vitaret sermonem vulgi ad deteriora plerumque prompti, erat Sacramentorum frequentia prorsus abstinendum. Sed ingeniosus est amor Dei. Lineo amictu ac facie operta veniebat ignotus ad templum, vt nec veteri ciuium consuetudini, nec priuatæ pietati deesset. denique plus centum confessi de peccatis tota vita commissis. Multa paucis diximus, vt in transcursu. Sed eorum magna pars debetur concionatori: cuius quoque persuasu constitutum, vt prima hora noctis ad certum campanæ signum supplices ad Deum preces pro defunctis offerantur. Pientiam (hæc est vrbs proxima) missus sacerdos Quadragesima, pietate profuit ciuibus, & amore paupertatis: illam ostendit, diuinam legem explicando: hanc pecuniam, quæ illi de more tribuebatur vt ceteris concionatoribus, constanter recusando. Missi etiam aliquot iterum ac tertio Collem (nomen vicini oppidi) elisis stirpibus prauarum consuetudinum pluribus quæ caput tollebant, effecerunt vt oppidani magna sibi ad Christianæ uitæ statum subsidia pararent. Superest vt repetatur de pacificationibus aliquid iniurijsq. remissis. nā & lites diremptæ difficiles tres aut quattuor: & qui graue acceperat vulnus, donauit offensam: nec defuit, qui vehementer læsus, mentis æquitatem, qua ignoscebat inimico, ederet scripto, ut auferretur omnis suspi

cio ſimulationis. Rixa inter adoleſcentes Germanos, qui huc cõueniunt cauſa diſciplinarũ, exarſerat: timebatur, ſi gliſceret, maximum incendium. Romæ unus e Cardinalibus cum Patre Noſtro Generali agit, ut tam periculoſi ignis reſtinguendi prouinciam noſtri ſuſciperent. idem hic orabat prætor urbanus. Tã prudens regentum conſilium & ſtudium hominum iuſſa facientium, Deus, quo auctore hæc fiunt, proſpero euentu comprobauit. Inueteratæ inter fratres duos erant inimicitiæ. neutrum ulla ſpes placandi. ex ſatis dato & accepto tuti magis uiuebant, quam ſecuri. alter cum morbo eſſet oppreſſus, de confeſsione cogitat. accerſitur unus e noſtris. hoc interprete frater ad fratrem ducitur, præuia placatione animorum. & tandem duodeuiginti annorũ odium oſculo finitum. Sed inſignis in primis pietas uiri nobiliſſimi Habebat filium ſpem ſenectutis, qui cum ferro interfectus fuiſſet, & caleret adhuc corpus ſanguine, antequam conderetur ſepulcro, non modo interfectori pepercit ſed ad prætorem ultro miſit litteras, quibus ſe profitebatur non perſequi filij cædem, quam recentem licet & moleſtam, Chriſti amore ex animo reieciſſet.

COLLEGIVM. PERVSINVM

MAIOR quam pro templo frequẽtia: itaque de eo producendo cogitatum. & iam opus feruet. ornatum ſacellum noua ſupellectili. auctum Collegium qua ad ſcholas (quæ nunc capaciores, quia uidelicet celebratiores) protenditur. additum non

nihil

nihil annuo vectigali. Præfectus vrbis noſtro in templo Euchariſtiam perſæpe ciuibus præbuit: noſtris, præter Sabbathariã eleemoſynam non raro prandium miſit. Epiſcopi pariter, qui idem & Cardinalis, prolixa erga noſtros beneuolentia. venit ad ipſos aliquãdo repentino aduentu: ſed oratio, qua eum rhetor noſter in Collegium: & carmen, quo vnus e diſcipulis in gymnaſium excepere euntem, multa item genera verſuum poetico ingenio elaborata tanto maiorem admirationem ei fecerunt, quanto minus tẽpus ad apparandum fuiſſe intellexit.

Externorum iuuenum, qui hic ſtudiorum cauſa cõmorantur, creber ad nos, vt in pietate exerceantur, aduentus. Vtraque Dei matris congregatio indies magis effloreſcit. Minor quattuor peperit noſtræ religioni, alijs plures. Maior, quibus viris conſtet, colligetur ex vnius exemplo. Ex eorum numero iuriſconſultus inſignis vita famaq. dederat amico mutuam pecuniam. cum differretur ſolutio, clementer repetebat: nec quicquam recipiebat: cunctante illo propter impl cationem forte rei familiaris: egregius interea debitor cum deſperaret reddere debitum, quod prægrauabat, vt omni ſe moleſtia liberaret, conſtituit tollere creditorem. captato tempore incurioſum occupat, domum eius cum ſica ingreditur. hac illum ſepties perfoßum, velut mortuum reliquit. Sed is, quem Beata Virgo protegebat, vim ferri non ſenſit: penetrato ferrum veſtimento, in cute hæſerat, vna tantum plaga ſtrinxerat de corpore. uocandus erat vulnerarius, noluit accerſi, ne ea res,

ſi

si fieret palã, vulneratori obeſſet. ſeruum iubet parare quæ curando vulneri erant opus. Sed cum res ipſa ſua ſe mole prodidiſſet, nihil æque ægrum habuit eius animum, quam vt ne crimen deferretur ad iudicem, ac ne quid grauius homini accideret, a quo fuerat vulneratus. Erat ex ea ſchola, quæ orandum docet pro inimicis, & bonum pro malo reddendum. Ciuitas fere tota in eo, quod ad Chriſtianum officium pertinet, noſtris addicta. Quidam e prima nobilitate in capite acceperat ab inimico vulnus ita graue, vt pars cerebri defluxerit. ad tres menſes præterea vix duxit vitam. patrum rogatu pacem conceſſit. Simultas inter virum vxoremq. compoſita. odia complura reſtincta: quod non comtemnendum in vrbe, propter vetus armorum ſtudium tenaci inimicitiarum, & in iuuenibus multis, quos ſuper ætatem irarum æſtus, & vltionis ardor accenderat. Intermiſſa erat per aliquot annos explicatio doctrinæ Chriſtianæ: priore anno reuocata eſt: maiore negotio, quo difficilius repetuntur interrupta: ſed maiore etiam lætitia, quanto bona aliquandiu deſiderata, magis quam aſſidue percepta, delectant. & alliciendus quidem primo fuit puerilis vterque ſexus ſplendore præmiorum. nunc amorem concinnauit conſuetudo: & parentum approbatio excitauit induſtriam filiorum. Eleemoſynæ de noſtrorum conſilio multæ fiunt & magnæ. Quidam ſororem, de qua durius ſuſpicabatur, affecit vulneribus, quod eam diceret non modo extra noxam, ſed etiam extra famam noxæ ſe conſeruare debuiſſe. hanc pia quædam mulier

a no-

a nostris admonita, curandam, alendam in cœnobio uirginum, ibiq. si duret, adiuuandam dotis triente suscepit. Verum in hoc capite de eleemosyna illud silendum non est, ab illustri quodam iuuene, cum sæculum desereretur, relictos fuisse aureos Collegio nostro supra septingentos: ut eorum parte altera ornaretur in templo sacellum: altera ad necessitates Collegij uterentur. cupiebat quidem ille dare se nobis, sed re non obtingente, dedit partem bonorum. Duorum etiam iuuenũ pari generis claritudine notabilis conuersio. præferox unus ingenio, & insuetus rixis: hic plus decem aureorum millia cum dedisset pauperibus, secutus est Christum uocantem. alter fluens luxu mundiciaq. tanto fuit admirabilior, quanto se ad duriorem uitam conuertit. Ad salutem porro animæ non solum uiuentes, sed morientes quoque e nostro portu profecti: siue ij naturali morte tollerentur, siue uiolenta. Huius rei unum specimen dabo. Vir erat in hac ciuitate gente magis spectabilis, quam uita: uis maleficiorum (neque enim semper felix improbitas) perduxit hominem ad luendum supplicium lege debitum: ceterum adiuuante Rectore Collegij, ita æquo animo hoc iudicium tulit, ut generali confessione peracta, fluentibus lacrimis non tristitiæ indicibus, sed pœnitentiæ, dulciq. colloquio cum Crucifixi imagine, cuius verba sunt quidam conati assequi scribendo, communis existimatio sit, eam illi mortem a Deo permissam, ut spe immortalitatis maiore moreretur. Sed hic me locus admonet, ut ponam aliquid de ijs, qui hoc biennio in hoc Collegio mortui. ij tres fuere.

unus

unus ex administris rei domesticæ, quem, ut reliqua omittam, referunt, iter facientem nocte quadam cum in diuersoriolo impudica mulier & procax insidiaretur eius pudicitiæ, pernoctasse in oratione Dei, & peruigilasse usque ad lucem, ne amitteret thesaurum, qui recuperari non potest. Docebat alter Grammaticam haud multum uiginti annos egressus, sed uirtute & prudentia iam morti maturus. Tertius pater Ioannes Nicolaus Denotarius, id enim illi cognomen. De hoc, quoniam uir fuit spectatæ per plures annos in Societate integritatis, paulo plura dicentur. Is enim iã inde a Patre Nostro Ignatio, cui fuit egregie carus, regimen tenuit inter nostros. præfuit diu prouinciæ Romanæ. in Collegium postremo Perusinum, quod rexerat aliquandiu antea, secessit: hanc enim fessæ ætati quasi sedem delegerat. Et præficiebatur quidem illi: uerum cogitans esse properandum, hoc unũ agebat, ut animum ueris succingens bonis, bonisq. prælucens operibus, quandocumque uocatus esset, ex ante præparato celerrime sequeretur. aduersa iam pridem erat ualetudine, sed aut non intelligebat, aut contemnebat, simulans firmitudinem: dum tandem vicit morbus. Tota ciuitas simul ægrotare visa est. ita Cardinalis legatus, & qui vicem gerebat legati, & Episcopus, & magistratus, cleruſq. omnis erant de vnius salute soliciti, omnesq. per medicos, qui ægrotum curabant amplius septem, aut etiam per nostros valetudinis secreta, atque eius progressionem momentis singulis rimabantur. primoribus enim tantum aditus patebat. ipse autem finem sibi instare præsentiens,

tiens, in lacrimas se effundit, pertæsus vitæ, vt dicebat, tam negligenter exactæ. Hinc generali confessione animum purgat, acceptaq. absolutione, præclara fiducia conscientiæ, an submissione animi, noluit esse sacerdotis in premendis quæ audierat, astrictam fidem. Me, inquit, libente fiet vt omnia mea peccata cuilibet detegãtur. tum misit qui suo nomine indulgẽtiam ab Episcopo precarentur. Venit Episcopus, remotisq. arbitris fudit super eum suppliciter preces, hominiq. benedixit. Sacro deinde munitus viatico oleoq. inunctus, cum ijs, qui erant in Collegio piaculares globulos cereasq agni cælestis, aliasq. imagines singulis diuisisset, in hunc fere modum omnes alloquitur. Carissimi ingredior viam vniuersæ carnis, omnem meam spem in Dei misericordia repositam habens. vobis alter non deerit, qui meas tueatur partes, &, si forte, culpas emendet. has mihi vos æquum est ignoscere, & ab immortali Deo veniam impetrare. neque enim inanibus lacrimis, sed profuturis apud Deum precibus vestram probabitis erga me beneuolentiam. cum quærerent, quid vellet eos meminisse, ecquid mandaret exequi. Vnum illud, respondit, quod sæpe a me accepistis, pectoribus vestris relinquo, studium obsequij. id enim mihi in hoc articulo temporis summam affert securitatem. Vix hæc præ assistentium fletu audita. paulo post intumescere lingua, & labi spiritus. igitur cum composuisset corpus, oculosq. defixisset in Christi effigiem, intercluso spiritu extinctus est ingenti luctu nostrorum, & incredibili dolore ciuitatis, quem, accurens ad defuncti corpus, osculis & lacri-

mis

mis implebat. Celebratum est funus iussu Episcopi a clero vniuerso: & nunc etiam omnibus grande desiderium mortui manet. quippe tanta erat caritate, vt communis pater ab omnibus diceretur. Perusinæ diœceseos oppida diebus quadraginta percurrerunt duo e nostris, obeuntes munia Societatis. reducta mulier ad amorem vitæ, cuius finem veneno sæpe tentauerat. alij ab inferenda inimicis cæde depulsi. Doctrinæ Christianæ discendæ studium iniectum pueris, & docendæ parochis propositum exemplum.

COLLEGIVM TIBVRTINVM

QVODAM die breuiore spatio post Solis occasum vnus e nostris cum in duos incidisset armis paratos atque animis vt quemdam interficerent, sensit quid agerent: composuit inter eos pacem, adeo a cædis consilio deterruit. etsi multorum etiam odia sopita. puella, quam mater in ætatis flore prostituerat, ad bonam frugem reducta.

Anno posteriore sextodecimo Kalendas Sextiles proxime ante diem festum Sanctæ Symphorosæ, quæ Tiburtina cum fuerit, antiquam illam suam patriã in tutela habet, ipsius reliquiæ Roma allatæ, caput Sancti Getulij eius viri, quod Tiburtũ Episcopus nostri amantissimus ex peruetusta æde Sancti Petri nobis curauit, caput item vnum vndecim millium ex beatissimo Vrsulæ comitatu, sollemni pompa translatæ sunt in recens templum nostrum, peregregie ædificatum, liberalitate Matthæi Contarelli Cardinalis,

cui

cui Societas nostra plurimum debet. res fuit omnino visenda. obuius clerus in sacra veste: magistratus insigni cultu, lucentibus cereis: coniugum & liberorum agmina per sexum & ætatem dispositа: ornata vrbis porta, qua pompa ducebatur: viæ omnes floribus stratæ: conuestiti parietes peripetasmatis: extructi, qua incederetur, sublimes arcus in speciem trium phalium, in quorum fronte accommodata elogia versibus disertis. Sacræ portabantur reliquiæ fulgentes argento, patentes in ferculo, pio sacerdotum ministerio, sub velo carbasino, symphoniacorum choris suauissime præcinentibus. etsi qui ferebant, interdum resistebant in via, non tam difficultate accliuitatis, populiq. frequentia, quam festo iuuenum occursu, qui multorum referentes personas, quibus antiquum Tibur gloriatur, sanctitate insignibus, epegmatis Symphorosam concinno carmine salutabãt, et aduentum ciuis suæ gratulabantur. auxit hoc spectaculum celebritatem ædis nostræ cum Sanctorum tutelarium ueneratione. maior propterea sacra mysteria obeuntium numerus, & ad doctrinam Christianam, quæ magnifico celebratur apparatu, magnaq. dignitate, concursus.

PERSTRICTAE. BREVITER aliquæ Missiones.

CETERVM in hac Prouincia ad discreta, diuersaq. loca per Quadragesimam, aut peralia etiam tempora missi hoc biennio proximorum saluti pro-

ti procurandæ, multi. Priore anno Hadriam Conuersanumq (vrbes sunt in Appulia) posteriore, Lucam, Fabrianum vrbs illa florens in Tuscia, Fabrianum in Piceno: permulta item ad oppida, vt Columellam, ad Montem Fortinum, ad alia. quibus in locis omnibus, vt absoluam breui, munera Societatis præstita, fructu laborem fallente. Secernam hæc duo. In Fortino Mõte disputabat aliquando orator euangelicus de Christiana remissione offensarum: contendebat acriter, agebat vehementer. media oratione cum de more interquiescit, vnus ex auditoribus ante omnium ora oculosq. submissis ante altare genibus, maxima voce profitetur condonare se recentem filij cædem (nondum abierat annus) nec iniuriarum velle meminisse: quin & dato pacis pignore, homicidæ patrem, qui erat in templo, lacrimantem complectitur. Et tunc quidem omnes admiratores tam excellentis facti, postmodum etiam imitatores aliquot fuere. Fabriani autem doctrinæ Christianæ explicatio & modulatio vsque eo processit, vt nullus alius sermo non tantum cantus per eos dies in illo oppido tam frequenti audiretur. interdiu templa, fora, porticus: noctu domus, officinæ, viæ diuinis canticis, ad quæ adhibebatur symphonia cum musicis instrumentis, personabant. hoc erat studium omnium diebus negotiosis: festis spectaculum. has voces tertiabat infans, nondum integras reddens: hoc pueri æmulabantur, hoc adulti, hoc inuidebant scenes vtrisque, quod ipsorũ ætas iam esset exacta, nec pueritia in hæc tẽpora incidisset. Institutum deinde doctrinæ Sodalitium, ne rerum humanarum

more, cœpta initijs valida, spatio langueſcerent. Idem fere de alijs oppidis dici poteſt. Parua hæc ſunt, dicet aliquis: fateor: ſed hæc parua maiores noſtri, a quibus fuerunt tam magna, maximi fecerunt.

NEAPOLITANA PROVINCIA

VERSATI ſunt in Neapolitanæ Prouinciæ locis ſeptẽ, ſocij fere trecenti. Neapoli, In Profeſſa Domo ſexaginta quinque. In Collegio centum viginti quattuor. In Nolano, antequam Neapolim commigrarent Nouitij, vnus & quinquaginta. In Catacenſi, Aletino, Barienſi, in ſingulis ſepteni deni. In Cirinolano ſeptem. Minuerunt numerum vndecim. Auxerunt quadraginta quinque.

DOMVS. PROFESSA

SINGVLARI pietate & munificentia excellens Roberta Carafa Dux Matalunenſium Collegij fundatrix partem etiam curarum in hanc Domum deriuauit. nam ex perpetuo reditu aureorum quinum millium, quem eſſe voluit proprium Collegij, ita res compoſuit, vt quaterna millia ædificandæ Profeſſorum Domui attribuantur: donec opus ſit perfectum: in quo nunc laboratur. Templi etiam

instrumentum auctum a pluribus. Sorores duæ claritate natalium, & amore virginitatis insigni, super egregium ornatum sacelli, quod in templo a Patre Generali Nostro impetrarunt, vbi monumentum sibi faciundum curant, mirum, quam multa in sacram conferant supellectilem. Illæ fimbriatum auro peristroma argento intertextum, stellulis aureis margaritisq. distinctum. illæ libros missales duos, duasq. sacrorum linteolorum thecas, omnes eodem cultu, ex argentea lamina, bullis aureis illusa. illæ calices duos. polubrum illæ cum binis guttulis ex argento solido, præclaræ artis. Magna in has res omnes a duabus pecunia impensa: sed his donis ostendunt magnitudinem pietatis. Sunt præterea illustres aliæ feminæ viriq. qui pulcherrimis muneribus ædem nostram exornant. Et certe talis esse debet quæ ab vniuersa nobilitate concelebratur, siue ad Eucharistiæ perceptionem (communicant singulis festis diebus minimum octingeni) siue magis ad concionem, quæ semper frequentissima. hinc illi fructus. Mulier primaria ita odisse cœpit superfluam mundiciem cultus, quem antea adamauerat, vt illo diuendito, non paruam vim nummorum contraxerit, quam in pauperes largiretur, qui pro concione commendantur. eadem annuo censu centenum aureorum adiuuat templi ædificationem. Animi labes, quas in omni vita collegerant, expiarunt mille quadringenti. pudicitiæ in multis detrimenta aut sublata, aut correcta. Mulier, quæ viro viuente innuptis nuptijs alteri denupserat, huic eidem legitimo matrimonio iuncta, priore defuncto. Dyna-

Starum

starum duorum vxores, quæ siue dissimilitudine ingenij, siue æmulatione gloriæ, simultates inter sè gerebant, quas affines vtrinque & cognati componere diu irriti molirebantur, itemq. magnæ auctoritatis Principes duos, nostri, Deo adiuuante, placarunt. Numerus eorum, quibus explicatur doctrina Christiana, cuius schola superiore anno aperta, in tantum auctus, vt, quoniam vnus omnes non capiebat locus, in duos fuerint diuidendi. quamquam ne sic quidem non admitti multi non possunt. hos autem ex omni confusione permistos (vario enim fere omnes ordine, alio instituto, dissimili ingenio) ita vno vinculo copulauit doctrinæ societas, & ratio disciplinæ, vt non nisi Dei afflatu in hunc consensum potuerint coalescere. Institutum etiam Sodalitium Beatæ Virgini nascenti dicatum, cuius non minus rem, quã speciem laudaueris. conflat plerisque nobilibus. In his Princeps duo, totidem Duces, quorum alter regiæ classis in hac ora præfectus, Marchiones septem, Pontificis Maximi Nuntius, Episcopi tres. multi præterea, quos aut dignatio, aut nobilitas in hunc cœtum admittit. sunt omnino centum quinquaginta septem: quorum omnium in Deum pietatem, & caritatem in proximos, ipsorummet maiestas & claritudo in obscuro esse non sinit. Vnus quidem, cuius annuum vectigal aureorum millium centenum quinquagenum, illustris æque genere & luxu, hanc vbi Sodalitatem celebrare instituit, ita se composuit ad mediocritatem, vt & retineat laudem elegantiæ, & effugiat luxuriæ notam. In eorum præcipue subsidium incumbunt, qui

cum propter paupertatem, aliena indigeant misericordia, ingenuo pudore a quærendo deterrentur. In hoc opus uno anno, præteritis ijs, quæ carptim tribuũtur, collati aurei mille trecenti. Quidam in eumdem vsum a morte sua aureos quingenos: a nepotis, millenos legauit. Multa etiam donata a pluribus ipsorum sacello, vt Crux, & candelabra gemina e crystallo: malluuium, guttumq. ex argento: alterum item malluuium minus cum suis vrceolis ex eadem materia: lampades septem argenteæ. Sed hæc, vbi tam multa suppetunt donaria, relinquantur. Veniam ad ea, quæ speciem habent miraculi. Mulier quædam nobilitate ac religione præstanti, multis persæpe dolis a diabolo tentata, quasi metus eius rimaretur: modo iniĳciẽdo vento in sacrarium domesticum, vt omnia nutarent: modo quatiendis ædibus, vt ruinam minarentur: modo filiolæ gemitus quasi opem poscentis in aures immittendo: muliebrem vicit pauorem, et amorem maternum, & multo glorioſius, inimici artes, pia audacia. Femina altera semestri tabe diutinoq. languore consumpta, vnius e nostris admonitu cum pauculas hausisset guttas eius liquoris, qui manauit e corpore Andreæ Apostoli, valetudini pristinæ restituta. Alia, cum in graui ægrotatione derelicta a medicis, existimaret se pariter a Dei genitrice, quam miro honore semper colebat, esse desertam, maiore vitæ metu, quam mortis, animum desponderat. hæc, cum cohortatione sacerdotis nihilo minus Mariæ opem imploraſſet, conualuit, medicis admirantibus. Igitur illa admiranda: hoc imitandum magis. Mulier

summo

summo genere cum in secundo cursu rerum suarum sequi pietatem cœpisset in nostro templo, ex illo res fluere in deterius, ac retro referri: super omnia filiam, qua nihil ei carius amisit. nec tamen vmquam antea, nec vero perculsa tã graui casu institutum deseruit. eo ipso die in ædem venit, & panem cælestem accepit. ita enim loquitur cum suis æqualibus, vt dicat, rerum mortalium possessionem, nihil aliud sibi, nisi somnium aut vmbram videri. Huius autem mulieris filiola, cum extremum ageret spiritum, assidenti matri. Accersi iube Domina mater presbyterum nostrum. ostendam illi matrem Dei. Illa, viden', quæ me blandum ridens intuetur? est similis eius imagini, quæ visitur in templo nostrorum Iesuitarum. Hæc cũ repeteret identidẽ, læto vultu atque alacri requieuit. ergo huic puellæ Maria apparuit: alteri Christus. Hæc seruitutem seruiebat matronæ cuidam nobili. cum appropinquaret supremis, sacerdos, qui erat ei a confessionibus, quærit, diuturnam malit, recepta valetudine, in terris vitam agere, an in cælum recta proficisci. Tum illa, vt solitam pietatem facile cerneres. Meum velle & nolle idẽ esse debet, quod Dei. Deini, secum cogitans quod dixerat. ecquid, reuocandum est, inquit, hoc verbum? Nam ego te, & Dominam meam, diuerso licet respectu, Christi loco semper habui. Nec multo post, cum inferretur cibus, Miraculum, exclamat, miraculum. excita hoc clamore familia, confestim accurrit. at illa, horrorem professa & venerabunda. Quo, ait, meo merito factum, Iesu dulcissime atque optime, vt ad postremissimam famulam

tuam venire ne graueris? Tum motãs subinde manũ, defixis oculis, addit. Quam leue est onus dominus Iesus. offerebant interea circũstantes Christi imaginem deosculandam : at ego nullam video imaginem: ipsius met Christi aspectu fruor. vrgentibus vt sumeret cibum. Quid cibatu est opus, respondet, vbi adest Iesus? postmodum quattuor videt angelos, vt referebat, quorum vni in manu tres stellæ. Vt sacro peructa est oleo, Nihil, quæso, dicebat, me contingat: iam enim tota Dei sum. nec ita multo post, cum ex hymno beatæ Virginis vltimam recitasset particulam, cuius initium, Maria Mater Gratiæ, animã Deo reddidit. Mulieri item alteri visus Christus, admonens ne vllum quidem peccatum deleri posse e tabella, in qua omnia erant descripta (eam manu ostendebat) si vllum reticeretur. Ceterum, Barulum vnus profectus: & Teate, postulatu Castrucij Cardinalis missi duo; eaq. præstita de more vtrobique, quæ, etiam me tacente, ab omnibus intelligi possunt. Posteriore anno mortui sacerdotes duo.

COLLEGIVM. NEAPOLITANVM

PRIORE anno vnus nostrum iam fere desperata salute cum hortatu Præpositi Prouincialis nuncupasset votum ad Beatam Virginem Lauretanam, admirabiliter persanatus est. Posteriore obierunt duo. Iam vero, vt omittantur quæ apud triremes cum nautica turba, apud publicas custodias cum vinctis, qui sua execrantes maleficia, tradiderunt nostris

stris non superstitiosas modo notas deuotionesq., sed res etiam, quas ex vsu sacro in profanum impie conuerterant: ijs quasi vel eluderetur veritas in quæstione, vel tormentorum vis hebetaretur: hæc enim sunt anniuersaria: magis propria referamus. Quattuor hominum Congregationes in Collegium, vna extra Collegium de nostrorum consilio, conueniunt. Sodalitas Mariæ Virginis duplex. externorum vna, studiosorum altera adolescentium, e qua proxime Academia efloruit. Tertia confusa multitudine. Quarta (hæc extra Collegium) mendicorum. Schola denique doctrinæ Christianæ. De his ordine aliquid dicendum. E maiorum Sodalitio vno anno viginti selectissimis religiosorum familijs addixere, decem nostræ. ex vnius facto & alterius discetur quæ sit virtus singulorum. Adolescens satis ampla familia cum abiectis curis inanibus, totum se ad seria conuertisset, venit in suspicionem suis, ne rebus humanis nuntium remitteret. ab hoc eum studio vt auocarent illecebra voluptatis, vbi ipse meridiari solebat, eo immisserunt mulierculam, cui nihil erat boni præter pulchritudinem, oneratam magnis promissis, si animum adolescentis alliceret. non potuit illius excetræ delinimentis capi, nec venenis imbui pudicum pectus: sed os illud ferreum ijs conuicijs verberauit, vt præmortui quamquam pudoris femina magno cum rubore discesserit. Duorum etiam adolescentium tentata pudicitia eodem euentu. Ex minorum Sodalitio septemdecim nobis adiuncti. Vnum ex ijs cum reuocare frustra conatus esset pater, priuauit omni spe hereditatis.

reditatis. Nihil illi accidit propterea triſte. quippe iam maiore fiducia apud Deum, dicet. Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hereditatem meam mihi. Totidem ſe alijs cœnobijs manciparunt. Tertia Sodalitas, quæ eſt ex infima plebe, in plures tributa claſſes, conſtat capitibus fere nongentis. mira horum omnium corporis edomandi flagris, veſtituq. aſpero cupiditas. Vnus ex eorum numero cum repentino mortuus eſſet, repertus eſt cum cilicio. operam præterea ponunt non inutilem, ut ſi quem ſciant implicatum ſceleribus, ducant, quaſi aliud agentes, in Collegium, vbi a noſtris doceatur. hac ratione correcti, & directi multi: uni quidem certe extracta concubina, eaq. ſpõte compulſa in clauſtra Pœnitentium. Quarta Sodalitas conflatur e mẽdicis. hi docentur loco quodam remoto ab ædibus noſtris, de ijs quæ ad ſalutem pertinent, ab aliquibus eo de cœtu, de quo ſupra diximus: itaq. adiuuantur, ut corporis egeſtati prouideatur, et vtilitati animorum. Communicant interdum ducenti. tanto maior ex hoc conuentu vtilitas, quanto magis hoc genus hominum, qui non ſunt ſolum ignobiles, ſed etiam vltimæ ſortis, eſt interdum vſque eo ad nequitiam prolapſum, vt gaudeat infamia. Poſtrema eſt vetus Schola doctrinæ Chriſtianæ, quæ & numero in dies augetur & fructu. Socij ſunt inſtar mille. ita, cum hominum nullum ſit genus, in quod Societas noſtra non oſtendat ſuam beneficam voluntatem, vulgo iam dicunt, eam eſſe vnam ad benemerendum de omnibus natam. Fuit hic quoque aliquid proximum miraculo.

raculo. Dextera cuidam intumuerat, in eam molem excrescente indice, vt ne totam corrumperet contagio, esset ignis admouendus. indicauit hoc nostris eum inuisentibus: molestiusq. sibi ait accidere, quod ad sacerdotium perueniendi (erat enim iam sacris initiatus) aditus præcluderetur vnum solum restare perfugium, Deiparæ patrocinium. nec spes irrita. commendatus sodalibus, eo ipso die, quo digitus erat exurendus, sanus & gratulabundus ad Sodalitium accessit. Quidam e collocutione cum uno e nostris, abiecto occupandæ mortis consilio, non solum viuendi, sed bene etiam & Christiane viuendi in posterum, accepit.

COLLEGIVM. NOLANVM. ET Domus Probationis Neapolitana.

TYROCINIVM nostrorum Neapolim Nola translatum anno posteriore. Prius igitur de Nouitijs separatim, tum de Nolano Collegio pauca exequemur. De illis hoc tantum. Enituit in multis deligendis Dei prouidentia: & aliquorum spectata virtus in ea persequenda, iuxtaq. in repellendis domesticorum telis perseuerantia. vnus obijt cum mira significatione pietatis. reliqua communia. Translata igitur Nouitiorum institutio Neapolim in locum satis commodum, magna vrbem lætitia affecit. Declararunt dona multorum, quibus principiorum leuata difficultas. Venusinus Princeps aureos bis mille sexcentos dono dedit. sexcenti aliunde corrogati. instrumentum domesticum collatum a plu-

a pluribus. templum ornari cœptum sacra supellectili. Iam Nolam reuertor: quo post Nouitiorum discessum submissi e nostris qui in Neapolitano Collegio Rhetoricæ operam dabant, magna gratulatione ciuitatis. Initium docendi iucundum & magnificum, oratione duplici, quam cohonestauit Episcopus, ita delectatus disciplina nostrorum, vt adolescentes Seminarij, dimissis magistris, quos conduxerat, ad nostrum gymnasium destinarit. Nolæ præterea, siue in coniungendis animis, quos odia distraxerant, siue in cæde impedienda, siue in eripiendis compluribus e faucibus Satanæ, cui vnus sese syngrapha, quam exararat sanguine, addixerat, spectata nostrorum industria. Hic etiam, eorum qui manu & arte victum quærunt, est quoddam Sodalitium: e quibus duo in Societatem adscripti. Ducentos triginta aureos Nolana Respublica opportunum subsidium Collegio misit, cum fere laboraret inopia. Ad vicinum oppidum duo missi rogante Episcopo, duas constituerunt Sodalitates, vnam virorum dignitate præstantium, alteram adolescentium. atque vt se dederūt initia, admirabili cum spe vtriusque profectus.

CATACENSE. COLLEGIVM. ET Aletinum.

IN CATACENSI, schola eorum, qui diurno quæstu tolerant vitam, coalescit & conualescit in dies magis. vnus ex ijs falso delatus ad iudicem, summum pedum manumq. cum torquerentur digiti

digiti, cruciatum forti animo tulit. cum interea, hæc patienti, vt retulit, Patris Campiani dolores ad animum occurrerent. Idem de Virginis Sodalitate dicendum. omnes fere optimates. carcerem inuisunt, in quo curatum a nostris. vt ex publico decerneretur pecunia, vbi sacrum a vinctis audiretur, sacello extruendo. ijdem obæratos interdum, soluendo eorum alieno ære, dissoluunt. bini octauo quoque die adeũt nosocomium, ægrotos curant solanturq. eo maiore cũ ægrorum vtilitate, quo alacrius fit quod sponte suscipitur, quam quod pecuniæ datur. Noua super hæc constituta Sodalitas sacerdotum, quam ipse etiam Episcopus frequentat. Hic, quod ad eorum pertinet officium, pro tempore docentur. eodem postulante Episcopo conciones habitæ ad cœnobium virginum. in vno quicquid habebãt omnes sepositum, ad antistitæ pedes abiecerũt, vt proprium cuiquam nihil esset. Firmata pax inter plures, & sopitus interim gladiorum furor, qui in multorum interitum imminebat.

ALETII, siue Lupijs (nam de huius vrbis appellatione duplex opinio est) Sodalitates tres, sacerdotũ virorum principum, adolescentium. addita proxime quarta opificum, quorum virtus hinc perspici potest. Quidam in foro medio fuste cæsus, illico cadentem amplexus. Vtor, inquit, occasione earum rerum, quas in doctrina Christiana audiui esse faciendas Cum alapam alter accepisset, Christi memor præcepti, percussori maxillam præbuit alteram, non recusans aliam, si libuisset. Magna horum hominum pietas. Ardebat vnus febri, multo magis cupiditate

ad

ad Sodalitium accedendi: quo si iret, de recuperanda valetudine non desperabat. uit vrente æstu. domum incolumis reuertit. Magna in hac vrbe nostrorum existimatio: ex quo fit, vt eorum auctoritate exulcerata multorum, & virorum etiam principum odia sanentur. vnus efferatum ira animum, vel ipso adspectu nostrorum sensit mitescere: & abiecit consilium inimici interficiendi, quod diu agitauerat. salutaribus admonitis liberatus quidam terrore spectri, cuius continuus domi visus conscientiam arguebat. Virgines, quibus fames persuaserat aut amissionem vitæ, aut, quod non paulo miserius, pudicitiæ, opportunis adhibitis remedijs, ad saniora conuersæ. excursum in oppida propinqua duo. eorum in vno Turca perductus, & instructus ad fidem. duo viri pacati. a matre mors filij inimicis remissa. instituta schola doctrinæ Christianæ. Dum itur ad alterum, incidit sacerdos in duos iam strictis gladijs ex prouocatione dimicantes. alter eorum iam fracto mucrone, exitio proximus: infert se in medium magno animo noster, & corporis oppositu dirimens pugnam, eximit illum a morte: qui & placatus, postridie inimico conuiuiũ fecit. rebus lætis huius Collegij asperſit aliquid molestiæ eius rector pater Petrus Pictarella, magnæ vir prudentiæ & caritatis, qui cum posteriore anno isset ad Congregationem Prouincialem, Neapoli decessit.

CIRI-

CIRINOLANVM. ET. BARIENSE Collegia.

ET morbo per totam Apuliam superiore anno, & sterilitate frugum laboratum est. ille vnũ Cirinolæ abstulit e numero exiguo nostrorum: hæc materiam præbuit reliquis, vbi, depellenda multorũ fame fructuose occuparentur. cum enim misera plebecula ritu ferarum virgulta stirpesq. & internatas saxis herbas assidue manderent, & pallenti ore membrisq. albentibus, ieiunij ostentui essent, actum est cũ Collegij Fundatrice & domina huius oppidi Comite Sancti Angeli, vt pro sua liberalitate ad illos tritici modios, quos tribuere quotannis pauperibus solet, adderet alios, qui essent satis vsque ad nouam messem, ad eorum depellendam inopiam nec minus benigne præstitum. singulis hebdomadis bis in Collegio distribuebantur panes: magnum paupertati leuamentum. Ludus litterarius nunc primum apertus. concionum non defuit vsus, & fructus. In eos, qui concubinas haberent inuectus erat sacerdos: ostenderunt id sibi in animo hæsisse duo, simul atque redierunt domum pellicibus exactis. Inductus vnus ad parcendum alteri, qui falsum de eius filia crimen disiparat. Excursum in vicina oppida: & interfuit salutis multorum nostris operam dedisse.

BARIENSIS Antistes antiquam illam suam in nobis tuendis consuetudinem præstat. ciues ad extructionẽ templi per decennium centenos quinquagenos aureos ex Senatus consulto polliciti. nec

deest

deest liberalitas finitimorũ principũ. Quinque iã sunt Sodalitates eorum, qui dant operã Philosophiæ Christianæ in hoc Collegio. Adolescentium: hi cõueniunt quotidie. Rusticorum: quorum tãta existimatio, vt eorũ opera plerique omnes vtantur. Opificum: horum magna seueritas in disciplina. Nobilium: de quibus perscriptum alijs litteris. Sacerdotum: quæ nuper accessit. ij iam numerantur triginta. Magna omnium pietas, quam scribendo non assequar: quicquid enim dixero, minus erit. prætermittam ieiunia, flagella, cilicia, quadragenarum horarum binas supplicationes, abductas mulierculas a vitæ turpitudine, opem latam pauperibus, & vinctis in carcere: aliaq. id genus quamplurima. Ex eorum numero, quattuor, contumelias, quibus affecti erant in publico, rependerunt eorũ pedis osculo, a quibus afficiebantur. vnius sodalis filius alterius fratrem interfecerat: orbatus fratre, hoc nuntio accepto (aberat domo) recta in Collegium venit. hic firmat animum. cum domum reuertitur, interfectoris patrem offendit: & statim. Nihil, inquit, interrumpet gratiam, quam inter nos spero æternam fore. Quin, per me, in posterum amiciores erimus. & re ipsa ita factum. restitit instigatoribus inimicitiarum, cum Prætore egit de salute interfectoris, eius parenti pedes in Sodalitio vero affectu exosculatus. Ciues quattuor diabolo se obstrinxerant, quem habere inclusum arbitrabantur in vasculo. eius auxilio multa perpetrabant. vbi hoc ad aures vnius sodalis peruenit, oratione illos & auctoritate permouit, vt abiecto vase, tantum facinus

dete-

detestarentur. factum. licet, dæmone vehementer comminante. qui omnes deinde in puteum proiecit noctu. quo casu vnus interijt. Alius e sodalibus cum inambularet in littore, & in piscatorē incidisset, qui amisso indumento nudus verecundabatur redire ad vrbem, sua se veste exuit, vt illum contegeret. quam liberalitatem admiratus alter, cum de referenda gratia cogitaret, pollicitus est (quod ei nouerat fore quā gratissimū) octauo quoque die, expiatis peccatorum sordibus in templo nostro communicaturū. atque id promissum fideliter seruat. Demum, quanta sit sodalium religionis fama, ex hoc aduerteris, quod viri nobiles plerique cum ægrotant, vouent se ex eorum cœtu futuros, si conualescant. conciones non sine emolumento. æs alienum graue, quod saluo officio retineri non poterat, dominis redditum. concubinæ dimissæ. Quidam, puellam, cuius pudicitiam imminuerat, duxit vxorem, licet ignobilem, nec æqualem sibi, nostris admonentibus. Stuprum alter propinquæ eluere cæde cogitabat, sed eū a statuto facinore sacerdotis oratio reuocauit. Familiæ duæ, quæ armatis odijs inter se cōcertabāt, depositis armis ad concordiā redactæ. Sed interijciebat sæpe in cōcione noster Beatæ Mariæ Magdalenæ laudes, aliquos veluti flores de admirabili eius vita factisq. delibans. hinc ciuium in illam propensio maxima pietatis. ad eius opem accurrunt in rebus angustis. persuasum enim est omnibus, vt eius patrocinio possint esse salui: eamq. sunt sæpe præsentem ac propitiam experti. Quædam, ad eius inuocationem, liberata est difficultate partus.

Quidam

Quidam graui implicatus morbo, ad concionem die Magdalenæ sacro, qui proximus erat, uenire cupiebat. hoc futurũ prædicebat medicis, vtrũque ridentibus, & reddendam tam cito corpori valetudinem, & suffecturas vires ad templum perrecturo. Sed res ipsa docuit, diuinæ virtuti imparem esse sapientiam humanam. Hoc vero non silendum. Mulierem vnã, quæ est sexus infirmitas, dolor ad necessitatem mortis adduxit. iam nodum informis leti a trabe nexuerat, iam pedes luctantes extenderat, cum cœpti pœnituit: tum strangulans vocem, vt potest, Magdalena, inquit, serua me obsecro. hoc dicto, sensit adesse quẽdam, qui sustineret corpus, ne suo pressum onere, spiritum exprimeret. hoc ipsa illis, qui accurrerant funi præcidendo, profusis lacrimis ad pœnitentiam versa, narrauit. Ex hoc Collegio Tarentum itum tempore Aduentus, & Quadragesima. confessiones generales obitæ sane quammultæ. instituta schola sermonum spiritualium. Pietatis, vt vocãt, mons vno die commendatus ciuibus, eoq. ipso die, qui mille aureos sponte offerret, vnus inuentus.

PROVINCIA SICILIENSIS

HABET *Sicilia in sedibus vndecim, socios tercentum tres & triginta. Panormi, In Domo Professa duodequinquaginta. In Collegio duos & triginta. Messanæ, In Collegio octoginta duos. In Probationis Domo triginta tres. In Collegio Catanensi tres supra viginti. In Syracusano, & Biuonensi, vtrobique viginti. In Calataieronensi vnũ & viginti. In Drepanitano Rheginoq. quindenos. In Collegio Montis Regalis quattuor & viginti. Mortui hoc biennio viginti. Aggregati in Societatem quadraginta septem.*

PANORMITANA. PROFESSORUM domus.

IN *Panormitana Professorum Domo tanta fuit cum cetero anno, tum vero festis celebrioribus ex omni genere hominum atque ordine frequentia, vt cum a sedecim sacerdotibus (tot enim sunt audiendis confessionibus addicti) satisfieri omnibus non posset, multi interdum vel e prima nobilitate non auditi discesserint. id quod ne in posterum eueniret, adhibita cautione, factum est, vt cum per hebdomadam totam suus cuique assignatus sit dies, percommode omnes, & quiete audiantur. Eamdem ob causam Dominicis*

diebus, ac festis, qui intercurrunt, propter miram multitudinem, quæ ad cœlestē epulum venit, ad bina altaria seorsum viris feminisq. Eucharistia ministratur: sic vt in ferijs Domini natalitijs ad tria millia numerati sint. Maximus etiam eorum fuit numerus, qui totius vitæ maculas confessione eluerunt. Nostrorum opera complures tum viri, tum feminæ adducti, vt monasticam vitam rite complecterentur. Multi a propria quadam & obstinata, quam habebant, inimicis nocendi voluntate, desiterunt. Et vero semel atque iterum, cum intentis sclopis districtisq. gladijs nihil propius factum est, quam vt aliquot occiderentur. Alij a sceleribus erepti, laudabiliorem vitæ rationem instituerunt. In his fuit iuuenis quidam perfuga, qui cum arctam primum ingressus esset viam, quæ ducit ad salutem: dein cœpti pœnitens, reuertisset in Aegyptum, & exuto religiosorum habitu, religionis quoque consilium exuisset, de nostrorum tandē consilio rediit ad castra. nec ita multo post migrauit e vita. æris alieni mala fide possessi restitutiones factæ quam plurimæ: in quibus etiam ædium æstimatione aureorum quater millium. Consimili ratione a fenebri aliquot homines quæstu, nefariisq contractibus abducti: nonnulli ab adulterio, concubinatuq. extracti. sublatæ aleatoriæ, talariæq officinæ. e carcere liberati milites non pauci: nonnemini etiam pœna remissa. Magna est enim excellentissimi Proregis, eiusq. vxoris erga nos humanitas & beneuolentia, quam ostendunt etiam, cum interdum nostræ subueniūt inopiæ, in ijs præcipue rebus, quæ ad templi ornatum cultumq.

tumq. pertinent. quod eorum officium eodem tempore & ipsorum est documento pietatis, & ciuibus exemplo. id vel ex hoc vno de multis conijci potest: quod cum tabernaculum Eucharistiæ asseruandæ Romavsque aduectum esset, pro eius pretio vecturaq. mille ducenti nobis aurei curati sunt, ære congesto. Turcæ, Mauriq. nonnulli Christianam fidem a nobis edocti, sacroq. baptismate abluti. Inter hos senex fuit natione Afer, seruus cuiusdam amici nostri, ita obfirmatus in ea opinione, quam puer imbiberat, vt omnē, qui haberetur de Christo sermonem, auribus respueret: hic deinde, Deo ita disponente, qui eum destinauerat sibi, cum in supremum incidisset morbum, & admonitus esset, vt dixit, secundum quietem a Beatissima Virgine, vti abdicata Maurorum superstitione, Christianorum more aqua tinctus, renasci vellet Deo, quē ipsa genuerat: paruit monenti: sacerdotem accersit, a quo cum rite atque ordine instructus, ac proinde baptizatus esset, breui mortuus est: ita idem illi morbus, & miseræ huius vitæ finem, & alterius multo melioris principium attulit. Sanctissimæ Dei Matris Sodalitas conflata e clarissimis viris, atque omni dignitate principibus, ita augescit atque efflorescit in dies verisimis laudibus, vt quemadmodum mitis arbor, ac tenera cum sata est iuxta fluminis ripas, opportuneq. alluitur aquis, non locum modo proximum opacat foliorum luxurie, quæ numquam defluunt, sed incurvescentibus etiam ramis, quos induit in florem, magnam futuræ speciem vbertatis ostentat: sic etiam ipsa cælestibus irrigata muneri-

bus, & in præsens lætitiã, & in posterum spem affert oneratorum fructuum omni genere pietatis. nam si statutum quæras quotidianæ & statæ precationis tempus, ex legum præscripto dodrans horæ est: domi namque suæ ab omnibus his dimidia matutinæ meditationi, quadrans vero vespertinæ diurnarũ actionum recognitioni datur si caritatem in proximos: ea est vt trahi possit in exemplum. nam vt præteream vas argento solidum & plenum artis, quod obtulerunt, vt in quadragenarum supplicationibus horarum, ad quas cuncti conueniunt, Sacrosanctum in eo Christi Corpus custodiatur: itemq. largam coactam ab eis stipem ad Anglorum subleuationem, aliaq. eiusmodi: suis facultatibus opem ferunt egentibus, viduas adiuuant & pupillos, & sacrarum cœnobia virginum, parentes etiam in filiarum collocatione. si afflictationem corporis: sexta quaque feria plerique in sacello voluntarias de se pœnas verberibus sumunt. si procurationem funerum: vt sodalium quisque defunctus est vita, non eum tantum vniuersi sollemni efferunt pompa, sed ad funebre conueniunt postea sacrum, cui omnes dant operam, multa pecunia ad eius expiationem animæ eleemosynæ nomine contributa si denique virtutem parẽdi: mirum est, quam libere se libenterq. ab vno e nostris, quẽ sibi præesse voluerunt, fingi omnino mollis ritu ceræ, formariq. patiantur. vt facile in ijs adumbratam quamdam Societatis imaginem liceat agnoscere. Quæ cum ita sint, orandus maxime & obsecrandus est bonorum auctor & remunerator Deus, vt qua in vrbe ad

tam

tam præclarum opus tam propensam dedit ciuibus voluntatem, eadem in vrbe det ijsdem ac posteris eius augendæ perseuerantiam. Concludam Panormitanam Domum felici exitu Patris Pauli Achillis, qui Parmæ natus, quadragesimum iam egerat annum in Societate, Panormi trigesimum, quo omni fere tempore Collegium rexit. & dulciter illud quidem vt dicitur ac sine vlla querela. Magnus fuit in hac vrbe in eius obitu doloris sensus, magna eiusdem significatio. Et vero intellectum est quanti is fieret ab omnibus, cum ad ædem frequētes accurrerent, eiusq. manus vestemq. non sine lacrimis, & cum clara eius commemoratione laudum venerabundi oscularētur.

COLLEGIVM. PANORMITANVM

AEDES sibi quasdā nouas coemerat superioribus annis Panormitanū Collegium, vacuam faciens veterem domum Patribus Professis, qui eo cō migrarunt. Paulo post exortus est qui emptionem ipsam in controuersiam adduceret, atque adeo ad Philippum Regem. Hic nostri fugitantes litium, ac fori, re omni pacate composita, cesserunt domo, alia quadam coempta in loco magis celebri & salubri, ad nostraq. officia multo aptiore quod quidem consiliū & magnopere approbatum ciuibus, & nostrorum fuit vsui valde opportunum. Ad eum accomodatur noui Collegij ædificandi descriptio. Cuius cum fundamenta iacerentur, ac de more primus esset ponendus lapis, maxima cærimonia & frequentia gesta res est.

nam cum magna carminum emblematumq. varietate speciosо instructu & ornatu propinquus omnis conuestitus esset locus, tanta fuit tum omnis nobilitatis e toto pæne regno, vrbisq. magistratuum, qui honoris causa conuenerant, tum vero ipsius Proregis, qui sollemni ritu lapidem iecit, erga nos amoris significatio, tanta illius diei celebritas, vt rem per se lætam, sua gratulatione fecerint, & dignitate lætiorem. Cumulauit hoc deinde gaudium fluentis vis aquæ, quæ in vinea nostra, Dei beneficio, reperta est. cum enim vellent nostri perfossis cuniculis tantum aquæ deducere, quantum satis esset ad irrigationem agri, tam vber quodam in loco qui effodiebatur, se effudit amnis, vt cum abunde nobis satisfaciat, deriuari etiam multas in partes possit, & aquilegum ipsorum æstimatione, si vendatur, tantum ex eo parari pecuniæ, vt summam decem aureorum millium conficiat. Atque ea superiore anno. Propiore enim hæc. Collegij ædificatio ad tectum prope perducta. adiuuit celeritatem tũ nonnulla inuentæ aquæ vẽditio, tũ nobilis matronæ ac locupletis liberalitas, quæ mille nobis aureos testamento reliquit. magna enim est ciuium erga nos propensio voluntatis, quã nostri, quantum possunt, grato animo & officio tuentur. Argumento illud proxime ciuitati fuit: quod cum in propinquis Collegio tectis noctu æstate media improuisus excitatus esset ignis, & aleretur aridorum strue lignorum, ventoq. vehementi, correptisq. quattuor domibus, prius quam posset occurri, baccharetur latius, ac toti iam, acquisitis eundo viribus, im-

mineret viciniæ: nostri repente excíti concursantium strepitu, & clamore multorum opem implorantium, omnes præeunte Patre Rectore, e Collegio eruperunt, vt proximorum saluti, rebusq; succurrerent. ergo flammam alij conscensis scalis coercere, aquam alijs suggerentibus: deiectorum alij ruina murorum, tectorumq. opprimere: supellectilem alij (iam enim incolæ attoniti se se foras proripuerant) e domibus extrahere: adhortari se inuicem & adiuuare: idq. tota fere vrbe inspectante, & nostrorum caritatem suspiciente, qui alieni memores periculi, essent pæne immemores sui sic ut, cum tandē Deo annuēte, restinctum esset incendium, magnam ex ea re laudem apud omnes exceperint. Prætor quidem vrbis, Proregi excellentissimo, qui tanta commotus rei fama, etiam ipse accurrerat, id quod factum erat exponens, multis audientibus compressi illius mali testimonium, tum ciuium multorum diligentiæ, tum nostrorum maxime sedulitati atque industriæ dedit.

COLLEGIVM. MESSANENSE

MAGNAM præbet atque vberem materiam Messanense Collegium scribendarum rerum, in quibus se se exercuerunt nostri ad maiorē Dei gloriam, salutemq. proximorum. Sed quoniam pleræque omnes eæ sunt, vt difficile sit in ijs narrandis, quasi in Scyllæo freto, quod est Messanæ proximū, non ad scopulum adhærescere: veluti sustētans & moderans cursum, secernam, & seligam pauca, quæ mi-

nus videantur offensionis habitura. Et certe non habeo necesse persequi plura, cũ omnia vos ex superiorum recordatione litterarum mente videatis. Virum meretricijs implicatũ amoribus, compilantẽq. quicquid erat domi, & ad scorta deferentem, vxorẽ præterea & liberos verbis calcibusq. male accipientem, victa tandem malo domestico mulier, & iniuriæ dolore, e medio tollere constituerat: ad eamq. rem parauerat venenum, filia tantum conscia: quæ cum matris consilium, a qua mortem patris deprecari non poterat, detulisset ad vnum e nostris, interposita huius auctoritate, ita res breui composita est, vt & vir a quotidianis flagitijs, & vxor a cogitato scelere se abstineret: atque vterque vtrique restitutus, rediret in caritatem & consuetudinem pristinam.

Complures annos iuuenis quidam qui vitam rure agebat, abundans alioqui & locuples, pellici assueuerat. hac inuita & renitente ducit vxorem. verum maleficis artibus carminibusq. deuinctus dare operam liberis non potest. conquirit remedia quibus exoluatur, & a medicis, & uero etiam a veneficis quamplurima, magna pecuniæ profusione: nihil non agit vt efficiatur voti compos. Sed cum frustra omnia consumpsisset, domo profugus, vitam inopem & vagam persequi statuit, in eoq. annos vnum & viginti persliterat. miser tum hoc ipso, tum multo magis, quod maiorem in se dæmonis, quam Dei vim & potestatem iactaret experiri. Mesanam venit: hic forte, vt fit, templum nostrum ingreditur, circumspicit omnia oculis mirabundus, e gestu se aduenam esse

ostẽ-

ostendebat. nec latuit sacerdotem vnum a confessionibus. Hominem adit, ad confitendum inuitat. Hic ille desperatum se esse dicit & perditum, a Deoq. derelictum: nec posse effari tantum dictis, quantum factis superest doloris: nullam inueniri suo malo medicinam. pellexit tamen sacerdos ad id, quod primo intenderat: orbiculos ei dat piaculares, consecratasq. agni plangunculas: consolatus deinde hominem, redi tum hortatur, ad suosq. dimittit. quo vbi peruenit, diuturnis se illis liberatum molestijs, et laxatum vinculis re ipsa animaduertit. Exponi, vt dixi, multa possent eiusmodi, vt discordantes filios parentesq. coniuges etiam & fratres reductos in mutuam concordiam: cõpositas lites: inueterata odia deposita: reuersos apostatas ad eum ordinem, quem deseruerãt: imbutos Christianis rudimentis Neophytos: recreatos pauperes: pecunias debitas aut dissolutas eorum nomine, qui soluendo non erant, aut ex parte remissas: creditas autem, aut retentas fraude, iniusto q. titulo, redditas: dotatas virgines: abortus prohibitos partuum: repetitam fere ab innumerabilibus vel ex eo tempore, quo iudicium facere poterant, confessionem: adiutos multos ad pie moriendum, qui ducebantur ad mortem, quiq. etiam in lectulo suo moriebantur. Sed quoniam hæc sollemnia sunt & propter eorum assiduitatem minus admirabilia: ad ea potius veniemus, quæ, quoniam propter quamdam varietatem & magnitudinem, illustriorem fecerunt pietatem Dei, pronioribus animis audientur.

Mercator erat nostro ordini infensissimus, qui in acci-

accipienda, dandaq. fenori pecunia iniustam negotiationē diu exercuerat: ita tamen, vt mergentibus sortem vsuris, obrutus tandem alieno ære latitaret domi, nec copiam faceret sui creditoribus. factum est autem, vt mœrore ne, an desidia, in pernicialem morbum incideret. Nocte igitur quadam, cum febrium æstu curarumq. vreretur, in ipso silentio vocem ter audiuit, quæ præcipiebat confessionem, ad eamq. admonebat adhibere aliquem e nostris. non recusat imperium: accersitur sacerdos, qui hominem in familiari sermone reperit tam multis irretitū vinculis conscientiæ, tam arctis circumplicatum laqueis, vt nesciret pæne vnde nexus inciperet, quoue se cōderet: qua venditionibus, qua emptionibus, qua illicitis alijs emergentibus contractibus, quibus se prorsus impediuerat, dum occupare voluit quacumque ratione nūmos, ne steriles haberet. Quid multa? sex ipsi dies, pleni atque integri fuerūt in ea dissolutione ponendi. accessit illud, quod cum octodecim fere aureorum millia aliquot ante annis exegisset a debitoribus, qui ignoratione fortasse iuris non cauerant sibi a creditore, neminem quicquam amplius eo nomine petiturum, in publica acta referri oportuit contestationem soluti æris: dimissisq. varia in oppida publicis litteris euocari per præconem homines ad cautionem accipiendam: quibus peractis, decennali denique confessione expiatus supremum diem explenit. ex quo facilis coniectura est, diuina quadam prouidentia ægrotationem illi incolumitati, mortem saluti fuisse. Grauni ac diuturno morbo tenebatur quidam summo lo-

co

co natus, acriq. afflictabatur dolore totius corporis, vt eam quoque ob causam non parum imminuta mens esset. medicos namque, cum desponderet animum, auersari: medicamenta respuere: aspernari alloquia amicorum: nolle sibi quemquam ministrare aliquid, aut assidere: religiosos viros ne nominari quidē: nihil, quod salutare esset, non modo ad animum, sed neque ad aures admittere: diuinum numē contemnere, tamquam non posset, aut scelesto ore appellare, tamquā nollet mederi: duodecimum iam diē nihil habere in ore aliud, nisi malos dæmonas: hos inuocare clamore infami, his sese deuouere turpissime: his insanis vlulatibus infelicis cubiculū, ingenti cum matris et sororum ceterorumq. familiariū horrore ac timore, personabat: triduoq. omni prorsus abstinuerat cibo, vt iā amissa spe corporis pertenuis spes animi salutis ostenderetur. ergo hac tanta in rerum desperatione, etsi præfracte uetuerat semper, quēquam e nostris vocari, quoniam tamen experiri omnia extrema necessitas iubebat, ad nos descenditur. accipit hanc prouinciam sacerdos vnus, plus spei concipiens ex Dei misericordia, quam metus ex ægroti pertinacia. domum illius venit: inuenit domesticos mærore simul, ac dolore perculsos, lugentes potius hominem quasi mortuum, quam iuuantes ægrotum. bono animo omnes esse iubet, fundendisq. ad Deum precibus insistere: ipse recta ad ægrum: qui vbi sacerdotem videt, silens, ac stupens, non secus ac si dirum aliquod cerneret monstrum atque execrabile, obuersus in aliam partem, multa circumiecta faciem veste & caput

caput obuoluit. Hic noſter non acerbe, atque aſpere, ſed humaniter leniterq tractandum ægrotum animum ratus, blandiciarum adhibet fomenta ad eum mitigandum. Quaſi igitur per ſpeciem tantum veniſſet officij, principio quidem morbi vim grauem eſſe non negat, ſummumq dolorem corporis: addit magnam ſpectari in perferendo patientiam, perſiſtendum tamen, obdurandumq. ſic enim fore, vt breui omnis illa ſolicitudo, ſpe rerum meliorum, & animi magnitudine tolleretur. ea cum diceret laudantis in morem magis quam admonentis, ex ægroti attentione ac ſilentio permulceri paulatim tenerum eius animum, ac molleſcere ſenſit. itaque, ſiue vt rem magis pernoſceret, ſiue ut alliceret hominem, diſceſſum ſimulat, orat, vt antequam abeat, aperiat ſaltem faciem, ne videatur iratus: Quin tu, inquit ille, exerens caput, & manus extollens, ne diſce de a me Pater, ſed conſolari perge: ſic enim habeto me iſta oratiõe ex diuturna hac perturbatione totius valetudinis tamquam ad aſpiciendam lucem eſſe reuocatum manſit rogatus: hoc enim vnum agebat: tãdemq. multo ſermone vltro citroq habito, rem ita dexter egit, vt & cibum afferri imperaret ille, & acciri medicum, & peccatorum denique venenum eiiceret confeſſione. factumq eſt, cum Deo volente, vt qui tot dierum veluti furore morboq. correptus deſperatus erat ac perditus, illi breui quadam curatione ſermonis, omnis auferretur mentis perturbatio: ſic vt non corpori modo expetierit, ſed animo quoque, ſalubrem adhiberi medicinam. Longior hæc fuit fortaſ-

ſe

se narratio, sed ad indicandam Dei benignitatem opportuna: & sequetur alia breuior. Captiuus erat in cuiusdam familia adolescens, e secta Maurorum, qui nulla ratione adduci poterat ad fidem nostram capessendam. hic porro Dei permissu cecidit, ex eoq. casu factum est vt crura frangerentur. sic vt iam inutilis esse, ac nulli rei videretur. Dimissum a domino accipiunt Mauri aliquot liberi homines, qui Messanæ negotiantur. apud hos cum esset, videre visus hominem candenti amictu, qui morbi remedium suaderet baptismum, Christianum se velle fieri professus est: propterea q. a Mauris exturbatus domo. Non poterat ipse, cum esset vtroque, vt diximus, crure captus, ac debilis, se loco mouere. iacentem igitur in via Pater Rector confirmandum, & deportandum curat in cuiusdam ædes viri nobilis: vbi cum excultus esset ad veram religionem, salutari deinde ablutus aqua, non solum sanctiore cum fide viuendi rationem accepit, sed etiam cum spe meliore moriendi. Ad finem Mamerti ni Collegij addendū videtur de quadringentis aureis publice ex Senatus sententia attributis, ad incendij, de quo proximis litteris scriptum est damna resarcienda: de ædificatione templi, cui magna facta est his duobus annis ex piorū eleemosynis accessio: de nouæ institutione Philosophorum Academiæ, quæ celebratur flore, ingenioq. Mamertinæ iuuentutis: postremo de obitu Patris Ioannis Lomellini, qui & natura factus, & voluntate propensus, & consuetudine exercitatus ad confessiones audiendas, ita ijs sedulo, assidueq. nauabat, vt cum vna omnium voce atque mē-

te communis diceretur omnium pater, in hoc non mirati simus (quod suspiceremus fortasse in alijs) si & viuens magnam habuit apud omnes uenerationem, & moriens tantum incussit dolorem vniuersis, ut uiri feminæq. certamen quasi mœroris edẽtes, non sibi a profusis questibus lacrimisq. temperarint.

PROBATIONIS. DOMVS. MAmertina.

AVCTA est hoc biennio Mamertina Nouitiorum Domus tum tyronũ numero, qui septem & quadraginta: tum eorum, qui post decursa litterarum studia tertium obibant probationis annum, ij nouem fuere: tum etiam pecunia, quæ ultro oblata est ad eos sustentandos, & ad laxandam domũ: quod cum fit, in fundamentis aperiendis aqua nobis frugifera extitit. Eorum uero omnium non domi solum probata est uirtus & constantia, cum & rerum diuinarum meditationi instantes, & uilissima quæque expetentes officia, dederunt operam ut quam maxime abstraherent se a corpore, & cupiditatibus imperarent: sed ad alienas etiam utilitates se porrexit foras, atque eminuit: nam et custodias frequenter inuiserunt, nec pijs modo sermonibus animos, sed cibo etiam, quem stipe emptum collatitia, nostræ domi coctum conditum per mediam urbem quingentorum passuum itinere afferebant, corpora refocillarunt. & ad ægrotos ierunt in Xenodochio decumbentes: quo in loco, ut cetera sileantur, conuertit aliquando illud

om-

omnium oculos, quod cum animam quidam ageret, ex eiusq. confecto corpore tæterrimus permanaret spiritus ac pestilēs, ut fugerent omnes: nec quisquā eum aditum, aut uero etiam conspectum uellet: fuit unus e nostris tyronibus, cui tantam uim Deus impertijt, ut uicerit animum, ipseq. unus & moribundum adiuuerit, & affuerit morienti, & composuerit mortuum, & sepelierit. quibus in officijs ita penetrauit in eius nares odor importunissimus, ut uix post triduum restitutus in pristina uideretur. Idem factum est a tribus in efferendo cadauere, e cuius ulceribus tam corruptus scatebat sanguis, saniesq. purulenta, vt horrentes omnes, contagionis metu, vel minimum eius attactum, nisi nostri sepelissent, inhumatum proiecturi viderentur. Neque vero in vrbe solum emicuit nostrorum sedulitas Nouitiorum, sed vicinis etiam in oppidis: in quibus est, & cum aliqua aduersarum rerum perpessione, nec sine vtilitate laboratum. quæ vt ne percenseam singula, erit hoc instar omnium. Catanam nauigabat duobus cum fratribus sacerdos iussu Patris Prouincialis: vehebatur cymba, in qua & merces erant non parui pretij, & vectores non pauci, sed agrestes, &, quod magis molestum, vitæ linguæq liberioris. qui tamen primo nostrorum aspectu ita se composuerunt ad modestiam, vt nullum iecerint in ea nauigatione verbum, quod reprehenderes: quin etiam nonnemo sub prandium, cum excensum esset, confessus sit in littore. Atque hæc die illo. Nocte deinde media cymbam cum mercibus tempestas subita demersit,

mersit, hominibus saluis, quod in terram se eiecerũt mari proximã. verum cum madidi essent omnes & enando defessi, noxq. intempesta, vectores labebantur alius alio quærendi causa diuersorij. at nostri, cũ eos institoris & nautarum subisset misericordia, ratione & auctoritate, qua iam apud eos valebant, persuaserunt omnibus, vt ne miseri hoc in discrimine desererentur. sudatum est igitur vsque ad lucem in colligendis reliquijs naufragij: & ereptum e fluctibus aliquid mercium, cymbaq. in siccum deducta. hac pia nostrorũ humanitate ita permotus est vnus e uectoribus (Græcus is erat, multarumq. errore superstitionum a fidei veritate abhorrens) vt ea re animaduersa, cum recta cogitatio non paulatim, sed magno impetu pectus hominis inuasisset, se omnino promiserit Catholicum fore: in quo etiam plus fecit aliquanto: et uenit enim ipse, & suam quoque totam familiã perduxit ad fidem. eo deinceps qui cõ se quutus est die, continuo ac fædo imbre pedibus iter facientes nox oppressit, ita obscura & cæca, vt cum iã antea aberrassent in deuijs ignotisq. regionibus, uix tantum aspicerent uiæ, ubi pes tuto poneretur, quãtum maligna ostendebatur luce fulgurum intermicãtium. Tandem perrepserunt in frequens hospitium, ac plenum. obsidebatur focus a diuersitoribus uestes siccantibus: nostri scilicet in angulo. in quo cum essent, & ad eos se nonnulli applicuissent, institutus est a sacerdote sermo de rebus sacris. quod cum esset ab ijs animaduersum, qui erant ad ignem, ipseq. omnium inuitatu ad eos accessisset, arrepta occasione,

de

de inferorum flammis, pœnisq. differere incepit, eo ardore animi, sensuq mentis (iam enim conuenerant posthabita cœna hospites, domesticiq. vniuersi) vt cum protracta concio multam esset in noctem, inuitis auditoribus, nihilq. metuentibus magis, quam ne desineret pater, tum demum finem faceret, cum eos esse intellexit timore pœnæ a contrahenda culpa deterritos. Hos fructus illa attulit peregrinatio, Nouitiorum experimẽtum. Quamquam de Nouitijs quoque non erit iniucundum scitu, eorum nonnullos a suis ipsorum parentibus ad nos esse deductos, in nostramq. manum & fidem datos: vnum ex ijsdem venisse spon te, cum abesset longe a locis, in quibus nostra essent Collegia, tum audita fama nominis nostri, tum maxime perspecta pietate sacerdotis, quem adolescentulus viderat in patria pueros elementa fidei docentẽ. tantum excitat ardorem in animis emẽdatæ lux vitæ et splendor perfectæ religionis. E Nouitiorum item numero fuit Thomas Euenus sacerdos, cui dysenteria mortem attulit. sed mirum est quantum hic moriens tulerit secum sodalium desiderij, & ijsdem quantum reliquerit exempli. Anglus ipse erat, sed nulla attactus vm quam suspicione pestis Anglicanæ. Quod cũ palam ac libere in patria prædicaret, in carcerem cõiectus, ac suorum denique conatu ereptus est. Vixit quinta feria Maioris hebdomadæ, plena iam nocte: lætus, vt profitebatur ipse, atque alacer, quod ea nocte moreretur, qua Christus Dominus pro se impiorum manibus capi voluisset. sed Eueni iacturam Thomæ, alter compensauit Thomas, sacerdos item, &

Anglus, qui etsi puer parumper hæsit ad metas intima familiaritate hæreticorum, vbi tamen lux illi ueritatis affulsit, egressus e terra, & cognatione sua, & domo patris sui, in terram venit, quam Deus monstrauit sibi, idest Romam ad Collegium Anglicanum. ubi præcipue nostrorum propter consuetudinem, tanto opere ad pulchritudinem pietatis, nostræq. amorem Societatis exarsit, vt multis licet amicis cogitationibusq. frustra dissuadentibus, numquam destiterit instare, orare, obsecrare, vsque adeo donec perpulit patres, vt Romæ quoniam æque commode non poterat, in Sicilia reciperetur.

COLLEGIVM. MONTIS Regalis.

AVCTVM est hoc etiam Collegium duobus hisce annis noui Patris Prouincialis aduentu, nostrorum numero, cubiculis, facultatibus, exercitationibus litterarijs, Sanctorum reliquijs, existimatione apud exteros, officijs denique pietatis. Itaque singula expedienda. Nostrorum quidem numero, & cubiculis, quod cum illi duodecim tredecimue essent: cubicula autem in vna ambulatione quinque: vtrorumque numerus duplo amplior factus. Facultatibus autem: quod quingenti aurei, qui dudum Collegio ex presbyteri legato debebantur, ad nos lege peruenerunt. Exercitationibus vero litterarijs (vt præter mittantur publicæ, quæ ipsæ quoque non mediocriter auctæ) intra domesticos parietes. primum, quod

facer-

sacerdotes duo quæstiones explicant de moribus, ad Christianorum vitam conscientiamq. moderandam: deinde, quod nonnulli a Philosophiæ curriculo, et alij quasi magistri designati, expoliri cœpti studijs elegantioribus, quibus crescit oratio & facultas, eo tamen ritu ac fructu, vt non auditorum ludus, sed doctorum conuentus esse videatur. Sanctorum reliquijs: quod quidam clericus cum sancta apud nos lipsana magno esse in honore cultuq. didicisset, aliquot Sancti Zenonis, & Sociorum partciulas, quas attulerat Roma, nobis tradidit, hac vsus præfatione, quod eas apud nos, quam apud se meliore loco intelligeret futuras. Existimationis enim apud exteros, vel hoc vnum euidēs erit argumentum. Quod cum esset sacerdos vnus tum nobis infensus omnibus, tum maxime duobus, de se licet optime meritis, bisq. non malediceret solum aspere, sed plagas etiam mortemq. minitaretur, tandem aliquando obstrictus, vt creditur, religione, ita commutatus est totus, vt in Collegium veniret vltro, & vtrique euocato, supplex, ac procumbens in genua satisfaceret. hodieq. superiora, vt vocat ipse, errata, officijs superare non cessat. Nam quid dicam postremo de officijs pietatis? Nostrorum ne hortatu remisisse aliquos male merentibus iniurias? dimisisse alios pellicem? omisisse multos nefariam peccandi consuetudinem? frequentari nostram, quanta quanta est, ædem communicantium cœtu & confitentium? hæc eiusmodi sunt, vt multo plura vos, etiamsi relinquantur a nobis, cogitationi vestræ subijcere possitis. Duo tamen e pluribus videntur eminere, quæ hic breuiter

uiter attexam. Redibat vnus e nostris confecto diurno itinere ad Montem Regalem, tempestate perfrigida, imbre maximo. Hic tibi in hominem incidit prouolutū in luto, ita grauiter affecto ægrum corpore, animoq. deiectum, vt eius cohortatione precibusq. se erigere nec vellet, nec posset, sed ibidem pernoctare statuisset. Quid ageret frater? homo iam ille sublatum poplitibus corpus ægre tuebatur, vt nec sustinere se a lapsu ualeret, ne dum hærere vestigio: in uesperam inclinabat dies, aberāt ab urbe plus milliario, uia acclinis ac lubrica, ipse solus. tempus, locus, periculum tollebat omnem deliberationem: & caritas urgebat. Subijcit igitur ipse humeros oneri, domūq. defert impositum ceruici ægrum, linquente pæne spiritu: quem sine dubio, si in eodē mansisset, unde extractus erat uestigio, ultimū reddidisset. Reuocata est uetus illa ac nostræ propria Societatis, quæ superioribus annis erat intermissa, consuetudo tradendæ rudibus doctrinæ Christianæ. Per speciem interrogandi pueros, adulti etiam docentur. Accidit autem aliquando, ut e multis, qui spectatum accesserant, cum certatim pueri se prouocarent in disputatione & dialogo, cunctis audientibus exclamarit homo rusticus, non rustice. Hei misero mihi, quem harum ignarum rerum atque inscium, quas pueri percallent, patulo ore inferorum carcer expectat. Atque hæc dicens, cum risu licet irrisioneq. adstantium, conijcit se in medium gregem, magistrum rogat vt rudem se integrumq. accipiat discipulum, eaq. docere ne grauetur, quorum cognitio est necessaria homini Christiano: complexus hominem

noster

noſter ſumma comitate, collaudat, & benigne promittit quod rogabatur. conuerſus deinde ad ridentes, molli interrogatione quæſiit, nũquid ipſi omnes haberent ea cognita, quæ vnus ille ex eorum numero neſciebat. tacentibus atque ignorationem vultu & rubore fatentibus, perſuaſit, vt qui ſimilium rerum inſcitia laborarent, eodem diſciplinæ remedio vterentur. Itaque corroborata iam videas ætate homines, & barbatos, balbutire cum puerulis, ad eorumq. exemplum imbui rudimentis Chriſtianæ doctrinæ. Miſſus etiam ex hoc Collegio ſacerdos cum ſocio proxima Quadrageſima in oppidum, cui Buſacchino nomen, ad habendas conciones, confeſſioneſq. audiendas. Et conſtitit operæ fructus. nam & mulier quæ iure ac legibus cædem ſuorum perſequebatur, eius admonitu non placata ſolum, ſed ſemel atque iterum Panormum peregre profecta eſt, vt a Prorege inimici homicidæ mortem deprecaretur: & ſublatæ ſimultates: & collecto ære ornatum eſt oppidi templum ſacro inſtrumento nonnullo, & pretioſa ſupellectili.

COLLEGIVM. RHEGINVM

QVAMVIS non valde magnus noſtrorum ſit in hoc Collegio numerus, ei tamen in Societatis noſtræ functionibus, Deo duce, reſpondit euentus. Sanctiſſimæ Dei Matris Sodalitas Maior, Minorq. tantos habẽt in pietate progreſſus, vt grata quædam inter eas eſſe videatur æmulatio, vtra alteram vincat: etſi, vt uirorum fructus ſit fortaſſe

maturior, adolescentium esse admirabilior, & ad speciem iucundior videtur. Multi ex his in varias religiosorum familias, anno quidem proximo, quinque in Capuccinorum adscripti. Alius fuit ex hoc cœtu, cui pater statuerat vxorem dare: ipse autem deterreri a religionis proposito, consilioq. suscepto non poterat. precibus igitur rem Deo commendat: nec multo post, in morbum incidit octiduanũ, ex quo non conualuit: atque ea quidem, cum ægrotaret, animi corporisq. patientia, ea, cum moreretur, lætitia, vt, cum spiraret rebus verbisq. pietatem, eximiam voluntatem adolescentis pro re ipsa Deus accepisse videretur. Solent sæpe ex eodem Sodalitio pecuniam ostiatim iuuenes, & rem quamcumque victui necessariam emendicare in eorum subsidium, qui carcere tenentur. Nec minor, aut obscurior in eosdem vinctos nostrorum caritas fuit: in eos præsertim, qui ad supplicium agebantur: qui adiuti & ad spem excitati diuinæ misericordiæ extremo certamine, ignominiam illam ac pœnam forti animo ac libenti tulere. Idem præstitum domi morientibus. Adijci etiam possent in hoc Collegio permulta, eorum, quæ audiuntur de alijs licet maximis, consimilia: vt de interpositis nostris non sine effectu in germanorum pacificatione fratrum, parentum etiam ac filiorum, aliorumq. inter se grauissime dissidentium: de desperatis, mortẽq. sibi molientibus, reuocatis ad spem vitamq. meliorem: de excitato ad adiuuãdos pauperes Monte Pietatis: de ciuitatis erga nos liberalitate, annuoq. vectigali non paruo, ipsius permissu Regis, Nostriq. Patris Generalis

lis assensu in perpetuũ præstituto: de amplificato Collegio: de manipulis, quos sacerdos vnus, Seminariam (est hoc in Calabria oppidum) missus, ex eo agro in horreum Domini reportauit. Sed vocat me, aut potius rapit duorum fratrum interitus, vnus repentinus, alter multo ante prouisus. De repentino prius, qui etiam fuit violentus. Frater namque vnus ex ijs, qui domestico opere exercentur, & pius omnino, & diligens, lapsu trabis e cœnaculo, quod exædificabatur, vno eodēq. tempore oppressus & extinctus est. Mors, si quæris, acerba, indigna etiam visa ciuibus peramantibus nostri, qui frequentes se ad nos contulerunt, casumq. miserantes: ipsi tamen fratri, si hoc vnum excipias quod subita fuit, non omni ex parte tristis: beatos enim paulo ante prædicauerat eos, quibus in Societate datum esset mori. Ad Aloysium vero Turrianum nobili clarissimum genere, clariorem multo virtutibus (cuius memoria, quantum de meo sensu iudico, eorum omnium, qui eum uidere, aut cognoscere potuerunt, pectus effodit) mors non quidem improuisa, vt dixi, sed importuna, si spectes cōmune votum singulorum, accidisse visa est. Erat hic diu ante afflicta perditaq. valetudine. lenta phthisi, ac pertinaci laborabat. missus est Roma a Patre Nostro Generali Rhegium, tum propter cæli salubritatē, tū quod ægroti, non conualescentes, loci sæpe mutatione curantur: quæ etsi primo profuere, tamen assidua illa vis morbi, quasi inducias fecisset non pacem, quæ primo remiserat, resūptis viribus ita inualuit, vt adēpta iam omnispe vitæ, dilatio mortis tantummodo

quæreretur. Hoc igitur tempore præclara insignis religione ac virtute iuuenis (etsi numquam magnus eius animus pietasq. contremuit) vbi se non longius abesse vidit ab exitu, in infirmitate corporis fortior effectus animo, secumq. ipse certans, tam multa dedit patientiæ, modestiæ, submissionis, obedientiæ, caritatis exempla, vt siquidem hoc ageremus, toties eius variari laudatio posset, quoties nouis ipse gradibus ad perfectionis quasi culmen ascendit. Videbimur hoc loco fortasse alijs, qui hominem non norunt, non nihil tribuisse beneuolentiæ: sed certe illos, qui eo sunt vsi familiariter, fateri necesse est, tributa esse omnia veritati. Instructus est viatico, vt debuit, atque, vt rogauit, extremo delibutus oleo, simulq. tanto gaudio, vt in terra cum esset, quemdam cæli, in quo iam alterum habebat pedem, rerumq. cælestium gustum præcipere videretur. Dulcem reliquit omnibus sui memoriam non sine morsu doloris.

COLLEGIVM. DREPANITANVM

CVM in huius vrbis portum appulissent Neapolis, Siciliæ, ac Melitæ triremes, vt inde in Angliam traijceretur exercitus, occasio est oblata nostris, quem ardorem pietatis habent in animis, ad plurium vsum fructumq. conferendi: permulti enim, atque in his Præfecti classis, & plerique viri principes, perpurgati salutari peccatorum confessione, & cælesti pane refecti: eadēq. opera data quamplurimis, qui in hanc influunt vrbem, vt Dei Genitricis imaginem magnis multisq. insignem

gnem miraculis, religiose venerentur, quibusq. se obstrinxerunt votis, rite dissoluant. Templum autem nostrum, quamquam celebre semper fuit, nunc tamen additum est nonnihil ad eius celebritatem, postquam ei quasi mens quædam est addita, ex allata Sanctissimæ Virginis icone ab Romana vrbe affabre picta: cuius omnes incredibili quodam, multis abhinc annis, desiderio tenebantur. collocata est eo die qui Annuntiatæ sacer est, magno plausu, conuentuq. hominum, ipsiusq. magistratus: hoc etiam iucundiore, quod ex ijs pueris, qui nostrum frequentant gymnasium, soluta oratione nonnulli, & carmine, cum Latina lingua tum etiam materna, gratijs Deo habendis agendisq. virorum animos, & feminarum multo magis, ad lætitiam excitarunt. Non paruus e ciuibus quoque, ad nos sacramentorum causa confluentium numerus: quamquam non defuit aliquis, qui eorum simplicitatem (sic ille appellabat) ioco carperet, nostrosq. fictis sermonibus criminaretur. sed etsi prematur interdum veritas, emergit tamen. Periculoso hic idem arreptus est morbo, e quo cum vereretur mori, Aduocate mihi confestim, inquit, vnum ex illis sanctis patribus, qui mea audiat crimina. itaque & palinodiam cecinit, & re ipsa cogẽte, ad duplicem adductus est confessionem, erratorũ videlicet secretam, & apertã inuidentiæ, qua instigante, a se dixit omnia contra nostros fuisse conficta: ex quo nostrorum creuit apud omnes existimatio. quorum suasu & vir quidam acceptæ aliquando iniuriæ reponendæ cupidus, placabilem se præbuit.

&

& mulier, interfectoribus filij, tepenti pæne adhuc sanguine, totum crimen remisit.

Sed nullo modo reticendum videtur singulare beneficium, quo Deus affecit Mauram feminam octogenariam, vicinam ad moriendum. Triginta hæc annos apud Christianos fuit, nefarijs Turcarum superstitionibus penitus addicta. accessit, Dei nimirũ nutu, qui hanc sibi delegerat, ad senectutem morbus, sed qui prostrato corpore erigeret animũ. etenim eo die, quo Catharinam Martyrem Christiana veneratur Ecclesia, ab vno e nostris accito baptismum petit, quod eam sibi mentem a sanctissima Dei Matre Maria & Catharina Virginibus diceret datam. Et sane erat admirabile quo sensu erat ac spiritu prædita, siue de corporis ergastulo loqueretur, deq. præstantia animæ, siue nequissimum execraretur Maumetem, et quibus poterat amplissimis laudibus Christũ extolleret. Erudita est, quantum quidem potuit in illis angustijs vel morbi vel temporis, fidei nostræ mysterijs, & cum per aquam regenerata, Christum induisset, ad illum, exuta mortalitate, postridie euolauit.

Magna etiam insequenti anno, aut fortasse maior in huius comparatione, apparuit Dei benignitas erga hominem Turcam: quod vt clarius intelligatur, alterius quoddam capiendum videtur exordium narrationis. Duo erant in hac ciuitate propter capitalia maleficia morte multandi, Christianus, & Turca: vterque conscelerate mentis & obstinatæ. Christianus nẽpe, cum ad eum de more solator ex Albatorũ Sodalitio accessisset, repulit hominem indignans, &

cla-

clamitãs, nihil recusare se, quo minus infinito obsessus dæmonum agmine, ad ima barathri præcipiti deducatur via, æterno supplicio cruciatuq. mactandus. Ad hunc accersitus vnus e nostris, leni vtens oratione, eiusq. in sese recipiens alterius vitæ pœnas modo resipisceret, vix ui ad sanitatem conuertit hominem ab insania: sed vt inconstans est mens ipsa mortaliũ, peruersaq. natura, postero die, eo, qui erat vtriusque supplicio destinatus, quasi nihil actum esset die superiore, omnisq. effusus labor sacerdotis in eo mitigando, redit miser ad eam dementiam, de qua videbatur eiectus: ita animo contumaci, vt cum surdas illius aures, seq. frustra fatigasset sacerdos, excusso veluti e pedibus puluere, se cõuerterit ad Turcam: qui etsi eductus iam iamq. e carcere rapiebatur ad locum sepositum pœnis, substitit tamen satellitium, patre deprecante, vt cum illo agat. verum apud hunc etiam principio nihilo faciliorem aditum inuenit. clausas hic similiter habebat aures ad voces cohortantis: in eoq. perseuerabat, quod in patrita vellet, atque auita religione, quam puer imbiberat, mori. cum multa igitur pater iactasset in ventum, pedem tristis referebat. sed profecto ita est. Omnium operum diuinissimum conuertendarum opus animarum, non volentis, neque currentis, sed miserantis est Dei. Vix abierat a conspectu, cum semel atque iterum Turcæ ipsius voce reuocatur: qui rogatus, quid vocaret, Christi se fidem suscipere velle respondit. explorauit hic pater, hæc ne ex animo dicerentur: vbi stupentibus omnibus tam subita mutatione, nihil

hæsi-

hæsitantem vidit hominem, sed cœpti tenacem, sic vt fidem faceret dictorum constantiæ & veritatis: missis aliquibus, qui parochum vocarent, in sacellum duci iussit, vbi erat ille, de quo diximus, nomine potius, quam re Christianus: qui quidem vbi Turcam commutatum vidit fideiq. candidatum, componens illius factum cum suo, quasi emersus e tenebris impietatis, lucem cœpit aspicere. cumq. ille eodem pæne tempore post naufragium primam arripuisset tabulam, ipse autem secundam: id est baptismatis ille, ipse autem confessionis sacramento expurgasset animum, non ita multo post collo in laqueum inserto, plenus vterque spei ac fidei, quæ tamen in eo, qui Turca esse desierat, an quia erat recentior, conspicie batur illustrior, migrauit e vita.

COLLEGIVM. CATANENSE

CATANAE quoque nec parũ est hoc biennio, nec frustra laboratum: siue in ipsa statione vrbis, siue in anniuersarijs excursionibus dierum quadraginta. Longum est dicere de omnibus, & molestum, opinor, in singulis Collegijs eamdem quasi formulam repetere: vt de liberatis hominibus aliquot mortis periculo, quod vel sibi ipsi scientes, vel inscientibus inimici moliebantur. de reddita pecunia ingenti, quæ recte teneri non poterat, orta videlicet e malo capite: de restituta Sodalitatis vnius, atque alterius disciplina, quæ videbatur lapsa: de extractis mulierculis a pellicatu alijs, ab infami alijs vulgati corporis quæstu. hæc quidem dici possunt, aliaq. id ge

nus:

nus:sed communia. Hæc fortasse propria. Duæ sunt in hoc Collegio Congregationes, adultorum, & adolescentiũ. vtraque magno vrbi vniuersæ, & suis æquabilibus exemplo. ex adolescentibus quidem duo Societati nostræ nomen dederunt. adultorum vero quo plures sunt, ad plures etiam videtur fructus pertinere. nã cum publice decreta esset domus, ut aliquem quasi portum haberent virgines, in quibus timeretur pudicitiæ naufragium, idq. potissimum stipe, quam vel sodales contulerant ipsi, vel ab alijs expressérant: visum est, vt illi ipsi tam pij operis susciperent procurationem. neque vero id est magnopere mirum: eorum enim tanta est religio, vt quingenti aurei recusati sint ab vno in cuiusdam causæ disceptatione: & a moriente altero ipsa Congregatio heres instituta: extiterit denique vnus, qui etsi medio foro, magnaq. frequẽtia virorum, sine causa lacessitus esset maledictis ac probris, quamquam principio non nihil commotus animo fuit, vbi tamen sese collegit, maledicum patientia fregit, atque hoc responso. At tu ista tam libenter non dixisses, si audisses ea, quæ a me quotidie audiuntur. quo dicto repressus illius furor, & ceterorũ animi ad Cõgregationis amorem incitati. Hæc propter, & similia, quæ Congregatio vtraque dat signa pietatis, quoniam a nostro Collegio proficiscuntur, nos ciues ipsi in ore atque in oculis habent. quamobrem eorum liberalitate, & additum est aliquid ad commoditatem habitationis, & centeni aurei ad annuũ vectigal: & sacellum in templo, quod desiderabatur, primariæ cuiusdam feminæ sumptibus extructum. Hæc

de

de rebus vrbanis: de externis, si vellem, eadem dicerentur. Et vero mirum non est, eadem repeti semper, cum in ijsdem rebus eadem voluntate versemur. sed occurrēdum satietati. itaque breuiter dicam. Vix credi posset quantum superiore Quadragesima, frequentes ciuitates in hac prouincia duæ, Terra Noua, & Leontium vetus, nostris venientibus, vt prospicerent saluti animarum, vt vno verbo absoluā, emerserint. ita, vtrobique, auctore Deo, reuixisse uidetur caritas, quæ refrixerat iamdudum, abundante iniquitate multorum. adiutus clerus & populus uterque. exterminata ex Terra olim nomine, nunc factis & re ipsa Noua, lusus cōsuetudo, altrix blasphemiæ: in eius locum introducta sæpius confitendi. Leontij autem a duobus sacerdotibus (tot enim eo iuerunt, cum tertio fratre) datæ sunt aures centum hominibus ac præterea septemdecim, non reticentibus qua in re per omnem uitam deliquissent ab religione officij Christiani. Septem concubinæ cum illis honeste nuptæ, cum quibus turpiter antea uiuebant. Quid multa? Nostræ Societatis studijs iam capta ciuitas una atque altera, ad Collegium in priuatis sermonibus cupiendum, deinde etiam ad petendum ex Senatus Consulto, tota se mente & cogitatione conuertit.

COLLEGIVM. BIVONENSE. ET Syracusanum.

IN BIVONENSI & Syracusano Collegijs pari nostrorū cū labore, par fuit pro portione fructus, qui & in alijs, maior etiam messis, quam pro numero ope-

operarum: ita ut Biuonæ ipso sacro Circũcisionis die nongenti absterſis peccatorum maculis ad communionem acceſſerint. quod idem de Syracuſis dici meritiſſimo poteſt: ita in Domini agro æqualis ſociorum numerus pari ſtudio uerſatur. Et certe, & hoc & illud Collegium, priore tantum uſus præfatione, dimitterem tacitus, niſi uererer, ne, quia nihil habuerint eximium, prætermiſſa uiderentur. Quod profecto non ita eſt. Biuonæ enim, ut de hac prius dicam, ſuperiorem annum accepimus fuiſſe trium e noſtris mortis cum uita commutatione inſignem. Sacerdotes duo, & frater vnus mortali hic corpore relicto, in terram abierunt viuentium, quam ſibi iam dudum animis uotiſq. deſtinauerant. eluxit autem maxime Pater Iacobus Zarzana, cuius ſuauitatem morum, præſtantemq. virtutem per duodetriginta annos experta ciuitas, ſupremo illius die non grata ſolum memoria, ſed etiam commemoratione proſecuta eſt: quin etiam aliquo ut argumento declararet ſummum, quo tenebatur eius deſiderium, eo ipſo momento, quo expirauit, ad lugubrem noſtræ campanæ pulſum, tum omnia religioſorum cœnobia eodem tenore reſponderunt, tum vero ædes maxima, quæ numquam auditur alias, niſi in obitu nobilium. Sepultus eſt eo funere, quod maximum in hac urbe, concurrentis populi cleriq. uniuerſi ſtudijs, concelebrari poteſt. Illud etiam in hoc patre, octauodecimo poſt die uiſendum fuit: quod cum alterius ſacerdotis corpus in idem ſepulcrum inferri oporteret, nullo morticino halauit odore, quod plerique ſuſpicabantur: ita ut

om-

omnes nec opinatæ rei miraculo quasi ad spectaculum accurrerent. sed de mortuis hactenus. Multæ sunt in templo nostro Sanctorum reliquiæ, quæ & honorifice seruantur, & curationum causa a pluribus, ab energumenis maxime, religiose uisuntur. in his molaris Beati Petri dens, qui quam aquam attigerit, ex ea aqua qui biberint interdum, ij potissimũ qui tertianam febrem aut quartanam habent, sanari solent: quod uni euenit e nostris, qui tertiana laborabat: etsi, ut aliud ex alio, mirandum magis fuit, aliũ quemdam ita grauiter ægrum, ut medici dissiderent, epoto liquore, qui e Sancti Andreæ corpore emanauit, conualuisse. Atque hæc de corporibus. multo enim magis consultum est animis: cum complures fuerint, proximis quidem pacificatione, Deo autem, confessionis beneficio reconciliati. eadem ratione leuata domus quædam nocturni dæmonis præstigijs, qui se Larem familiarẽ esse dictitabat, magnæq. felicitatis cuidam uirgini, cuius se amatorem esse simulabat, auctorem futurum. Hæc pauca de Biuona.

SYRACVSIS autem, quod aliquot ante annis speratũ, a multis tentatũ erat conatu maiore quã euentu, nunc tandem aliquando perfectum est. Iacta sunt siue semina, siue fundamenta Sodalitatis, quæ Deiparam Virginem præcipua colit obseruantia. quadraginta in ea censentur capita virorum nobilium. spes est in dies maioris accessionis. Alterum deinde cõpactum & coagmentatum corpus ex hominum genere tenuiorum, manuq. victum expedientium, qui festo quoque die sacris sermonibus, & diuinarum re-

rum

rum commentationibus excoluntur, Deo videlicet fauente, quo adiuuante similiter, & externum a ciuitate, & a multis internum ciuibus incendium videtur esse depulsum. nam hic quoque opportuno nostrorum accursu compressus est noctu fortuitus ignis, cui nisi occursum esset in tempore, posterior dies bonam partem vrbis ostendisset exustam. & impudicorum praterea faces amorum, & flagrantes inimicitiæ, qua admonitionibus dandis, qua accipiendis confessionibus, extinctæ. In Latomias etiam itum, & in nosocomia, & vtrobique, ijs, qui detinebantur, benigne factum: non in adiuuandis tantum pecunia corporibus, sed multo magis in reficiendis consolatione animis, et confessione purgandis. Inter quæ opera nos quoque respicit Deus. nostrum enim templum pulcherrima Sanctissimæ Matris imagine, & grandi inauratoq. tabernaculo, & geminis eadem materia atque arte Lipsanothecis auctum atque exornatum est. excursum denique Hyblam (proximum hoc est oppidum Syracusis) exceptiq. duo e nostris sacerdotes tanta cum gratulatione, reuersiq. tanto cum fructu, vt triduani illorum, numquam pæne interrupto opere, assiduoq negotio, labores, fuerint magna atque illustri oppidanorum vtilitate pensati.

COLLEGIVM. CALATAIERONENSE

QVO pauciora de Calataierona vrbe dicantur, faciunt ea, quæ in oppidis extra vrbem gesta, commemorabilia videntur. ea autem oppida sex numero fuere. In his, pagus est proximus qui

Græcorum dicitur: quorum etsi non parua pars Latinos Ecclesiæ ritus non sequebatur, effectum est tamẽ, Deo duce, ac nostris administris, vt ipsi proceres, eorumq. exemplum secuta plebs, ad Catholicam religionem, cuius interpres, & patronus est Romanus Pontifex, traducerentur. sed duo præterea ex illis oppidis fuerunt, in quibus a nostris sacerdotibus præclare posita opera: hoc etiam, quam in alijs vtilior, quod fuit, per totam scilicet Quadragesimam, haud paulo diuturnior. Mineum enim, & Melitellum (ea sunt nomina oppidorum) tot se & tam vberes e nostrorum aduentu, & labore fructus testantur cepisse, vt quæ Christianæ stirpes pietatis ad terram deiectæ pene exaruerant, eas irrigatione illorũ & cultura extulisse iam caput in altum, & reuiruisse fateantur. quot enim putatis? quot, & quantas, & quam corroboratas odio ac tempore sedarint cõtrouersias? quot nascentes repressérint? quot impuros hominum mores, qui occalluerant, euerterint? quam dissolutam ac liberam coercuerint in pluribus viuendi & fenerandi licentiam? quam pias consuetudines ipsorum assensu introduxerint? Minei quidem viginti mulierculæ a vita institutoq. meretricio abductæ: quinque piorum hominum Sodalitia constituta: generalis vero confessio, cuius, vt memorabant, ne nomẽ quidem quisquam vllo vmquam tempore fando audiuerat: tanto hominum studio tantoq. certamine animorum obita a tam multis, vt minor multo eorum fuerit numerus, qui prætermiserint. etsi, sex hisce in oppidis, qui vt alterius quasi ordirentur vitæ initium, veteris plane omnis

nis crimina sacerdotibus aperiendo repetierunt, tot fuerunt omnino, vt eorum iniri ratio non commode queat. His igitur, quorum capita solum perstrinximus, hoc modo delibatis, reuertamur ad Collegium. Erga quod tanta est priuatorum, ipsiusq. ciuitatis beneuolentia, vt bis millibus fere ac quingentis aureis attributis, coemptæ sint ædes nostris proximæ, quibus deiectis, ac solo æquatis, area tẽpli, Collegiiq. explicaretur. Tot præterea sunt, qui in nostram Societatem vt admittantur rogant, vt posteriore anno duo & viginti se obtulerint Patri Prouinciali: etsi ipsius permissu duo tantum introducti, reliquis expectare iussis. centum vno anno expiati, facta totius vitæ confessione. Multæ virgines quo facilius adiuuarentur a Deo ad seruandam animi corporisq. pudicitiam, ei se virginitatis sponsione obligarunt: e quibus vna voces & minas excussit cacodæmonis, quæ antea sæpe eius oratione fuerat, aspectuq. terribili, ab hoc conatu repulsa.

PROVINCIA MEDIOLANENSIS

MEDIOLANENSIS Prouincia Domicilia numerat septem, socios in his, decem quindecimue supra ducentos. Domus Professa triginta octo. Collegium Breranum fere septuaginta. Genuense ad quadraginta. Taurinense amplius triginta. Comense duodecim. Vercellense octo. Aronensis Nouitiorum Domus duodecim non pauciores. Vita excesserunt vndecim. Tredecim ad nostrum ordinem adiuncti.

DOMVS. PROFESSA. MEDIOlanensis.

QVAE communia, etiam si non communi modo, euenere Mediolani a Professorum Domo, persequi non operæ est, satis superq. oneris sustincti, res proprias ita scribere, vt æque propositæ materiæ satisfaciam, & præscriptæ breuitati: cuius similiter studio, multa vel propter similitudinem omitti, vel propter longitudinem perstringi decet. Quod præmonitos volui hoc ipso initio, vt ignotanon esset ratio non solum facti, sed etiam consilij mei. Recepta iam consuetudine, certis diebus conuenire solent presbyteri vrbis, de illis rebus consultaturi, quarum cognitio actioue pertinet ad officium eorum: ij summis

preci-

precibus vnum e nostris impetrarunt, vt ardentes animos vehementius incitaret. Instituta est Sodalitas, quæ cum Pietatis nomine susceperit etiam munus adiuuandi pauperes, eos præcipue, qui in carcere detinentur: cum cognomine Romana iisdem officijs legibusq. coniuncta. Dederunt in eam nomina principes ciuitatis. Præclari huius operis non dicã auctores, sed certe consciij & probatores quidam e nostris fuere. ijs quidem præsentibus lustratus carcer a Visitatore Regio, & Sodalitatis institutum iudicibus expositum. ergo a sodalibus, interprete vno e nostris, qui statis eorum conuentibus interest, aut, vt ipsi loquuntur, præst, datur opera, vt & miserorũ prospiciatur corporum necessitudini, & animorum saluti. Docentur rudes elementa doctrinæ Christianæ: audiuntur confitentes, & quidem a multis annis. bis vno anno omnes peccata confessione eluerunt: et quibus erat integrum, cõmunicarunt: sacro per vrbẽ perlato ferculo præluentibus sodalibus, conspicua põpa. Ii mox, ad cumulandum beneficiũ, liberali prandio refecti. excitatum in singulis ergastulis altare sacro faciendo, ac precibus fundendis, quarũ ratio præscripta. haud dubie eorum multi adhuc animis vincti essẽt, nisi tũc corporibus vincti fuissẽt. Atque hæc prior anno. Posteriore enim vnus e carcere emissus, in hũc modum. Septemdecim iam annos exegerat quidã in squalore carceris (vt cõstitit) sine culpa: et (vt erat minime sciens fori, nec persequens litium, per speciem æris alieni, cuius insimulabatur) sine spe egressus. nec fregit tamen insignis iniuria constan-

tem viri pietatem. numquam tam longo tempore, de Deo, aut de hominibus conqueſtus, in ſanctis precationibus dies noctesq. collocabat. Incidit in morbum, cuius vi pæne conſumptus, iacebat in centonibus, quos alius commodarat. audit noſtros aduenisse: vnius conſpectum orat. cui cum patefeciſſet omnia, eam miſericordiam mouit cum admiratione coniunctam, vt de homine liberando laborarit, non ſine effectu. Is poſtea conualuit, & ad Virginis Lauretanæ, emendicata ſtipe, profectus ea mente, vt in religionem aliquam ingrederetur. Sed abeamus a carcere, veniamus ad templum, in quo habitæ conciones Quadrageſima tanto mortalium concurſu, vt multis diluculo ſedes fuerint occupandæ. Nec verba in vanum iacta. Habetis exemplum. Agebat noſter de condonandis iniurijs Chriſti cauſa: penetrauit oratio hominem, cui magnum odium & vetus cum altero, a quo grauiter offenſus: apud ſe ſtatuit, ſimul atque in hominē inciderit, veniam dare, etiam non petenti. vix pedem e templo, in eum incurrit, ſtatimq. protenta manu & exporrecta fronte: Accipe, inquit, & da dexteram: & firmemus inter nos pacem. Diffidens ille tam repentinæ mutationi, ſimulq. metuens inſidiarum, dat ſeſe in fugam, nullo reddito reſponſo. alter, ne incepti operis gloriam relinqueret, ſuaſu noſtrorum, multis comitantibus, pergit ad eius domum, & finem diſcordiæ imponens fide optima, mirantem alterum toto pectore aſtringit. Eiuſdem generis alterum. Vnus ex ijs, quorum audax inopia ad omne facinus impellitur, accerſitus ad vrbem erat a

viro

viro nobili, patrando maleficio. dum expectatur occasio, venit ad nostram ædem, aliud agens: concionem inter ceteram turbam statuit opperiri: sensit primo, concionatori cum dat operam, labefactam mali cupidinem: idq. dum facit iterū, ac tertio, repetitis impulsibus fere iectam. cum ita esset conturbatus, opportunitas tulit vnum e nostris in eas ædes, vbi ipse diuersabatur: prosequitur abeuntem. & apparebat, eum velle loqui, sed impediri pudore. tandem eluctantibus verbis, dolorem fateri commissorum scelerum, & consilium aperire vitæ mutandæ. erigit afflictum pater, pollicetur a Deo veniam: & viam ostendit. dies confessioni dictus: a qua statim religiosam vitam amplexus, tanta vis fuit pœnitendi. Sed immane quantum malus dæmon confessionem aliquorum est conatus inhibere. Vir erat in alijs quibusdam terris religiosus, & pius, sed nimium fortasse simplex, & inanium cupitor. parabat se ad confessionem vniuersa vitæ: corpus suum voluntaria verberatione coercebat: dum instat operi quodam die, detineri sibi sensit flagellum, dein manum torpescere. attonitus metu, Litanias recitare instituit: ubi ventum ad illud, Oremus pro Papa Nostro, obmutuit lingua. eo grauius timenti, vox ex occulto edita, quæ eum nominatim cōpellans: Nihil est, inquit, quod innocens corpus amplius maceres, aut durius tractes, ne ve de peccatorum expiatione cogites iam abolitorum Dei indulgentia. qui etiam te delegit sibi filium, & regni cælestis heredem. Quin tu istam schedulam, in quam tua crimina coniecisti, affer ad templi fastigium lapi-

demq. illi, & prunas superimpone. Fecit quod monebatur. postridie cum rediſſet, nec ſchedula, nec prunæ reperta. Perſuaſum deinde, vt corpus deijceret de excelſa turri. cũ feciſſet ſine offenſa, ſublati ſunt animi: nempe iam ſanctus, iam dilectus Deo, iam Dei filius ſibi videbatur. auxit amentiam adoptationis formula, quam veterator attulerat, tamquam a Deo miſſã. tum vero, vt ſcelera ſunt ſceleribus connexa, deſerit cœnobiũ. tanto magis pronus in luxum, & in malum otium ſolutus. hinc cũ ſe in flagitia omnia ingurgitaſſet, Mediolanum venit, ad noſtros. hic illi ad agnoſcendos diaboli aſtus, Deo miſerãte, oculi aperti. Eædẽ diaboli artes agnitæ in altero, & ab eodẽ narratæ alijs, quos cupiebat inſtructos. Abdiderat ſe quidam parandæ confeſſioni in interiorem domum, quæ vacaret ab arbitris, & interpellatorum metu. dum huc intẽdit, accerſitis omnibus ſenſibus, audit in cubiculo proximo ſtrepitum quaſi inambulantis: inclamat, vt quieſcat, vel abeat. cũ audiret nihilominus, exit, vt increpet voce clariore. neminem videt. credidit effugiſſe. altera die ſub veſperam in eadem cura defixus, recipit ſe in eãdem ſolitudinem. auertit ab intenta cogitatione mentem priſtinæ nocti ſimilis ſonus. egreditur præpropere, vt importunum deprehendat. inuenit nullum. tertio denique die dum hoc agit attentius ſcriptioni incumbẽs, non iam exterior, ſed interior fragor cubiculum, vbi erat, vi ſecluſis foribus irrumpit. pererrat neſcio quis circum parietes, & tergo ſcribentis territurus inſiſtit. intellexit vir prudens timorem nocturnum, eumdemq. fuſa ad Deũ

oratione

oratione discussit. nec propterea minus, immo tanto magis, confessionem peregit. & quidem vno anno aperuerunt delicta omnis vitæ minimũ quadringenti. Mitto iam multos de capitali hoste, qui visus inuisusue premebat confitentium fauces, ne eloquerentur peccata, egisse triumphum. Duo hæresim eiurarunt: & si in altero, nempe, quia bis ad eumdem, mortem multando, maius negotium fuit. Sed quid dicam de restitutione æris alieni, quæ in tam frequenti vrbe, multiplex? Huius quoque generis vnum prometur exemplum. Vir quidam plus quindecim annos non ita bona fide fundum tenebat, vnde quingenorum aureorum annui reditus. Sed culpam retenti, gloria reddiri cum integro omnium annorum vectigali abolevit. Ecce aliud ex alio. Vnus vxorem alterius, quam adulterio pellexerat, quo liberius potiretur flagitij, ad necem mariti impellebat: venenum primo datum erat, sed parum validum: lenti sceleris impatiẽs, præsentius parat. subodoratus hoc vnus e nostris cõuentum e vestigio iuuenem ita a facinore retraxit, vt ei auertẽdo certum hominem legauerit: dein, quia tardius hoc fiebat, ipsemet quadraginta millium spatio contenderit. Duxerat adolescens vxorem, veneficia metuebat: aduersus ea parantem sibi antidotum veneficiorum, vetuit vnus e nostris: sed cum tamen vim maleficam, quam fugiebat, non vitasset, ea se, & fusis ad Deum precibus, & vna cum sponsa audito sacro, feliciter exoluit. Mulieres decem diu peregrinatæ in nequitia, de turpi vitæ statu demigrarunt. alijs pluribus, ne præ fame negligerent famam, opportune

consul-

consultum. earum quædam nobilium matronarum patrocinio, quædam cœnobio sacrarum virginum commendatæ. cœnobia porro virginum nostri, cum rogatu præsidum cohortentur frequentius, auctores illis fuere, vt siue cum inter se domi, siue cum ad fenestras clathratas cum propinquis colloquuntur, de rebus tantum spiritualibus sermonem serant. id cum obseruant cum germanis fratribus duæ diuersæ, vna huns, cui vxor fuerat interfecta, a destinatione vindictæ: illum altera a prodigentia opum, & mollicia vitæ deterret. utraque suo persuadet, ut ad sacerdotem accedat cum proposito confitendi. Obliuiscerer consilij, si ægros dicerem (cui enim id ignarum?) uel aditos in morbo, uel adiutos in morte. sed quoniam duo sanati admirabiliter, de ijs aliquid collocemus. Medicus tenebatur lecto nulla, aut exigua spe curationis. cum eum inuisissent sacerdos, illacrimantem vxorem, filios circumsistentes miseratus, ut imponat super illum manus, Euãgelium pronuntiare instituit. dicturus ea uerba, Super ægros manus imponent, & bene habebunt, quæsiit ab eo, crederet ne, illa a Domino Iesu prolata, habere vim morbi depellendi? annuenti, cum inter dicendum manus imposuisset, salus est reddita. nec fefellit medicum, qui curationi præerat: cum enim ex pulsu uenarum saluum esse comperisset, admirans: Maior, te amice, inquit, dextera seruauit, non mea. neque enim humana es arte, sed diuina ope leuatus Pergraui dolore pedum non angebatur alter, sed ardebat: sic ut ad impatientiam delapsus, & diuinum numen uiolaret uerbo, & diabolum

crebro

crebro appellaret. usurpata tandem peccatorum confessio non animo modo salutaris, sed ipsi etiam corpori utilis fuit. Nec uero in urbe tantum bona aucta, aut mala compressa, sed in eius quoque ditionem late patentem nostrorum industria se extendit. A quattuor sacerdotibus priore anno, efflagitante Archiepiscopo obiti pagi cētum circiter & quinquaginta. Plurimi impositi montibus (ea regio Heluetios attingit) uia angusta, et ascēsu difficilis. ab læua rupes abrupta in miram altitudinem, præcipiti crepidine. & tale erat tempus anni, ut gelu liquescente, hinc e monte decidui lapides uoluerentur, hinc lubricum esset iter procedentibus, soleis licet uterentur ferreis, & baculis, ad innitendum, præacuto ferro suffixo. Sed difficultatem uiarum consolatus est paganorum ardor, & fructus. namque, ut aceruatim multa complectar, cōfitētes auditi duodecies mille. ægrotus unus generali confessione sanatus. piorum aliquot Sodalitates restitutæ. placata odia multorum, cædesq. prohibitæ. Et si necesse est multa præteream, addam quiddam, quod excellit. Quodam in pago erat unus, quem ita stimulabant aculei conscientiæ, ut cum cruciaretur perpetuo, respirare non posset. in hac cura dum consenescit, uisus est in somnis uidere Dominum, qui ægro solatia afferret, diceretq. non ita multo post affuturum sacerdotem, cui peccata tutissimo aperiret. affuerunt nostri, & cum exonerasset conscientiam, solicitudine liberatus. Posteriore anno sacerdotes sex paræcias discretas uiginti, & sex Vicariatus, ut appellant, obierunt. decies mille fuerunt, qui peccata confiterentur,

qui

qui totius uitæ, mille. pax inter parochum plebemq. quæ multorum antea effectibus, quam conatibus uanior fuit, Deo adspirante, composita.

COLLEGIVM. BRERANVM

OBIERVNT in hoc Collegio tres: fratres duo, & Vmfridus Anglus sacerdos, mira vir eruditione & scientia Dei colendi. Magistrorum auditores e primafere nobilitate, octingenti, nisi excluderentur Scholarum angustijs (tam multi quotidie se offerunt) bis mille amplius futuri. Augetur Collegij existimatio, cum aut Philosophicæ theses disputandæ ponuntur, aut declamationes publicæ habentur in templo, magno ciuium affluxu. Binæ iam studiosorum Academiæ, eorum, qui sapientiæ dant operam, & qui elegantioribus litteris. ea res facit, vt multo promptius iuuenes in magnarũ disciplinarum subtilitate, & in oratorio opere versentur. Vtraque Congregatio vetere instituto pietatem seruat. magnum momentum priore anno accessit ad eam, quæ dicitur Minorum, e litteris Pontificijs, cui permissum, vt se cum Romana coniungeret. Nec tantum domi spectatur adolescentium feruor: exterius etiam se effundit. ægrotos adeunt in nosocomijs, eosque alloquio, obsequio, omni officio prosequuntur. Nuper vir pius excogitarat modum, quo baiuli vnum in locum conuenirent, vt de rebus spiritualibus erudirentur. Inceptum consilium promouetur auxilio nostrorũ, non mediocri cum fructu. Doctrinæ Christianæ plu-

rimis

rimis in templis (cuius tradendæ ratio in hac vrbe, vt aiunt, iam diu cœpta) obsoleſcentis vetuſtate, vel negligentia, nobis cura commiſſa, a noſtris legibus minime abhorrens. ea ſic in dies progreditur, vt quo melius conſiſteret, videatur corruiſſe. Huic dum muneri inſiſti vnus e noſtris noſtro in templo, opportuneq. interijcit cohortationem ad plebem, virginem quamdam, quæ eum ipſum diem poſtremum dixerat pudicitiæ (forte cum matre aderat,) ad ſaniora conuertit. narrauit hoc mater gratulans, cum ad templum rediſſet. receptus mos, vt quibus diebus bacchatur hominum effrenata licentia, ijs diebus noſtri per fora & compita coerceant populum præſenti voluptate & conſuetudine corruptum, retentus hoc biennio, tanto alacrius, quanto magis quæ bene ſunt inſtituta, perſpecta vtilitate valeſcũt. In gratiam eodem tempore, & dum doctrina explicatur, reconciliati multi: nec facile æſtimatu eſt quanta vel ex his poſtremis capitibus facta ſit in hac vrbe acceſſio ad pietatem.

GENVENSE. COLLEGIVM

INITIVM Genuenſis Collegij erit finis Patris Franciſci Adorni. etſi illi ipſius vitæ finis multis laboribus exercitæ, initium melioris fuit. ſic corpore erat tenuato, quo quaſi ſuperuacaneo circumdatus, hactenus animum fouebat, vt hominibus ſubueniret, vel cælestia meditaretur. quam tenax fuerit virtutis parendi, docuit in extremo. cũ enim

durante

durante tractu & lentitudine mortis, ad reuocandos semianimo sẽsus porrigeretur sorbitiũcula, defectis q. iam viribus non sentiret, adeo non intelligeret: simul valetudinarius insusurrauit ad aurẽ, ita iussum a Patre Rectore sustulit semimortuũ caput, haustoq. poculo, post paulo tenuem spiritum efflauit. afflatus honor fronti, suauisq. diffusus ori color, vt sanctæ domicilium animæ, eius lætitiam egredientis sensisse existimaris. Et aspectabatur patris forma pulchrior humana insatiabilibus oculis: et vbertim ibãt interea lacrimæ, nec osculis parcebatur. eũ secuti sunt postero anno item sacerdotes duo: quorum alter fuit Stephanus Baroelius: is nimirum Baroelius, qui liberatum se olim, Romæ, grauissimo morbo, Patris Nostri Ignatij precibus fusis ad Sancti Petri in Monte Aureo, memori mente prædicabat. Sacerdotes reliqui superstites nihil prætermiserũt ex ijs rebus, in quibus officiũ agitur Societatis. Disputat vnus rogatu Archiepiscopi in principe templo de officijs hominis Christiani: quam vtiliter, declarant confessiones vel a prima pueritia repetitæ, eæ vno anno quadringẽtæ fuere. In gratiam cum inimicis redacti multi. Designauerat vnus certa die inimicum ad cædem: pridie insidiarum, Deo disponente, ex colloquio cum vno e nostris, ita immutatus est, vt deposuerit odiũ cum consilio nocendi. laqueo nonnulli, ferroue ob tædium curarum sibi mortẽ afferre cogitantes, reducti ad spem viamq. vitæ melioris. agnouerunt aliqui dæmonis præstigias, quibus illudebantur. hæretici tres ex Anglia huc aduecti, ad sinum Ecclesiæ Catholicæ

tholicæ nostrorum hortatu redierunt. vnius ex ijs constantia blandimentis minisq. inutiliter oppugnata. interuisæ interim triremes, & auditæ confessiones nauticæ turbæ. non desitus adi i carcer. & reuocati fontes puniendi morte ad Christianam firmitudinẽ. Exempli causa. Vir erat audax & maleficus, multa scelerum fama, quæ horribili tormentorum patientia, etiam compositus cum ijs, qui se vidisse testabantur, tanta vocis, & vultus seueritate occultabat, vt, quamuis certa, labarent indicia. Hic tandem, siue quod videret nullum silentij emolumentum, siue arguente conscientia, liberrimæ confessionis gloriam amplexus, sponte edidit facinora, quæ admotis cruciatibus, vt promeret, subigi non potuit, suoq. se condemnans indicio, qui toties Deum offendisset, edixit esse quamlibet crudeli morte dignissimum. igitur peracta accusatione, lataq. sententia, accersitus sacerdos e nostris rite expurgatum hominem et pane Angelorum refectum ita roborauit aduersus mortem, vt eam sibi expetendam esse dictitaret, eluẽ dis maleficijs, quibus vitam contaminasset. Et ad eã se duorum dierum ac noctium continuatis precibus, voluntaria etiam inedia comparabat. Quin, vt perferret fortius acerbitatem dolorum, uouit, sacerdote penitus nescíente, omnia eius imperata se enixe facturum. Ea parabat subsidia: vt si forte memoria defeciisset, constantiæ admoneretur. raptatur ad supplicium, obligatis pedibus ad caudam equi, capite verrente terram, & ad offensum lapidum persultante. vniuersa ciuitas ad spectaculum se effuderat. addi

tus

tus erat tortor, qui flammante forcipe membra carperet repetito cruciatu: qui etiam præcidit illi manum: cum is interea in omni pœna tam altos spiritus gereret, vt omnibus attonitis, plerisque illacrimantibus, nullam ederet vocem, qua semet miseraretur: quasi ea supplicia in alieno corpore exercerentur. rogabat idem patrem, iuberet stridens ferrum imprimi altius, dolori asperando. laqueum iuxta, orauit primum circumsistentem multitudinem miseratione simul & admiratione defixam, vt deprecabunda Deum placaret: cohortatus deinde omnes vt illud exemplum pro documento acciperent vitæ instituendæ: Reuocari, inquit, præterita mea facinora non possunt, vestra, ne accidant, prohiberi possunt. Et quãquam ego meritissimo tollor, non tantũ ideo tollor, vt peream, sed vt alios pereundo deterream. His dictis, & factis: adstante semper vno e nostris, is, qui vitam inuisam omnibus duxerat, ciuibus mortem approbauit. Vnus ex eodem genere hominum a summa obstinatione ad magnã animi tranquillitatem traductus. Sodalitiorum, de quibus alias dictum, assueta munia, vberiore cum fructu. Sæuiente annona, delectus locus commodus & saluber, in quo, agmini miserabili, quod eo vndique confluebat, tum corporis præberentur alimenta, tũ elementa doctrinæ. Hæc dum alijs locis traditur, atque intermiscetur tẽpestiua cohortatio, adolescentulus decennis, aut non multo maior, qui orbatus parente, vltra ætatẽ paternas inimicitias pertinaciter animo persequebatur, sic permotus est, vt prostratus ante aram, professus sit

cum

cum lacrimis, se acceptam iniuriam ob patris cædem, ignoscere, quam persequi malle: idemq. regressus domum, persuaserit matri: quæ & continuo implexa luctu, & longo dolore atrox, nihil aliud instillabat puero, nisi, cum primum per ætatem posset, interfecti patris vltionem. excurrētes viri ex ijsdem Sodalitijs, erudiunt quoscumque, ac teneram præcipue ætatem, quæ rudis malorum morum, ad virtutem facillime flectitur, eamq. imbuunt amore diuino. Puella ab ijs instituta, ardens Eucharistiæ cupiditate, cum ad eam se pararet generali confessione, correpta est febri: nec longe aberat a morte: sed vbi primū, a parocho, cognita probataq. eius voluntate, quæ se mori dicebat desiderio Christi corporis percipiendi, compos voti effecta, cum sanctissimo Sacramento sanitatem recepit. Sabata vrbs est, vna Genua excepta, totius Liguriæ nobilissima. huc, rogante Episcopo Centurionio, missi quattuor e nostris: præter cetera, in quibus natuatum est studium ciuium saluti, piorum Sodalitates duæ restitutæ, quæ erant prolapsæ: institutæ aliæ duæ virorum feminarumq. caritatis opera exercentiū. obuiam itum quamplurimis maleficijs: ira, improbitas, cupiditas multorum coercita. Quidam larga mercede ad flagitium mulierem tenuem, filiamq. coegerat, vt illius patientia abuteretur, huius forma: sed procurante vno e nostris, tam iniqua pactio rescissa. Audierat quædam decora mulier, cui calamistrata coma multum adijciebat ad reliquam pulchritudinem, nostrum pro suggestu dicentem, quam cuncta rerum humanarum instabilia essent ac fluxa, quantoq. se sce-

lere alligaret, qui sceleris alieni auctor esset. vt domum rediit, præcidit sibi longiorem capillum, ne eius dispositu callidus venandi pro laqueo vteretur. Hæc priore anno. Altero reditum a duobus. et primum ex Episcopi cohorte auditi aliqui de peccatis totius vitæ. in ipsa vrbe turbatus lusus damnosæ aleæ, choreæ rumq. & cantus lasciuia prohibita. in grauitate annonæ cum Antistitis liberalitas sustentaret paupe-res cibo, eosdem nostri sacro instruebant alloquio. e transfugio mulier ad cœnobium remissa. Quadragesima habita concio in oppido suburbano: vbi detecta uersutia diaboli, qui peregrinum assimulans, ita imposuit feminæ, vt eam adegerit, stupentibus illis baronibus, ad concionandum. aliud deinde aditum oppidum. hic senex initiamenta Christiana, quorum erat penitus ignarus, intra quadrantem horæ addidicit: institutumq. ex occasione Sodalitium Doctrinæ. In alio denique pago præclare posita opera, nostrorum laborem Dominicanis adiuuantibus. Sacerdos in alia profectione curiones duos diuersos cum curialibus reduxit in gratiam, sacrarumq. ædium ornatum alibi auge ri curauit, alibi restitui.

TAVRINENSE COLLEGIVM

LEVATI duo e vinculis corporis. astrinxerunt se Societati vndecim. eorum vnus, cum parentes turbarent, miscerentq. omnia, sua sponte domum rediit, nec nisi illis placatis pacatisq. ad Collegium reuertit. Priore anno, e duabus Congregationibus,

bus, quarum altera domi nostræ, altera in contubernio Conuictorum, conflata est vna sub nomine & tutela Annuntiatæ Virginis, eaq. cum Romana coniuncta, sacello satis amplo extructo. Posteriore anno Sodalitium institutum virorum, ætas quorum prouectior, et dignitas amplior. in ipsam adscripti senatores multi, aliquot etiam Sabaudiæ familiæ, quæ est stirpi Ducis annexa. Duæ præterea constitutæ Sodalitates, Cathecumenorum vna, matronarum puellis Christianæ fidei rudimenta tradentium, altera. excitatur vtraque octauo quoque die cohortatione nostrorum. qui eodem officio prosecuti sunt pauperes, quos Dux liberaliter sustentauit, cum fame affligerentur. idem Dux cũ aliquãdo ad nos venisset cum Sereniſſima Infante, tẽpli gradus curauit suis sumptibus e marmore extollendos. addita vestis ad sacrorum ornatum cultu pulcherrimo. excitatum tabernaculum Christi corpori condendo, quo nullum tota vrbe magnificentius. datus adamas eximius, vt eius pretio comparetur cymbium Eucharistiæ asseruandæ. Atque hæc fere domestica. Superest, vt simili breuitate, externa perstringantur. Exercitationibus spiritualibus imbuti multi, atque in his, summa eius gratulatione, qui erat a Pontifice Nuntius. Hæretici decem, nostris auctoribus, resipuerunt. Persuasum vni, vt quam habebat pellicem, duceret vxorem. viris præterea aliquot, vt quam sinistram habebant de coniugibus opinionem, deponerent, simulq. de earum cæde consilium. vnum eorum postea Dei Matris aspectus incredibili voluptate perfudit. Impura mulier, cuius domus erat offi-

cina uenalis pudicitiæ, a turpi mercatu abducta. unus qui vitio mentis, an diaboli impulsu, intra templi ianuam penetrare vix audebat pedem, nunc tandem a fanatica formidine deterritus. ac ne omnia compendio. Erat sacerdos in templum circa meridiem, vt venientibus præsto esset. nec longum tempus in medio. limen ingreditur quidam, quem pertinax dolor effugere colloquia & cœtus hominum cogebat. neque id difficile fuit cognoscere. ita flexo in mœstitiam ore, erat manifestus magnæ cogitationis. igitur clementer hominem appellat, varioq. sermone, nunc monendo, nunc miserando, nunc lætiora subijciendo, eo tandem pertraxit, vt animi vulnus amice aperiret, quod vel ipso tacente vultus loquebatur. nempe consilium moriendi ceperat. cuius perficiendi tempus non tam differebat, quam commodum morabatur. sed spirituali medico causa ægritudinis cognita, facile fuit adhibere curationem. Accipite aliud non paulo admirabilius. Vnus ex ijs, qui pietatis causa sunt nobis familiares, pedibus iter faciebat, multa secum portans nõ minimi pretij: cum aberrasset a via, multo iam noctis sensit in medios latrones delapsus: quorum etiam voces non longe audiebat deliberantium: parcamus vitæ, dum auferamus bona. hoc ille tempore cum agitaret multa varius & incertus, quoniam meminerat nos dicere, vbi nulla se dant humana subsidia, suppeditare diuina, quanta maxima potuit animi submissione, in vota effunditur, Dei Matrem implorat, manus & supplices voces ad cælum tendens. neque irritus. conspicatur equum, nec stratum, nec infrenatum ad

se ad-

se aduenientem, & fere inuitantem adscensum. vtitur tempore, insilit apprehensa iuba, eo iturus, quo duceretur. is concito cursu receptum sessorem refert ad notas domini ædes, vnde prius discesserat, gemina ta lætitia.

ALIQVOT. MISSIONES.

LVSTRATI vtroque anno de more varij pagi, villæq. proximæ ex ijs hæc pauca scribentur. Hæretici nouem Catholicam fidem respexerunt. alij multi verbis se ostenderunt a regno Dei propius abesse. Bricheraschi (oppidi nomen) conglutinata pax inter quosdam, quorum vincula cognationis perruperat dissidium animorum. Quidam falso damnatus, cum probrum damnumq. silentio transmittere, tantum abest vt obliuione, non posset, vbi doctus est, id frustra & perperam fieri, ita demum instituit animum ad recte moriendum, vt præmunitus Ecclesiæ Sacramentis, magnum argumētum dederit salutis post mortem, quando mortuus est tanta animi æquitate. Sacerdos alter quattuor inuisit nobiles pagos huius ditionis: atque, vt omittam sollemnem supplicationem vnam atque alteram, qua excitatus feruor Catholicorum, cum hæretici verentur: restituta Sodalitas, cui nomen a frequenti communione (quot Kalendis sodales communicant) Hæc instituta quattuor ante & viginti annos, vt memorant, a Patre Antonio Possenino, exoleuerat. In alio oppido, iuuenis, qui aut simulatione stultitiæ, &

dulcedine otij, siue imbecillitate mentis, a matre ad vllum omnino negotij genus adigi non poterat, redditus est parenti obsequens, & patiens laborum. Sacerdos missus cum Marchione Estensi ad Lucenses aquas, in pago quodam dedit operam vt viri inirent cœtum, eo fine, vt cũ templo effertur Eucharistiæ ferculum, eo vsatur incessu & apparatu, quo debet. Venio nunc in vallem, Petrosam nomine, sed iam, Dei, benignitate, nostrorumq. subactu ita excoli cœptam, vt spes sit elaturam fructus vel cum centesimo. frequens hic introductus vsus Sacramentorum, quem, quia, vt fit, improbi negligunt, hæretici contẽnunt: aduersus animos aspernantium actum est verbo Dei, aduersus ora maledicentium, edicto. iussi enim ab eo, qui habebat potestatem, sine vllo strepitu armorum, ni hæresim abdicerent, solum vertere. quod aliqui maluerunt pertinaces, aliqui ad meliora flexi. Quodam alio in pago idem sacerdos auctor fuit, vt aream emerent hæretici, ijdemq. pecuniam darent templo struendo, quo Catholici vterentur. quin etiam decumam se daturos singulis annis publica pactione spoponderunt. ita auget in dies res Catholica. Minister hæreticus cum in disputatione victus discessisset a nostro, victorem se, & victum illum fuisse iactabat. rebus instrenuus, lingua promptus. sed non diu dilata vltio. cum præceps cecidisset e schalarum gradibus, & grauiter corpus offendisset, gestamine lecticæ sublatus est ad alium pagum multis millibus distãtem. Pro prodigio hoc habitum a multis: at quod sequitur, ab omnibus. Immenso auctu excreuerat flumen,

mien, vastaq. inundatione loca etiam longinqua implebat. Sed cum præter cetera incommoda, quibus affecit hæreticos, binas eorum ædes funditus proruisset, mediam Catholici aream reliquisset intactam, pro voce acceptū est numinis, meliori causæ fauentis.

COMENSE. COLLEGIVM

EFFECERVNT tandem nostri quod curarunt diu, vt hic quoque duplex celebraretur cœtus virorum feminarumq. qui in templo nobilissimo teneriorem ætatem imbuant præceptis Christianis: promouit opus sacerdos vnus gratiosus ciuitati, qui obitis domibus plurimorum, delectum eorū habuit, qui essent aptiores ad discendum: idq. adeo acceptum gratis animis ferunt, vt iam & re fruantur præsenti, & spe maiore erigantur posteri temporis. Secundo anno, qui frugum caritate insignis fuit, stipem nostri emendicarunt plerumque, sustentandæ pauperum inopiæ: qua re admoniti iecerunt fundamenta Sodalitatis nobilium, qui octauo quoque die capita conferunt in Collegio, vt applicent consilia necessitati. sunt etiā in hac vrbe, vt & Insubriæ in alijs multis, puellæ, quæ exemplum Vrsulæ Virginis secutæ, cuius nomine insigniuntur, & patrocinio, castitatis voto se Deo obstringunt: matronæ his præficiuntur de nostrorum consilio duæ, quæ sanctimonia iuxta & ætate venerabiles, in tectis a strepitu remotis eas ita instruunt, vt magna hinc soboles, & propagatio cœnobiorum adolescat. ex his autem virginibus

vnius illustris est in graui & diuturno morbo cõstã-
tia, vt inter exempla numeretur. octauum iam an-
num non surgit a lecto. ægrotatio, cuius origo & pro-
gressio ignorata medicis, miraculo: ipsam, vt acerbi
dolores distendunt corporis, ita solidæ animi volup-
tates sic afficiunt, vt harum recordatione illi obruã-
tur. si qua pars vacua temporis, precationibus in-
sumitur: his dum insistit aliquando, vidit claro in
lumine speciem quam pro humano habitu augustiorẽ,
uiri, eo uestitu, qui est proprius nostrorum: hoc uisu
etsi illa primum territa, suspectans illius dolos, qui se
transfigurat in angelum lucis: post paulo tamen mi-
rifice recreata, sicq. illustrata mente, ut & Ignatiũ
illum fuisse dicat auctorem nostræ Societatis, a quo
excitata ad laudem obedientiæ: & non uanum fuis-
se uisum, rebus, studioq. præcipue illius uirtutis ostẽ-
dat. est enim, simplicitate fortasse ingenij, inferior
sexus, habilior ad pietatem. Adolescentula quædam
eo flagrat Dei colendi amore, propterq. Deum adiu-
uandi proximi, vt non admodum in re magna suo prã
dio interdum collato in pauperes, sine molestia diur-
nam continuet inediam. aliæ sunt abstinentia, corpo-
ris vexatione, chameunia insignes. Sed hæc, quia com
munia, scilicet prætereantur. Degustarunt aliquæ nõ
nihil de commentationibus rerum sacrarum: vnaq. cu
ius antea ornatus corporis erat amœnior, ita affecta
est desiderio rerum cælestium, vt mortalibus se non
tradens, sed commodans, earum vsu, non cultu, fi-
niat modum. aliæ non parum de muliebri mundo suo
dempserunt ad decus templi. quod vt sit ornatius, ho

norem

norem maximum putant, inornatas videri. Sed ponatur aliquid de viris. Triginta, annorum omnium culpas confessione exposuerunt. Vir vnus, qui voluntaria morte quærebat requiem ærumnarum, ab eo consilio depulsus. Quidam, qui omnes ad inimicum oppri mendum artes conquirebat, mutata volũtate, ad eius se amorem conuertit. Illustrissimi Cardinalis ea quæ solet erga nos beneuolẽtia, posteriore anno illustrior. eius donum templo nuper condito reliquiæ Sancti Amantij, quem Theodosij Imperatoris nepotem fuisse crebrior fama. aperta arca, in qua erat linteatum corpus, Alexandrino tapete inuolutum. inuenta laurea, qua cinctum caput fuisse existimatur. folia coronæ adhuc viridantia, cetera incorrupta, non integra solum specie, sed pæne recenti. modo posita dicerres. ægri incolarum, & laborãtes febri, hinc remedia petisse memorantur.

VERCELLENSE. COLLEGIVM
Et Aronensis Nouitiorum Domus.

INTANTA rerum similitudine vestrũ tædium expectarem, nisi intelligeretis, mihi, quæ accepi reddenda, & interdum ijsdem verbis, quod inuerti non possint. In VERCELLENSI, schola doctrinæ Christianæ maiora in dies capit incrementa. Sodalitati viris feminisq. coalitæ, cum in operibus misericordiæ, quod proprium munus habet, segnius versaretur, nostrorum cohortationibus ardor iniectus. In magna frumenti caritate curatum vt

paupe-

pauperes, ij precipue, quibus fame potior pudor, abinopia defendantur. A concionibus multa in singulos extiterunt bona inuitatu ad frequentem confessionē, & obstructis aliquot vitiorum fontibus in ciuitatem vniuersam. ædes autem vsque adeo celebratur, vt sit decretum publice de ea laxanda. In Prouinciali synodo Proepiscopus, qui multum tribuit nostrorum fidei ac diligentiæ, eos potissimum delegit, a quibus Latina haberetur oratio, & concio rei ac tempori opportuna.

ARONAE his duobus annis, singulis laici singuli demortui. Priore Ioannes Maria Villerus, qui septuaginta annos vitæ, viginti Societatis explerat. Magna vir submissione animi, &, cuius cupido nouissima mortalibus exuitur, gloriæ contemptu sunt qui tradāt, decimo ante die, quā moreretur, prædixisse mortem. Altero anno vnus ex ijs, qui probationis causa recepti. Ceterum ex hac Domo pagatim missi, præsertim trieterici, solatio omnibus, saluti multis fuere. Quem in pagum proficiscebātur, eo in pago nisi concione absoluta, req. diuina, nemo ad opus exibat. præoptabant scilicet fructū animarum cuilibet emolumento rei familiaris. Confessionem a primis annis repetierunt amplius centum. Nam quid dicam de plagiarijs, aut peculatoribus, ad reddendū inductis quæ in rem suam conuerterāt? Ex publico cuiusdam oppidi agro nonnulli plus minus ue, vt cuique erat commodum, occuparant. multum ea res habebat indignationis: & quibus oneri erat, conquerebantur. finibus regundis mensores missi. hic

si. hic finis sermonum & querelarum fuit. In aliquibus pagis annona fere continua laborabatur: succurrit, vt potuit, sacerdos noster collectitia stipe eorum necessitati præsenti subsidio: sed vt occurreret etiã calamitati futuræ, quoniam propemodum singulis annis spem mentiebatur seges, grandine messem contũdente, veritus ne Communi illi non expiatũ aliquod delictum hanc tantam efficeret uastitatem, persuasit, ut publico nomine ab Romano Pontifice peteretur uenia & absolutio: ubi ea concessa, & felix hostia, omnis quam chorus comitabatur, circum omnium agros ijt, annus uberior prouenit. Quidam, qui in rixa, trunco per uulnera corpore fuerat relictus, fratribus licet manẽtibus in odio implacabili, ita libere uenit cum percussore in amicitiam, ut eum coram sacerdote amplexus, remiserit quinquaginta aureos, qui offerebantur reficiendis impensis. Grauis etiam, ac diuturna extincta dissensio duas inter Sodalitates, quæ aliquando cum altercatione congressæ, certamine irarum ad iurgia uenerant: & magni motus, quacumque data occasione, metuebantur. fuit hoc magni laboris. Quippe turbas & discordias quicumque concierit: pax & concordia auctoritate & consilio indigent. Sed eo maior omnium gratulatio consecuta. Alio quodam in oppido mira diaboli arte imminuebatur Dei cultus. illudebat formis, quæ speciem referebãt uariarum ferarum: circum aram templumq. omne monstra visebantur: ipse sacerdos ferino capite, fronte cornibus asperata. ludibrium oculorum imponebat animo. Labefactis terrore animis, religio nutabat.

tabat. Sed vbi has præstigias præstinxit Dei clemẽtia, reddita sua oculis lux, nube erepta, & fallaciæ euanuerunt. Nouariẽsis Episcopus, qui apud Regem Catholicum in Hispania Pontificium Nuntium agebat, vehementer egit nobiscum, vt aliqui in suam diœcesim iter curasq. intenderent: viro optimo nostriq. ordinis in primis amico resisti non potuit. missi sacerdotes duo. Qui porro e concione percepti fructus, multoq. magis e frequenti confessione, quæ nonnumquam diei ortum ducebat in uesperam, etiam si non adscribam, facile a vobis existimari potest. Reuocatæ piæ Sodalitates, sanctæq. consuetudines, quæ obsoleuerant. multorum odijs finis impositus. inter canonicos & parochum multorum annorum sedata discordia. Duos inter pagos lis de finibus orta, quæ (vt est sæpe pertinax) nisi æquitate & conditionibus dirimatur, dijudicatur cædibus & ferro, nostrorum interuentu dirempta. Rheticus dynasta, quem olim sermo Borromæi Cardinalis, sancta memoria, in spem induxerat posse aliquid in sua ditione ad Dei gloriam effici ope Societatis, nostros accersiit: ierunt bini sacerdotes: quorum magna fuit tũ in via, tum in commoratione, famis, frigoris, laborum patientia: vi ctui, castaneæ: potui aqua: cubile, terra. sed firmabat animos caritas Dei, & lucrum animarum, quod erat in manibus. et experiendo probabant multa esse dulcia facientibus, quæ cogitantibus immitia videantur. ergo in illa paupertate, multos diuinis opibus locupletabant: in fame, cælestem panem, qui explet hominum desideria, præbebant: in frigore, ea, quam habebant

habebant

bebant oratione, audientium pectora incendebant. Catechismo pueri adulti q. instructi. Astricti pagi illis legibus, quæ, quamquam a Borromæo latæ, negligebantur. oppressa multorum dissidia: sic enim dicebant, debere se quodcumque studium nostris, & iracundiam suam per amorem Dei rogantibus, dimittere. Ceterum quanti eos facerent, quod sequitur, abunde declarauit. Quidam coniectus erat in custodiam: quod cum solos tres quattuor solidos furatus esset, capitalem fraudem admisisse videbatur: itaque lege cõdemnatus. at nostris hoc nimium videri. Igitur alter ad reum, hominẽ vt consolaretur: alter ad iudicem contendit. flectebatur ille ad patientiam, hic ad misericordiam nullo modo. Nempe sententiam lege latam: reuocari non posse nisi a delectis a populo. ipsius permissu adhos causa defertur: tantiq. fuit caritas nostri, vt reum omnibus fere suffragijs absoluerint. Hoc vbi perlatum ad hominem iam sua spe, nuper etiam omnium opinione damnatũ: quo gaudio acceperit nuntiũ, quas grates illis egerit, quos antea expertus erat solatores, nunc auctores vitæ: non difficile suspicari coniectantibus, hæc inter duo quantum interfit.

VENETA PROVINCIA

PROVINCIAE Venetæ duodecim domicilia sunt. In quibus hoc biennio e nostris tercentum: etsi posteriore anno his plures duodeuiginti fuere. Nempe. In Professorum Domo Venetijs quadraginta. Patauij quinquaginta. Quattuor & quadraginta Brixiæ. Vigintiquinque Bononiæ. Ferrariæ vnus & viginti. Vno minus Veronæ. Parmæ Mantuæq. senideni. Quindecim Placentiæ. Par numerus in Foro Liuij. Mutinæ duodecim. Nouellariæ postremo in Probationis Domo ad septem & triginta. Ceterum superiore anno sedecim adscripti in Societatem. Proximo septẽdecim. Et illo quidem vnus defunctus. Hoc autem quattuor: tres sacerdotes, & coadiutor temporalis vnus.

DOMVS PROFESSA

INGENS eorum numerus, qui se generali cõfessione expiarunt: ita vt sacerdotes complures priore anno quadragenas acceperint. Inter illos autem, qui Dei instinctu alterius quoddam initium vitæ videntur exorsi, enituit vnus e nobilissima familia, qui cum se spiritualibus Societatis nostræ commentationibus informandum tradidisset, quo celerius curreret in via mandatorum Dei, sacerdos factus, quotidie in templo nostro magna cum ciuium admira-

admiratione ac lætitia rem diuinam facit. Spectata etiam vnius e nostris industria, quem sibi hæreticarum causarum quæsitor adhibere solet in consilium: hic enim duos præcipue peruersæ mentis homines, atque obstinatæ, ad saniorem retraxit. Eorum vnus ex infanda Anabaptistarum hæresi, quam etiam erat circumcisione professus, vrgente illo, ac peruincente, se eiecit, atque extulit: hoc profecto difficilius, quo multos iam in ea annos impia consuetudine, quæ peccandi licentiam aluerat, pertinacius hærebat. Hanc igitur in Anabaptista singularem Dei clementiam suspexit ciuitas: eamdem sequenti anno agnouit in alio: qui cum totis triginta annis (tot enim natus erat) quantum poterat cogitando recordari, semel tantum peccata sua sacerdoti aperuisset, & cum Turcis coniunctus magno vsu familiaritatis, eorumq. factus sectator, & æmulus, Christi diuinitatem, Beatæq. virginitatem Matris spurcissimo ore pernegaret, Sacramenta obtereret, cõpluribus calicibus, crucibusq. confractis: Dei tandem impulsu, qui neminem vult perire, sed in malos supplicia sustentans, dat ijs tempus, occasionemq. pœnitendi, resipuit: impiamq. amentiam, quæ multis iam emanarat indicijs, coram inquisitore eiurauit. Idem factum nostrorum hortatu a muliere quadam cum filijs duobus, & ancilla, qui se se consimili vesania in easdem Turcarum sordes immerserant. Sed longum nunc esset, nec fortasse necessarium commemorare quot subuentum sit inopum necessitati, quot cõsultum pudicitiæ puellarum: quot, a diuitibus contributo ære sumptuq. collocatæ:

quot

quot ab instituto meretricio abductæ: quot res ab iniustis possessoribus & quantæ suis dominis restitutæ: quam sint restincta odia, rixæq. multorum: quot piorum fultæ Sodalitates, quæ nutabant: quot etiam non sitæ ruere, sed erectæ, quæ cadebant. Cetera quot sint præstita eiusmodi, quæ propter nostræ professionē Societatis, non Venetijs modo, sed omnibus in nostris locis, etiamsi de me non audiatis, arbitrari potestis. Vnum hoc tacitus præterire non possum, in quo vis diuina euidenter apparuit. Templum nostrum est propinquum valde Domui Cathecumenorum: quamobrē fit, vt qui reiectis tenebris vanarum superstitionum luce diuinitus immissa ad Christianam religionem se applicare decernunt, apud nos erudiantur ijs capitibus, quæ ad fidem pertinent, nostroq. in templo plerique baptizentur. Ex horum numero fuit adolescēs vnus Turca: qui cū a naue Christiana captus esset in Illyrico, vinctusq. teneretur: quoniam aliquid aliquando inaudierat de Christi numine ac potestate, secum reputans, fore vt eius ope liberaretur: implorato ipsius auxilio, simulq. se Christianum fore pollicitus, si effugeret: post has veluti conceptas preces, tristior obdormit: Vix hora abierat, cum se solutū simul somno, & vinculis animaduertit: ceteros autem omnes arctè grauiterq. dormientes. Igitur diuino vtitur beneficio, Christo fretus fugam arripit: nec eum excitati custodes assequi potuerunt, quamuis auidissime sequerentur. In Christianorum namque loca contento cursu peruenerat. Inde Venetias. vbi quod votum feliciter nuncuparat, fideliter exoluit. Ad templi ornatum

natum lychnus accessit pensilis ex cælato argento a fabre factus e multatitia pecunia, quam pomparum Censor (hoc nomine est apud Venetos magistratus) huic operi addixit. Duo præterea candelabra: lignea quidem illa, sed ita appositè distincta auro, tantoq. artificio, vt tabernaculo ipsi, quod similiter est inauratum, mirifice respondeant.

COLLEGIVM. PATAVINVM

DE DVABVS Sodalitatibus Beatæ Virginis deq. nobilium adolescentium, Venetorum præcipue, qui alteram obeunt, admirabili studio, & ardore mentis ad pietatem scriptum est annis superioribus. Ex vtraque duobus hisce annis, quamquam plures Societatem nostrã expeterent, potestas tantũ facta est octo, magna spe virtutis & ingenij, vt in eam cooptarentur. Inter hos Germanus fuit adolescens, qui cum in patria flagraret nostræ religionis desiderio, obtinere non poterat aditum, nisi si patrẽ virum clarissimum, a quo multa in nos constiterunt officia, magnæq. apud Rodulphum Imperatorem auctoritatis, antea exoraßet. Eius porro pater, alia omnia. Quin potius illum, vt aberraret a proposito, studiorũ obtentu in Galliam primum, deinde Patauium amandauit. hic ergo cum esset, facta nempe cæli non animi mutatione, in Beatæ Viginis Sodalitium aggregatus, eadem cupiditate æstuabat Verum, vt fit in eiusmodi deliberatione, cum ex vna parte statueret sibi patrem inexorabilem, simulq. expenderet quantum haberet

eris ad Euangelicã turrim exædificandã: ex altera vero religionis pulchritudo, diuinæq. splendor gloriæ fulgeret ad oculos: hoc tam ancipiti consilio suspensus, propensus tamen in melius, diuino instinctu procumbit in genua, vt sese voto obliget Deo. Sed cum eius vox, vt exitus postea declarauit, dæmonum astu impediretur, obstupefactus animo, Beatum Paulum, in quem singulari pietate ferebatur, patronum appellat. Neque irritæ preces. Visus confestim eum cernere sibi supra caput fulgenti gladio diras abigentem dæmonum pestes, posteaq. hortantem audire, magno vt animo votum susciperet: id namque ipsi gratum Deo, & acceptum fore. Qua re confirmatus, sanctiq. Apostoli aspectu & sermone recreatus, se voti sponsione obstrinxit: quod etiam paucis post diebus, cum ei nec opinanti totam rem pater per litteras permisisset, impleuit. Data superiore anno in Collegio tragœdia perillustris, cuius argumentum Beatæ Iustinæ (cuius hæc ciuitas patrocinio nititur, & sacrosanctis reliquijs gloriatur) martyrium fuit: tanto apparatu, tanto concursu vicinitatis, tanto cum ageretur silentio (quod sane perquam mirum est in ea vrbe propter frequentiam licentiamq. iuuenum, qui confluunt studio litterarum) tanto denique, postquã peracta est, plausu, tantaq. approbatione conuenarum & ciuium, vt in multorum animis erga fortissimam Christi Martyrẽ excitata sit aut amplificata potius veneratio, et eorum, qui ad nostras ventitãt scholas, auctus numerus ac diligentia. Ex his fuit vnus aliquando, qui cum magnis conficeretur solicitudinum

aculeis,

aculeis, scrupulisq. ex recordatione vitæ prioris, nullamq. animo prorsus ægro & saucio quietem capere posset, spem omnem salutis suæ in Beatissimæ præsidio Virginis repositam habebat. Ergo eam precatur suppliciter, orat, vt ferat laboranti opem, mœstoq. succurrat: ei se commendat etiam atque etiam quotidie: in quo cum perseueraret studiosius, hanc sibi vocem articulate ad aures peruenisse cõmemorat. Noli fili amplius cogitare de peccatis tuis, quo audito, impetratæ spe veniæ sese erexit, omnisq. quæ angebat illũ cura, cõtinuo resedit. Explicatur doctrina Christiana non pueris solum in omnibus fere templis, sed & in publico interdum idiotis rudibusq. interiecto nonnumquam ad permouendos ad pietatem animos sermone salutari. Qua in re contigit aliquando, vt quidam qui festis diebus Symphonia & saltatione oblectare plebem, & ex eo victum sibi quærere solebat, cum in similem incidisset sermonem ita afficeretur, vt omne se instrumentum Musicum combusturum sponderet vltro, nullumq. intermissurum diem, quin, dum Christiana traditur doctrina, interesset. Et vero promisso etiam fidem præstat.

IN iis, qui morti proximi adiuuantur a nostris extremo certamine, hoc inter cetera accidit, quod neutiquam prætereundum videtur. Aduocatur vnus ad moribundum adolescentem, qui iam se alterius iturus viam vitæ, viatico, vt par erat, instruxerat: sacro etiam delibutus oleo, ad luctandum cum aduersario comparauerat. Ecce tibi offert se fœda facie, & horribili ad aspectum diabolus, vt iniiciat adolescenti ter-

ti terrorem clamat ille, tæterrimam a se conspici bestiam, vultuq deformem: commouetur animo, & toto corpore contremiscit. proinde sanctissimam Crucifixi imaginem sibi dari, ac preces pro se fundi vehementer postulat, multis circumstantibus: paulisper interim acquiescit. nec ita longo interuallo efflagitat iterum preces quod Crucifixum sibi diabolus (ita dicebat) euellere e manibus, & extorquere niteretur. Aquam lustralem aspergit Pater: confirmat timentem, excitat fidem, commemorat diuinam misericordiam, ad eam confugiat hortatur. respirat bellator, animum recipit, nec se tantum recreat e timore, sed hosti etiam insultat imbecillitati: qui priore spe deiectus, iocularibus eum formis & ridiculis ab oratione, in quam erat intentus, auertere moliebatur. Ad extremum dæmon, quoniam videbat suos conatus esse ludibrio, cũ ægroti corpus (ita enim testabatur cũ gemitu adolescens) male accepisset verberibus, vinculisq. constrinxisset, sese ex oculis illius auertit. Hãc porro pugnam, quæ duarum spatium tenuit horarum, magna pax est in victore adolescente, & tranquillitas consequuta: qui tamen cum se adhuc vinculis sentiret astrictũ, simulatque lustratus est piaculari aqua, ereptus de laqueo venantium, cum totus esset in agendis gratijs, cõmemorandoq. quod a Deo acceperat, beneficio, e custodia etiam & vinculis corporis euolauit. quod quidem spectaculum ita eos excitauit, qui aderant morienti, vt non nemo ex ijs, qui erat antea remissior, sedulo iam ac serio cogitare cœperit de ipso mortis articulo, in quo æterna vita disceptat. Quod

item

item fecerunt alij multi, qui a Patre Possevino spiritualibus Societatis nostræ exercitationibus expoliti, ita prælucent exemplo, vt non paucis imitandi studium accenderint. Et sane (quæ Deo habenda est gratia) singularem habet rationem hic Pater tum dirigendi, tum promouendi etiam eos, qui ad cælum, terrenarum reiecta rerum cupiditate contendunt. quod & probarunt nostri, & externi: ijq. non sæculares modo, sed religiosi homines nonnulli: in quibus mirificum eius extitit studium, vel commouendis languentibus, vel currentibus incitandis.

COLLEGIVM. BRIXIENSE

NOSTRORVM hortatu institutum Collegium Causidicorum, iurisq. ciuilis peritorum, vt sint veluti aduocati pauperibus, quorum patrocinium gratis suscipiant, causasq. tueantur. Quinquepartitæ sunt pro varietate ætatum ac personarum Sodalitates piorum hominum, quæ celebrantur in Collegio: quarum quæ maxima est, ab ea permulta extant in ciuitatem ipsam Christianæ caritatis officia. Hæc iam laudabilem illam adsciuit consuetudinem, vt quo die in Bacchanalibus sollemni supplicatione cõsecrata præfertur Hostia, & in templo nostro quadraginta precatione horarum proponitur adoranda (is est dies tertius ante Cineralia) eo die vesperi, longissimo ordine, & face plurima sese acriter flagellis diuerberantes procedant ad nostram ædem: quam ingressos & breuis a nobis excipit con-

cio, & ab Episcopo interdum benedictio (quod factum anno superiore) dimittit. Numerus discipulorum, qui frequentant gymnasium, augetur in annos singulos. Insigniter autem auctus priore anno, quo quartus accessit magister ad Philosophiam perdocendam: tam enim multi conuenerunt amatores sapientiæ, vt perampla licet aula, propter eorum multitudinem arcta esse videretur. Gratum hoc videlicet, & iucundum ciuitati fuit. Sed cumulauit deinde gaudium quintus, qui nuper accessit ad explicandam Mathematicam. Incenditur porro magis iuuentus cupiditate discendi, eam etiam ob causam, quod ab nostrorum Academiâ discipulorum, binæ vtroque anno habitæ sunt actiones, ita appositæ, ornatæ, elegantes, vt repetere interdum iterum ac tertio fuerit necesse: quod maximæ fuit laudi adolescentibus: nec minori fortasse illud, quod ipsi quoque, exercendi causa ingenij, pronuntiata quædã ex Rhetorica, Poeticaq. facultate, de quibus disputarunt publice, curarunt imprimenda. quod cum in magna fecissent nobilitatis corona, admirationi simul ac voluptati fuere. Illud quoque (neque enim omittendum videtur) plurimum habuit & commendationis, & gratiæ: quod Episcopum nostri amantissimum, cum Collegium primo inuiseret, non modo aduentitia exceperunt oratione, sed carminibus etiam varijs, & emblematis, ea venustate, eoq. acumine, vt cum omnia conjecta essent in libellum, quominus mandarentur typis, nõ potuerit obsisti. Neque vero desideratur ciuium erga nos studium, & voluntas: ita vt, quoniam & Col

legium

legium aliqua ex parte factum amplius, et templum ornatius, hoc fere quicquid est, totum, eorum liberalitati acceptum ferre debeamus. Declararunt idem proxime in Patrum, Nicolai Bobadillæ, & Laurentij Magij aduentu, omnibus optatissimo: alterum enim ita venerabantur, vt accíderent ad genua. ad Magium vero, cũ in Gallias ad Regem, et ad Prouincias Societatis visitandas proficisceretur, magistratus adijt publicus, qui refert personam Senatus, eumq. composita ad tempus oratione (qui magnus honor & rarus, nec nisi Principibus viris haberi solitus) perbenigne salutauit. Ceterum, magna est eorum assiduitas & frequentia, qui nostrorum vtuntur opera, ad vitam vel recte instituendam, vel Christiane terminandam: nec paruus omnino fructus: qui tamen etsi eluxit in multorum emendatione, & migratione prorsus admirabili: in ijs tamen, quibus præsto fuerunt morte multandis, apparuit illustrius: quorum alij permoti scelerum pœnitentia, sese voluntario cruciatu contuderunt flagris, vt manaret e verberibus sanguis: genibus alij perrepserunt ad supplicij locum: omnes non æquo tantum animo, sed & libenti eam in se acceperunt animaduersionem, quæ ipsorum sceleribus debebatur: quam tantum abest vt accusarent, ea se grauiorem multo atque acerbiorem commeruisse prædicabant. e quibus vnus cum idoneam nactus esset effugiendi occasionem, ea vti noluit: quod mallet iuste mori, quam turpiter viuere. Vt qui tam prompto animo paratoq. gradiebantur ad pœnam, eorum illa mortis opportunitas, non hu-

mana misericordia, sed Christiana quadam beneuolentia videretur prosequenda.

COLLEGIVM. BONONIENSE

MAGNA *fuit tum huius vrbis Archiepiscopi, tũ Cardinalis Caetani Legati Apostolici, quam diu hic fuit, erga nos amoris significatio: cũ alter in prima Concilij sui Prouincialis celebratione nostrorum opera vsus sit, alter perhumaniter Collegium inuisere, orationiq. quæ dicta est in renouatione studiorum, intereße voluerit. Magnam etiam Bononiensium humanitatem sumus experti, tum in sacra supellectili, tum in bibliotheca. illa ad aureorum quingentorum summã, hæc ad trecentorũ adaucta. Nobilis quidam tercentum aureos dedit, vt quinque cubicula nouo ædificio iungerẽtur: cuius quidem ædificij iã incoli cæpta cubicula quindecim. Testamento alius aureos amplius mille quingentos legauit. Alius quadringentos. In hac porro vrbe præter munera vsitata nostris & communia, vt cõfessiones generales, quæ fere centum sunt auditæ, multos a concubinis, cum quibus denos, vicenos, tricenos annos turpissime vixerant, abductos, atque alia eiusdem generis: inuẽtus est, qui cum omnibus refutare viribus, & coercere cuperet intemperantiam in quam erat multorũ annorum consuetudine prolapsus: nocte quadam, cũ premeretur acrius, summa hieme, & frigoribus maximis in hortum secessit, quẽ habebat domui contiguẽtem. Hic abiecta veste seße in ni-*

uem

uē conijcit, nudum corpus peruoluit in glacie, ad extremum in frigidissimam aquam penitus immergit: eo vsque, vt importunus ille ardor nō compressus modo in præsēs, sed ita oppressus, ac restinctus sit, vt nunquā postea exarserit. Recōciliati præterea magna eruditione, & celebritate nominis, viri duo, qui inter se animis opinionibus q. dissidētes, ne voluminibus quidem vltro citroq. missitandis abstinuerant, vt vterque superior altero videretur.

COLLEGIVM. FERRARIENSE Mutinense, & Foroliuiense.

FERRARIAE hoc biennio nostrorū institutionibus & consilijs eruditi, ad fidem venerūt Hebræi septem, redierunt hæretici quinque. Perfectū in templo lacunar, quod erat superioribus annis inchoatum. Excitatum deinde præcelsum pegma & peramplum, opere sumptuq. magnifico: is fuit aureorum circiter mille: ad sacrosanctam hostiam collocādam. Collegium postremo e piorum eleemosyna compluribus auctum cubiculis, & porticu percommoda.

MVTINAE, cū verno tēpore non ipsa tantum in vrbe, sed in propinquis etiam pagis summa esset annonæ caritas, per nostros perfectum, vt obuiam iretur pauperum egestati, qui fame moriebantur. Duo ad mentis sanitatem reducti: quorum alteri ita impediebat rationem dolor peccatorum, vt dicebat ipse, quæ in se admiserat, vt mortē inedia persequeretur: alter ita præceps amentia ferebatur, vt esset cōstringendus.

gendus. vterque igitur ad se rediit opportuno allõquio consilioq. nostrorum. Collegij angustiæ, coempta domo satis commoda, laxatæ.

IN FORO etiã Liuij strenue a nostris, nec inutiliter omnino laboratum. Nam, vt omittamus propensum erga nos animum Legati Illustrissimi, quem ostendit, & sua præsentia honestando scholarum initia, cum præeunte oratione repeterentur: et sæpe ad nos veniẽdo, nostrisq. familiariter vtendo (quod idẽ de huius vrbis Episcopo iã dici potest) itemq. nostrorũ rogatu vel auersas, uel condonatas iniurias, cædesq. aliaq. similia. Reconciliatio gratiæ facta est, magna cum approbatione omnium, & utilitate multorum, inter familias duas, & amplas, & nobiles, quæ inueterato inter se odio, & periculoso dissidebant. Eadem ratione inter alias duas pari nobilitate, repressa simultatis flamma, quæ iam serpere cœperat, nec ita facile videbatur posse restingui. Quod factum similiter in vno e pagis propinquis. Cuiusdam animum in rebus eius perditis, nec ad voluntatem fluentibus, desperatio occupauerat: itaque nocte quadam se in puteum abijcere parabat. sed vocem quamdam, qua admonebatur, vt suam potius procuraret familiam, cum audisset in tenebris, destitit a proposito: qui & hoc narrare solitus, et dæmonem præterea sæpe a se repulsum commemoratione nominis IESV, cum districtum gladium non dissimulanter offerret, quo se eijceret e miserijs.

COL-

COLLEGIVM. MANTVANVM

SERENISSIMI Duces nullum finem de nobis faciunt cogitandi, nullum prætermittunt optime merendi locum. Et Leonora quidem Ducis mater, quam eamdem (quæ eius est benignitas) nostram matrem appellare possumus, ita vetera officia officijs cumulat recentibus, vt secum ipsa quotidie certet. Templi ædificatio nō intermittitur: quod vt amplius fiat, & perficiatur maturius, & Dux ipse adiuuit, tum attributa via, vt includi posset a nostris, quod & factum est: tum donatis aureis mille ac ducentis: & Ducis mater optima, non quotidianis modo subsidijs, sed ad materiam etiam conuehendam commodatis interdum equis rhedarijs ingentis pretij. Quod ipsius factum cum daret sermonem nonnullis, qui dicerent fore, vt equi ipsi ex eo labore deficerent. Vtinam, inquit illa, hoc contingeret, vt in Domini opere morerentur. Ad duas scholas addita est tertia. Casus Conscientiæ bis per hebdomadam explicantur. Vicino in oppido grauis quædā inter oppidanos & clerum discordia sublata. Duo præterea quas habebāt pellices, legitimo eas sibi matrimonio copularunt.

COLLEGIVM. VERONENSE

ILLVSTRISSIMVS Cardinalis perpetuam illā suam erga nos beneuolentiam seruat: quam multis etiam, nec vulgaribus significationibus ostendit. Vir, qui viuente vxore, ignaram doli alteram superduxerat,

duxerat, nostrorum tandem admonitu ad priorem redijt, adulterina relicta. Schola doctrinæ Christianæ adiuta præscripto vsu menstruo Sacramentorum, delectisq. e cœtu vniuerso sexaginta viris ad rẽ promomouendam. Constituta Sodalitas virginum, quæ a Sancta Vrsula, in cuius sunt clientela, nominantur. Mulier, quæ furore amens, & cæca, animam corpusq. deuouerat dæmoni, disruptis vinculis, in quæ se ipsa induerat, ad mentem & ad Deum reuertit. In clericorum Seminario constituta Congregatiõ Beatæ Virginis, & Academia: vt his duobus quasi stimulis excitentur adolescentes ad litterarum studia cum pietate iungenda. Introducta etiam consuetudo matutinæ precationis. Qui peccata sua confitentes ab ineunte ætate repetierunt, Veronæ, hoc biennio apud nostros, numerati sunt tercentum fere ac triginta.

COLLEGIVM. PARMENSE. ET Placentinum.

OCTAVIVS Farnesius Dux Parmæ ac Placentiæ, cuius semper auctoritate ac præsidio Societas nostra nixa est, ea humanitate præditus & pietate, vt reliquis exemplo Principibus esse possit, cum Parmæ eum in morbum incidisset, quẽ mors consequuta est, vitæq. finem sibi instare intelligeret, voluit habere secum semper aliquos e nostris, qui numquam discederent. Igitur horum sermone, & cohortatione, ita confirmata & recreata summo illo in discrimine Christiani Principis virtus, vt cum summam

mam collocasset spem in diuina misericordia, magna cum animi tranquillitate moreretur. Mille nobis aureos ex testamento reliquit. Eius deinde nepos Rantius Princeps, maiorum imitatione & sua etiam sponte nostri studiosissimus, e peremnibus piscinis suis iugem deriuari permisit aquam ad Collegij ornatum vsumq. peropportunam. Ceterum auctum est templum, tum lychno inargentato magni operis, tum multa pretiosa veste, quæ ad sacra adhibetur. Vnus quidam ex familia veteri & illustri Collegium ex asse instituit heredem. Reditus annui trecenis aureis æstimantur.

PLACENTIAE templum aliquando absolutum est: aditum etiam ab Episcopo, cum eius antea altaria sollemni ritu consecrasset, incredibili ciuium frequentia & gratulatione: a quibus ad templi eius ornatum dona missa nonnulla. Sed de Placentino Collegio, prætermissis ijs, quæ sunt cum alijs communia, hoc breuiter subijciendum videtur. Cœnobium est Placentiæ sacrarum virginum, quarum ex libertate, maiore fortasse quam necesse esset feminis Deo dicatis religionis disciplina, & pietatis ardor oblanguerat: sic vt Episcopus multis tentatis remedijs (cũ frigerent omnia) cogitaret de earum curatione ad Pontificem Maximum reijcienda. Sed cum placuisset hoc quoque extremum adhiberi, vt videret aliquis e nostris ecquid proficere posset: eius dexteritate ac diligentia, tanta ad meliorem spem facta est inclinatio, tãta in virginibus, animorum morumq. mutatio, vt cum priuatas res suas cuncta in commune contu-

lissent,

liſſent, & licentiam illam certarum legum vinculis coercuerint, et diſſolutionem ſeueritate repreſſerint.

DOMVS. PROBATIONIS. NOuellariæ.

NOVELLARIENSIS Domus, cum premeretur rei familiaris anguſtijs, vir ignotus, nec opinantibus noſtris magnã vim pecuniæ obtulit: non petitis prædibus, nõ acceptaſyngrapha, nec vero præfinita die, qua redderetur. Inſtructi permulti Societatis noſtræ exercitationibus: multo plures idem feciſſent, ſi noſtri ſatisfacere omnibus potuiſſẽt. Verum, quod his per occupationes non licuit, Rectoris permiſſu, cum ad eum ſupplices datæ eſſent litteræ, compenſatum eſt ab vno quodã externo, qui iam ita profecerat, vt magiſter aliorum eſſe poſſet. Ad eam ſe maxime diſciplinam exercuit ſpectatiſſima femina Hippolyta vxor Comitis Petri Bonarelli a Ruuere: quæ totam etiam familiam ad eamdem orandi ſæpius & meditandi conſuetudinem traduxerat: nam & horam vnam impartiri a familiaribus quotidianæ precationi & aliquid præterea ſeponi temporis ad excutiendam conſcientiam volebat. Cœtum eſſe dicetes religioſorum hominum, non domum ſæcularium. Ipſa præter ceteros, aſſiduam caritatis officijs, & religionis, operam dabat. Ea nunc ad Deum euocata eſt. Cuius diſceſſu etſi perculſus eſt valde & afflictus vir eius (vt debuit) erexit tamen ſeſe noſtrorũ ſermonibus, adeoq. imperauit dolori, vt eo ipſo die

quo

quo celebrabatur funus in tẽplo nostro, cum familia vniuersa, fratribusq. nostris Eucharistiã sumpserit. Optimus omnino Princeps ac sapiẽs, qui a Deo penderet totus, grauissimũq. dolorem suum diuini cõsilij cogitatione leniret. Sæpe vocamur in finitima oppida ad eorum auxiliũ, qui e vita decedunt. Factum aliquãdo vt accerseretur Pater Rector a quodam, qui eum magnopere cupiebat, ad eum cum venisset destitutum viribus & intercluſa anima, vt loqui non posset: vt inclamauit hominem bis terue nominatim; agnitus est ab ægroto: tanta cum lætitia, vt vox sensusq. redierit. Hic nempe multos ante annos flagrans studio pietatis, ad eamq. nostræ informatus domi, ad Societatem animum appulerat: cum minus idoneus haberetur, quod ætate nimiũ processisset, quod de se impetrare non potuit, fieri voluit in rebus suis: quarum omnium paulo post, cum Parmæ ageret, Parmense Collegiũ scripsit heredem. sed cum quasdam adscripsisset condiciones, ab instituto nostro (quod ipse cognitum non satis habebat) alienas: miro prorsus modo factum est, vt etsi labente iam spiritu venerat Pater, meliuscule illi fuerit, & cœperit loqui, tamdiuq. produxerit vitam, quamdiu Parma allatum est testamentũ, & summa ipsius voluptate correctum: ipse quoque, quod optabat maxime, in nostram Societatem aggregatus: idq. eo admirabilius, quod fuit Pater Prouincialis expectandus, dum Mantua reuerteretur. ita quem spiritum per octo dierum spatium, exiguo, aut propemodum nullo sustentatus cibo, retinuerat, eum reddidit Deo, cum primum sese illi Societatis nostræ

vinculis obligauit. Quattuor habitæ publicè a discipulis nostris actiones, tanto hominum studio concursuq. vt ne plurimi excluderentur, in aperto fuerint habendæ. Extremæ porro actioni, cuius argumentum adolescens ad Deum conuersus, interfuit Hebræus quidam, qui cum antea ad Christianam inclinaret religionem, actione illa audita ita permotus animo est, vt in eam omnino incubuerit. Suscepit illum Camillus Comes fundator Collegij, qui adhuc hominem liberalissime sustentat. Et quoniam fundatoris nostri incidit mentio, vnum atque alterum de illo addendum. Is enim aliquando in remotiore domus parte, quo solus se recipit interdum, cum aliud omnino agens et cogitans ducentos aureos reperisset in cista, eos quasi oblatos diuinitus, non attingendos sibi, sed nostris attribuendos putauit. Retinet deinde suum illud sollẽne, ac proprium alendorum hieme pauperum: quod pium eius officium superioribus mensibus in maxima caritate annonæ conspectius fuit: cum confluentibus quamplurimis, ipse totaq. eius cohors ministrauit semper ad mensam, quæ multiplex erat, in ipsius aula undique disposita. Ad quos deinde exempta fame reficiendos in spiritu, non defuit a Nouitijs nostris, salutare illud pabulum animorum, explicatio Christianæ doctrinæ.

PRO-

PROVINCIA POLONIA

POLONIA constat socijs trecentis vno & quadraginta. Collegijs duodecim. quorũ nomina hæc sunt. Bransbergense. Pultouiẽse. Vilnẽse. Posnanienſe. Iaroslauiense. Claudiopolitanum. Polocense. Lublinense. Rigense. Calliſiense. Lieſuiſiense. Derpatense. Domibus duabus, quæ ſunt Cracouiæ. Probationis vna. Altera, in qua ex eleemoſynis viuitur. Reſidentijs tribus. Albæ Iuliæ. Varadinenſi. Stocolmienſi. Leopolienſis namque, & Gedanenſis nunc inter miſſiones numerantur. Ad quas totidẽ accedunt: vna ſcilicet in aulam Sereniſſimi Regis Poloniæ, & in aulam Illuſtriſſimi Principis Tranſiluaniæ, altera. In vniuerſa Prouincia mortem hoc biennio e noſtris obierunt ſeptem & triginta. in Societatem cooptati vndeoctoginta. Iã vero, quoniã difficile eſt una ſubductione quot in ſingulis uerſati ſint ſedibus hoc toto tempore, reuocare, ut dicitur, ad calculos: quaſi ſatis habuerimus ipſo initio hæc de omnibus generatim attingere, ſingula deinceps, quantum fieri poterit, enucleate explicemus.

COLLEGIVM. BRANSBERGENSE

BRANSBERGA octoginta ſex ſeptem hoc biennio aluit e noſtris. e quibus præfecti

nonnulli quaternis adolescentium cœtibus, qui discendi causa in hac urbe uersantur, ita eos instituunt, ut magna quadam contentione uirium & ingenij, humanarum disciplinas artium cum amore Catholicæ religionis & pietate coniungant. cœtus autem, quod audistis alias, hi sunt. Seminaria duo, Pontificium, & Varmiense, Collegium Conuictorum nobilium, & Cõtubernium eorum, qui cum propter angustias rei familiaris non facillime possent dare operam litteris, & non mediocri aliquando esse possint Ecclesiæ adiumento, insigni optimorum virorum liberalitate sustentantur. Quod quidem laudabile institutum cum incredibili tenuiorum adolescentium bono, omnia ferme huius Prouinciæ Collegia receperũt. Dant autem, vt dixi, operam non studijs modo doctrinarũ in nostris scholis, quæ nunc efflorescunt, si vmquam alias, maxime: sed pijs etiam actionibus, commentationibusq. nunc enim cœtus singuli suam habent Cõgregationem Beatæ Virgini dicatam. quamobrem fiunt quotidie meliores & doctiores. Namque vt e multis perstringam aliquid, ea hebdomada, qua sollemni religione ac cærimonia reuocat Ecclesia Christianorum animos ad memoriam Christi Domini excessus, aliqua vt ratione adolescentes nobilissimi incredibilis illius humilitatis ac patientiæ imitarentur exemplum, semel se, atque iterum flagellis cecederunt, et exceptis epulo pauperibus pedes abluerunt. Exercuerunt etiam se ex ijs quidam ad præscriptum Patris Nostri Ignatij meditationum, tanto cum animorum sensu ac fructu, vt omnibus ad maiorem Dei

amorem

amorem excitatis, duo in Societatem nostram adscribi concupierint. Nec vero sese ad adolescentes solum nostrorum industria, sed ad alios etiam explicauit. Restituti Catholicæ religioni viri circiter quinquaginta. In his alumni Pontificij duo in patriam cum reuertissent, ministro hæretico exturbato, hominibus, quibus imperitabant, persuaserunt, vt se in sincera fide atque integra complectenda, relicta hæresi sequerentur. Confessiones auditæ permultæ, & eorum aliquæ, qui hoc vt facerent, ad nos venerunt difficili complurium dierum itinere susceptо. Bis quadragenarum horarum supplicatio decreta ad iram numinis auertendam. Adiuuatur nostrorum studium egregia tum ciuium beneuolentia, qui sacram obtulerunt vestem ad ornatum altaris non parui pretij: tum Antistitis Varmiēsis, qui vno omnium assensu Canonicorum, perpetua prædiolum nostrum immunitate donauit: tum ipsorum denique Canonicorum, qui nostrorum in hoc Collegio paupertati suis semper facultatibus subueniendum putarunt. Ex missionibus, quæ frequentes fuerunt ad loca propinqua, duarum præ ceteris constitit fructus, eodem in genere similis. conuersio viri claro orti genere, & Illustrissimæ feminæ, quæ cum ab hæretico patre data esset in matrimonium viro Catholico, nunc tandem Ecclesiæ reconciliata, summa cum mariti voluptate (qui certas ob causas remotis arbitris sacerdoti ministrauit ad sacrum) Catholico ritu communicauit.

COLLEGIVM. PVLTOVIENSE

IN PVLTOVIENSI Collegio duos & viginti accepimus priore anno versatos: de posteriore namque nihil scribetur hoc tempore, quod in diuersa omnes migrauerint loca, ingruentis pestilentiæ metu. Superiore igitur anno hæc potissimũ gesta. Duodecim, qui a recta aberrabant fide, ad eam, nostrorum opera, suasuq. redierunt. et in his vnus, tanta cum testificatione doloris sui, vt eius sit conuersionem tanto magis admirata ciuitas, quanto magis & habebat ante cognitam in errore perseuerantiam, & postmodum illustri testatum argumento vidit reuertentis affectum. Execrari enim publice hæresim sua sponte voluit, & ad Crucifixi similitudinem sese humi prosternens, profuso fletu, incertum plures effuderit ipse lacrimas, an spectantibus excusserit. Qui apud nos sacrosancto Christi corpore pasti, ad vndecim millia numerantur. Quod dum fit, & fratres germani duo, & sena coniugum paria, qui auersissimo inter se erant animo, in mutuam gratiam restituta: & non parua a pluribus pecunia iniusto quæsita fenore, ijs, vnde ablata erat, reddita. Ipsa autem Eucharistia, quo honestiore comitatu, apparatuq. maiore deferatur ad infirmos, cum hic Pultoniæ, tum in regia alia quadam ciuitate, quo excursum est, Sodalitas constituta virorum nobilium, qui mira cum accuratione exercent opera pietatis. Quin etiam ex huiusmodi genere hominum fuit aliquis, qui certam assignauit pecuniam ad studiosorum adolescentium

tium paupertatem in hac vrbe sustentandam. Decessérũt hoc anno sacerdotes duo: Albertus Fabricius, et Vincẽtius Cocalesschius: e quibus ille aulæ Regiæ contempto fastu hic autẽ opimo Canonicatu, magno fortiq. animo, ad humilis se, & pauperis Christi disciplinam adiunxerunt: in eorum locum tres subrogati adolescentes magnæ expectationis.

COLLEGIVM. VILNENSE

VILNENSE Collegium ingredimur, quod, siue cum de ipso, siue cum de Collegarum missionibus capita pellegerem, ita me oppressit, omnia scribere properantem, vt quoniam verebar, ne si ea mandarentur litteris, onerarent multitudine audientem, operæ mihi pretium facturus videar, si quemadmodum pictores, qui magnam uim hominũ in paruam tabellam inclusuri, primos quidem effingunt cõspicuos toto corpore, posteriores pectorum tenus, alios deinceps capite extantes, alios vix oculis eminentes, & summo vertice, reliquam denique quasi longe ab aspectu positam multitudinem, confuse permiscent: sic ego nonnulla, quæ magis capient, diserte perscribam: alia perstringam paucioribus, aliqua indicem tantum, maiorem postremo partem, ea nempe, quæ ignota vobis esse non possunt, non silentio quidem inuoluam, sed quasi conijciam in turbam. Egerunt Vilnæ Collegæ quinquaginta quattuor. qui diligenter procurarunt scholasticam, & Ecclesiasticam disciplinam. Scholastici, ut hinc exordiar, qui septin-

gentorum numerum attingunt, diem illum, quem augustissimæ Eucharistiæ ritu colimus anniuersario sacrum, illustriore quam vmquam antea supplicatione, & pompa celebrare voluerunt. hac fere cærimonia. Conuencrunt adolescentes ex inferioribus classibus insigni ornatu vestium & varietate: facem singuli ceream accensam manu præferebant, agmine quadripartito: quorum vnumquodque Symphonia cogebat: ea miram afferebat voluptatem omnibus, & suauitate vocum, & nouitate cantandi. Incedebant ipsi adolescentes bini, ita æquato instructi ordine, ita paribus diuisi interuallis, ea vultus compositione, & moderatione gressus, vt quocumque ingrederentur, mira desi gerent admiratione intuentes. ab dextera læuaq. Stipatores dispositi, qui procedentibus submouerent aditum per vias plenissimas, & temperatum præscriberent procedendi modum. Præferebatur in medio præcelsa Crux, auro distincta, clauisq. gemmantibus, alia deinceps mortis Christi, nostræq. salutis insignia. Nec sua deerant pompæ anteludia. Quidam nempe sanctissimorum Prophetarum imagines vestitu atque ore referebant. Thensam ipsam holoseric is intentam velis, altisq. prætentam hastilibus proxime anteibant iuuenes, qui veste niuea & cataclista prænitentes, aptis ex vtroque humero pinnis intermicãti lapillo, Angelos exprimebant, ea quiete ac modestia, vt nisi vidisses progressos magis, quam cerneres progredientes, simulacra diceres fuisse. Contraxit eo die in vrbem feruentem conuenarum multitudine, pulchroq. fulgentem apparatu Catholicos primum, officij cura, innume-

numerabiles, deinde alios studium spectandi. prænuntia enim fama e vicinis exciti pagis affluxerant, schismatici, hæretici, Scytæ, Maumetani, cum coniugibus liberisq. qui, quamobrem venerant rogati, eam aduentus afferebant causam, quod videre cuperent, qua Deū suum Christiani supplicatione venerarentur. Et sane, quamquam ea res superioribus annis magna semper cum dignitate & maiestate gesta: hic tamen, de quo loquimur annus, ita celeber communi omnium consensu ac plausu fuit, vt Catholici quidem, tum gratijs Deo agendis, tum habendis gratulationibus præ se tulerint, nullam vmquam Vilnæ similem pompam non modo vsurpasse oculis, sed ne auditione quidem accepisse: ceteri autem confessi sint, nihil fuisse alias, quod viderint iucundius, aut etiam esse, quod visendum magis arbitrentur. Itaque permultos dies consequentes nihil est aliud omnium sermone famaq. celebratum. neque tamen ea res pertinuit solum ad oculorū oblectationem commendationemue iuuenum: sed magis ad amplificationem scholarum, & ad vtilitatem animorum. nunc enim se diligentius discipuli gerunt, & hæretici etiam ipsi, schismaticiq. liberos suos e schola Zuingliana (quæ magnis olim ædificata sūptibus totius prope magistra erat in hac vrbe Lithuanicæ iuuētutis) ereptos liberos adducunt ad nos libere, ut nostro in gymnasio instituantur. vbi etiam perraro inuenias, qui contemnens Ecclesiam matrem in patris errore persistat. Tres proxime veram religionem amplexi baptismate susceptō: alij complures suscipere meditantur. excitat piorum feruorem adolescentium

præpotentis Dei Mater, in cuius se fidem & clientelam lectissimi quique contulerunt: per amplo nuper eum ad vsum & eleganti extructo sacello, liberalitate Francisci Vesselini, qui Stephano olim Regi potentissimo Polonorum a cubiculo fuit. Eodem prope euētu, quo in filijs, in parentibus opera ponitur. Qui a recta deflexerant religionis via, trecenti amplius reuocati. quod scitis plerique, quam sit difficile, & propterea admirandum magis, in Moschis, Russis, Zuinglianis, Arianis, Ebionitis, ceteris monstris, quibus hæc silua abundat. Sed hoc fortasse erit illustrius, si e multis, paucorum quædam excipiamus exempla, de quibus narretur aliquid: vt quod in his gestum est, de alijs similiter intelligatur. Inter primores magni Lithuaniæ Ducatus, est is, qui vocatur Procancellarius. In Græcorū hic aliquādiu fluctuabat schismatum freto, sed interea tam multis aliter opinantium, inter seq. discordantium quasi ventorum turbinibus, agitabatur, vt cum varijs iactatus casibus raperetur in abrupta, constituerit tandem ad Catholicorum portum, in quo vno vera est salus quiesq. confugere. Duce tantum & gubernatore opus erat: mittit ad nostros pro sacerdote, cui patefecit primum cōscientiæ labes & vulnera: deinde, quo sedatiore animo, ac firmiore consilio faceret quod intenderat, Vilnam proficiscitur: hic ipsis in ferijs Pentecostes, magno quidē cum gemitu fremituq. aduersariorum, sed maiore piorum hominum lætitia & gratulatione, in templo nostro cælesti exceptus conuiuio, tantum hausit roboris ac spiritus, vt iam Sanctorū ædes restituens,

tuens, adornans, ædificans, adiuuans pauperes census & locupletes exemplo, laborans etiam in conuersione aliorum, maiori in dies videatur Catholicæ religioni & ornamento simul, & emolumento futurus. cadē mens, quæ viris, iniecta est matronis nobilibus e clarissimo sanguine Ducum Ruthenorum, e quibus vna, hoc quidem ordine reducta ad sanitatem. Aures dabat libenter nostris de religione disputantibus: assentiebatur veritati vt plurimum, sed quo minus certo animo fortiq. profiteretur sententiam suam, inanes, quod plerumque fit, verita rumusculos, impediri se dicebat pudore hominum, & inconstantiæ metu. Multis post congressibus cum sacerdos instaret ac premeret vehementius, orans sibi illa perbreue concedi spatium ad deliberandum, secedit in cubiculum: noster redit domum, precatum videlicet diuinam clementiam pro illa: quod dum perseuerat intentius agere, nocte ad eum media ab eadem nuntius, vt ex templo ire ne grauetur. it. offendit feminam vix sătem pedibus, præpeditam morbo, vt res ipsa declarauit, diuinitus immisso, infirmis viribus, & toto corpore imbecillo. quæ statim vt sacerdotem vidit: Cedo, inquit, Pater, & manum tollo. Durum est contra stimulum calces. Tum vero, rem dictu mirabilem, confessio facta, & infirmitate corpus, & animum religione liberauit. Iisdem remedijs vir etiam quidam conualuit, sed grauiore oppressus corporis valetudine. iam enim sensu prope omni destitutus erat, & coangustata in gutture arteria nullum voci exitum dabat. admonet hunc vnus e nostris, qui eo aduenerat

sacer-

sacerdos quibus poterat signis & argutijs digitorum, vt saltem suis ingemiscens criminibus, veniam peteret a Deo. quod cum ille cupere se vehementer ostenderet, repente præter spem omnium liberior incepit meare spiritus, & confuso primum cum murmure, exilis vox quædam & absona, deinde clarior & articulata egressa est: sic vt exauditus a sacerdote, mox Dominico refectus corpore, paulatim depulerit morbum, & iam firmior factus, suam referat acceptam salutem salubritati Sacramentorum. Eorumdem efficacitatem expertæ mulieres nonnullæ in difficultate pariendi: sed una maxime omnium in prole gemina. cum enim effudisset unam, alteram per dies aliquot edere non posset, ubi confitentem exoluit sacerdos, eodem pæne momento, quasi animũ corpusq. leuasset onere, mortuum fetum enixa est. Sed insigne omnino facinus & commemorabile iuuenis Lubecẽsis nullo modo prætereundum. Lubeca urbs est in Germania, quæ mari pæne alluitur, inundantium hæresum fluctibus plane demersa. Hinc missus erat is, de quo dicere ingredimur adolescens, Vilnam, ut Polonicam linguam addisceret. hospitem nactus est Catholicum, & pium, deq. nostra Societate optime meritum, cuius filiolus paruus scholas nostras frequentabat. Ex hoc cum in sermone cognouisset Lubecensis aliquot esse in Collegio Germanos, instituit cum illis amicitiam, paulatimq. arctiore eorum consuetudine deuinctus est: ac tandem eo res perducta, vt se ad Catholicos adiungeret, Patrisq. Ignatij exercitationibus eruditus, tantum proficeret in spiritu, vt admira-

virationi esset. Perlata eius rei fama (neque enim propter magnitudinem latere poterat) Lubecam ad parentes. enimuero hoc illi ferre non posse. extrudunt illico filium maiorem natu, vt perfugam retraheret. Sed hic neque exorari vt redeat, neque vt a Catholica fide discedat, vlla ratione adduci potest. vbi illa nõ procedunt, fratrem maior astu rem aggreditur. Catholicum se simulat mutatione repentina paucis post diebus Regimontium minorem mittit cum litteris ad mercatores per speciem negotij expediendi, quo confecto Vilnam reuertatur. Mercatores, ipsi quoque hæretici erant: his significat, vti fratrem Papistam tamdiu morentur, dum ipse subsequatur. Subodoratus est nescio quomodo adolescens prudens ac probus, in itinere id quod erat: itaque ne se offerat in discrimen, conuertit viam. Ecce tibi obuius frater: a quo truci vultu ac verbis minacibus Regimontiũ pertractus. Hic sæpe ac multum tentata & spectata est iuuenis virtus in fratris calliditate eludenda, & refutanda hæreticorum stultiloquentia. ceteroquin ita ad tempus accomodauit vultũ & orationem, vt spẽ faceret in patriã reuersionis. Itaque cum iam minus aspere tractaretur, potestas ei facta sub vespertinũ tempus domo exeundi: hac cõdicione, vt cum ad relaxandũ animũ pauca spatia feciſſet in littore (fratre quidẽ assentiẽte, sed nihilominus curiose obseruante) ad constitutam horam domum se referret. quod cum sæpius facit fideliter, effecit vt ille alter iam sine cura esset: sed nauem interea pararet in patriam. Iamq. instabat reditus in proximum diem: id quod ille ex-

piscatus

piscatus fuerat a nauta: etsi maior frater astute in tertium quartumue simulabat. sub vesperam igitur de more ex vrbe egreditur. Tū vero fluctuans animo atque hæsitans, antequam portæ clauderentur, rediret ne, an fugeret: magis quid uitaret, quam cui fideret, certus: fratrem tandem, & patriam, & parentes relinquere constituit, ac sequi Deum. Cum hoc statuisset, magna contentione animi & corporis, Deo duce, Brāsbergam iter intendit, quæ illinc aberat leucis nouem. Sed cum totius continenti itinere nectis esset confectus, ac vires lassitudine deficerent, ignotum in hominem incidit, a quo perhumaniter inuitatur, vt requiescat paulisper, ac restauret vires cibo potuq. quem quasi ex composito afferebat. sic recreatus refectusq. Bransbergam venit recta ad nostros: nec multo post Vilnam accitus a Rectore. Hic cooptatus statim in Seminariū Pontificis, cum præluceret ceteris exēplo, raperetq. omnes in admirationem, raptus est ipse, ne malitia mutaret intellectum. acuta enim febri oppressus est. ea cum conficeretur, labentibus viribus, mente integra ac sensibus valens, finem sibi imminere intelligens, tam dulcia cum Deo Deiq. Matre miscebat colloquia, tam sancte ac pie consolabatur & hortabatur adstātes, tam æquo animo alterius prope certus vitæ, ex hac demigrabat, vt æternam gloriam initurum eum esse diceres, qui tam læte atq. hilariter naturæ concederet. Prosecuti sunt eius corpus, cum funere efferretur, tum clerus fere vniuersus: tum pleraque nobilitas: tum Præsides etiam nōnulli, qui hic raro admodum conspiciuntur: tum demum

mum ipsa Ducis vxor, magna cum matronarum famulorumq. comitatu: vt bonam confluentium partem, cum intimis afficerentur sensibus, se tractos fuisse dicerent instinctu quodam impulsuq. diuino. Additus splendor affixorum carminum in templo, geminæq. laudationis, Polonicæ ac Latinæ. Denique, ne sim longior, supremus illi honor tantus est habitus, quantus haud scio, in hac quidem vrbe, an antea nemini: vt longiorem fortasse sperare vitam, feliciorem certe mortem, honestioresq. exequias optare non potuerit. Hæc dicet aliquis in alienis ædibus gesta. quid in templo nostro & concionibus? Atqui ego non faciam hoc loco vt recenseam, vi concionum, quæ binæ in templo nostro habẽtur, Lithuanica lingua & Polonica, virginem nobilem, Arianis ortam parentibus, ablutam, baptismate: alteram simul atque ei lux veritatis affulsit, ne in periculo esset cum suis domi, apud Catholicam feminam propinquam suam habitare maluisse: mulierem vnam a sui interficiendi consilio: duas ab adulterio, a meretricio tres: a pellicatu totidem extractas. matrimonia clãdestina complura vel dissoluta, vel ex decreto Tridentinæ Synodi rite coniuncta: sublatum multorum iurgium cõiugum, ita acre & diuturnum, vt instar videretur esse diuortij: remissam inimicis offensam: pecuniã debitoribus: ebrietatis vitium, certa sibi pœna sponte indicta, coercitum a multis: aliquot fuisse eorum millia, qui sacra totius flagitia vitæ confessione expiarunt: et si qua sunt alia eiusdem ordinis. Iam diu enim vocant me fratres patresq. qui ex hoc Collegio ad diuinam mercaturam faci en-

faciendam cum exißent, rediere cum quæstu. ea loca plus decem fuere. Ac primum itum est ad ægrotantem vxorem Senatoris regni, quo fœda illa Anabaptistarum factio nititur: vbi a sacerdote nostro magno animo patefacta est nebulonis Popi (Popum vocant doctorem suum Russi) imperitia & impostura: adductus in admirationem vir ille primarius, cum religionis causa mortem videret a nostris, mox etiam pecuniam & dona contemni: additi ad conuersionem sti muli mulieri currēti: relictum cohorti egregiū exemplum hominis, honorem Dei dumtaxat quærentis. e cœtu porro aulico honestissimi viri duo, virgo vna ad veram fidem postliminio reuertere. Per Quadragesimam missi vnus atque alter sacerdos in aulam Palatini Vilnensis in Russia, rogatu Illustrissimæ feminæ eius vxoris, quæ, licet cum viro Zuingliano, Catholicam religionem tuetur. vbi & multi in recta confirmati sententia, & a peruersa sex septemue deducti. In alio item loco viginti baptizati: totidem omnium peccatorum confessione expiati. At Olitæ (hæc fuit alia missio) circiter centum: vbi etiam hæreticus reconciliatus est. Vberior quæstus ex Sereniſſimi Regis aula reportatus. nam vir clarissimus, qui Regi ab arcanis fuit, a tenera ætate Ariana imbutus hæresi, ita a Deo impulsus est, vt magna cum omniū, tum maxime ipsius Regis admiratione, Catholicam fidem, excipiente Episcopo Procancellario, publice sit professus. nunc idem totus pijs actionibus commentationibusq. addictus, superiorem, vt ait, tarditatē, cursus celeritate compensat. Huic proximus est vir quidam

dam eximie nobilis, deinde alij triginta, qui pestem ciecerunt hæreticæ prauitatis. Tres item mulieres ereptæ e diaboli faucibus, a quo misere diuexabantur. vna præter ceteras, quæ ei se, vt expleret impurissimam libidinem, & detestatione sanctissimi numinis, & detestanda chirographi sponsione deuinxerat. Excursum simili consilio in Samogitiam cum illius diœceseos Episcopo. quo in itinere & rudes condocefacti: & pueri baptizati permulti: & quattuor viri pernobiles Ecclesiæ restituti: & excitati parochi ad suas partes diligentius exequendas: introductus denique Sacramentorum vsus frequentior. In quodam Episcopi pago præcelsæ & annosæ quercus duæ, in quibus populus stulte omnino ac superstitiose nescio quid numinis ineße suspicabatur, adigente primum securi vno e nostris sacerdote, excisæ penitus ac deturbatæ sunt: mirantibus quibusdam, metuentibus alijs, omnibus denique accusantibus stultitiam suam, cum in cunctorum conspectu obscenus bubo, seu cacodæmon bubonis specie, qui ibi sedem fixerat, euolauit. In hoc eodem pago auulsus quidam e nefando coniugio, qui liberos sex de vxore patris impune susceperat. Tanta est in his locis propter tot portentorum, quid enim dicam hæresum? turbam, peccandi licentia. In Episcopali sede ex auctoritate Concilij Tridentini sancita est Curionum residentia: & pro miraculo habitum, cum ducenti in ea ciuitate communicarunt. Nec minor data opera hominibus villarum & pagorum Collegij nostri: vt a quibus accipimus ea, quæ corpori prosunt, ij vicissim acci-

accipiant a nobis quæ conducunt saluti animorum. Nongenti fere in uno pago confitentes auditi, & plerique omnes de omnibus, quæ iam inde a pueritia admisissent. Ex his fuit puella iam adulta, quæ cum conscientiæ agitata stimulis semel atque iterum se in flumen immersisset, nec mergeretur, tertioq. deliberata videlicet morte, id patrare facinus statuisset, visa est admoneri ab adolescente eximiæ pulchritudinis, vt si liberari ea solicitudine cuperet, non corpus obrueret aqua, sed elueret animam peccatorum confessione. In altero Collegij prædio quadringenti ad communionem, multo plures ad confessionem adducti: quorum magnam partem neutrum ante feciſſe recordabantur. Claudet Collegium Vilnense, & quæ patuerunt ab eo missiones, missio Caunensis. Est Cauna, secundum Vilnã, ciuitas Lithuaniæ nobilissima, vbi confessiones exceptæ quamplurimæ: pax reconciliata inter Senatores duos auersissimo inter se animo dissidentes: quæ res a multis frustra persæpe tentata est. aliaq. eiusmodi præstita ex instituto nostræ Societatis. quas ob res permota ciuitas, adnitẽte Illustrissimo Principe Radiuillo præfecto arcis, ad Collegium expetendum. Atque hæc de Collegio Vilnensi. in quo etsi fieri non potest, quin res plurimas recensenti mihi, ipsarum multitudo plures subduxerit: retrahã tamen duas, quæ pæne erant elapsæ: nempe vnius matronæ dono, & piæ, & nobilis, horto suburbano auctum Collegium, ipsiusq. ope Collegij Societatem auctam vno anno adolescentibus decem, delectis e magno numero idem exoptantium, qui re-

ijciuntur interea, vel ut probetur, uel ut excitetur magis eorum desiderium: auget enim, qua est clementia, Deus immortalis operarum numerum ijs maxime in locis, quibus pro rerum necessitate dedit, ut laborantium opus appareat.

COLLEGIVM. POSNANIENSE

NVMERARI solent Posnaniæ socij tres ac triginta, e quibus bonam cessisse partem in loca suburbana, dum in vrbe remitteret pestis, scriptum litteris proximis. eo autem in secessu materia oblata nostris de multis benemerendi. ducenti enim ac nonaginta sex formati ad legem Catholicæ religionis: ita vt oppidum quoddam pæne integrum ab hæresi emerserit. Quod idem consequenti anno in vrbe fecerunt duo & septuaginta. Aduocantur autem e nostris persæpe ad habendos funebres publicosq. sermones. quod idem, vt confirmat Catholicos, lædit mirum in modum hæreticos: sic, vt latrantibus eorum nonnullis, plerique ringantur. quorum sunt etiam non semel nefarij repressi impetus, & conatus retardati. De Confirmationis Sacramento vnus e nostris verba fecit aliquando, multaq. de eius vtilitate prædicauit verissima, & audientibus opportuna. nec irrita ceciderunt verba. Persuasit multis, grandibus licet natu (in quibus visenda fuit maxime pietas Senatoris in hoc regno primarij, qui sextum & octogesimum agebat annum ætatis) vt illo se Sacramento muniendos Episcopo darent. oblata etiam occasio non virginum

modo pudicitiæ consulendi, aut abstrahendi concubinas a flagitioso multorum contubernio, sed & scorta a turpissimo quæstu. resipuerunt nempe aliquot exemplo vnius mulierculæ, quæ eamdem cum factita ret artem, ex edito dilapsa loco, subito casu expirauit. Hæc extra Collegium. Iam si de templo quæritis, accessit ad reliquum eius ornatum vas ad Eucharistiæ custodiam, itemq. lampas ex argento: Beatissimæ etiã imago Virginis, singulari artificio. atque hæc omnia liberalitate nobilium, qui & frequentes ad nos veniunt, & nostro hortatu subueniunt graui multorum inopiæ, tum morbo, tum etiam paupertate pressorum. Ex eodem ordine nobilium vnus fuit, qui, vt profitetur etiam ipse, & dictitat sæpe, cum per duas hebdomadas infestum habuisset dæmonem, ita vt per noctem immane monstrum incurreret in oculos, simul absolutus est laqueis peccatorũ, et horribili spectro liberatus. Idem fere obtigit adolescenti item nobili, qui cum ad Catholicam nuper perfugisset Ecclesiam, similibusq. agitaretur intemperijs, aut defectionem suadentibus, aut mortem, ad sapientiora se conuertit, ope consilioq. amici cuiusdam, qui eum ad templum nostrum atque ad sacerdotẽ adduxit. Iusta enim plerumque fit Dei clementia, vt peccatorum auctor & caput dæmon nullam inueniat ad homines viam, in quibus nulla reperit peccatorum vestigia.

COLLEGIVM. IAROSLAVIENSE

IAROSLAVII commorati collegæ vt plurimum viginti septẽ, qui strenue & fructuose, & in vr-

in vrbe ipsa, & in vicinis oppidis laborarunt. Confessiones namque generales, vt nonnulla breuiter summatimq. percurram, auditæ mille sexcentæ viginti quinque. vndeoctoginta ab hæresi, Græcoue schismate se extulerunt. Sed quoniam eximius quidam extitit fructus ex viri clarissimi ad Catholicos traductione, de hoc paulo explicatius scribendum aliquid videtur. Perantiqua hic erat ortus familia atque illustri: sed pestiferum hæreticorũ venenum hauserat mater no cum lacte: tacitis tamen interdum a Deo excitabatur stimulis ad inquirendam veritatem. cum diu hæc coqueret animũ cura, accersiit vnum e nostris, a quo videlicet Catholicæ fidei præceptis esset imbuendus. quod & factum est ex animi sententia. spectantibus enim, atque iniquo animo ferentibus tribus germanis eius fratribus, aliisq. nobilibus eiusdẽ notæ, frementibus præterea peruersæ doctrinæ seminatoribus quinque, rite atque ordine Catholicæ Ecclesiæ no men dedit: ac præterea, ministro electo, duo templa profanata per annos olim quadraginta, reddidit Patri nostro, Christiano ritu expianda. quod in vno statim effectum, triduano oppidanis indicto ieiunio, condicto que conuiuio, quo pauperes inuitarentur. Mansit deinde Pater in hoc oppido dies duodecim, cõcionando, cõfessiones audiendo, sterilibus euellẽdis stirpibus, felicioribus inserendis vtiliter occupatus. permouit ea res vnum, de quibus antea diximus, illius fratribus, qui duo itẽ templa, Synagogas iam per annum quadragesimum Caluinistarum, Catholicis restituit. quas ob res ita exarserunt illæ furiæ hæreticorum, tantas

ijs subdidit diabolus doloris & inuidiæ faces, vt eum vi, dolo, ferro, veneno quacumque ratione tollendum putarent. eodemq. numero habendos illos, a quibus adiuuaretur. Sed Deo tuente causam suam, vt est sæpe tonatio sine ictu, vani fuerunt diaboli conatus, inanes ministrorum minæ. Conuersionem huius viri nobilis alia vtilitas consequuta. Ducentesimus fere annus erat cum familiæ duæ pari nobilitate ac potentia de agrorum finibus ambigebant: tanta vtrinque concertatione animorum, vt iam res non iure ageretur, sed ad vim atque ad arma spectaret. Verum Deo volente, ius finium litisq. ad hunc, de quo locuti sumus, nobilem virum, eiusq. germanos ex vna parte, ex altera ad viduam quamdam clarissimam feminam, cuius summa fuerunt erga nos beneficia, deuolutum erat. Itaque cum apud vtramque partem non paruam haberent nostri auctoritatem, de ipsorum consilio res tandem composita est: & tum arma e manibus, tum odia e pectoribus excussa. Neque harum modo familiarum gratia conglutinata, sed aliarũ duarum: quarum discordia eo iam perducta erat, vt a cæde propius abesset. Idem factum extra vrbẽ duobus in oppidis (est enim in suburbana etiam loca deriuatum aliquid operæ nostrorum) de quibus prætermittam adscribere singillatim. In vrbe autem ipsa cum ter decreta esset quadragenarum horarum supplicatio in æde maxima, sæpiusq. in tẽplo nostro, propitiandi numinis, clarissime apparuit pietas iuuenum e Sodalitio Virginis: qui illis quidem diebus, sed multo magis maiore hebdomada, & calida permulcen-

dis

dis pauperum pedibus, eosdemq. pauperes benefice adiuuando: & longa quadam celebriq. pompa, lineis flagellis se se acriter diuerberando: & supplices preces interdiu noctuq. fundendo: ita ad se omnium oculos mentesq. rapuerunt, ut in eis magnam spem reponeret ciuitas placandorũ cælestiũ, rerumq. meliorũ.

COLLEGIVM. CLAVDIOpolitanum.

FATEOR, mihi de Claudiopolitano Collegio scribere instituenti lacrimas se subito profudisse. Excitata enim statim memoria ad cogitationem illius temporis, quod tam breui tam multos, & tam bonos operarios absulit: quamquam præclare admodum actum est cum illis, quos Deus ad meliorem vitam vocauit. mollicia quadam animi factum est mei, vt non commoueri non possem, recordãs e duobus & triginta, spatio vnius mensis, vix duodecim reliquos fuisse, ceteris pestilentia absorptis. Breue igitur faciam. Claudiopolis in Transiluania est ciuitas tam alta infecta hæresi, tam pestifera labe prauarum corrupta opinionum, vt & proceres ipsi diro illo correpti sint morbo, et plebs erret exemplo Optimatium, & pro pastore lupus sit gregi præpositus, pro Episcopo caput ministrorum, qui eam quasi arcem, & Regiam habent: pauci tantum reperiantur, qui tamquam fluuij in salsis fluctibus maris, dulcem liquorem & integrum seruent: Deo freti, & Illustrissimo Principe, qui (licet quamplurimis incusantibus & incursan-

tibus) Catholicæ fauet religioni, & nostrorum conatus, Collegiumq. egregie tuetur. Ex hoc igitur Collegio ingenti quidem dimicatione, sed maiore cum discrimine fratres nostri, inter infensos quippe homines atque infestos, dabant operam excolendo senticeto, serendoq. Domini agello, quam poterant maximam, & in ipsa vrbe, & in frequentibus etiam excursionibus. apertæ erant scholæ, quibus præter eas litteras, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari solet, Philosophia tradebatur, & explicabantur Theologiæ capita pro captu auditorum: ea maxime, quæ existimantur controuersa: & vt se dabant initia, res optime procedebat. nam cum in Collegio summa esset pax & conspiratio animorum, omniaq. diligerentur ad nostrarum perfectam legum obseruationem: in gymnasio autem, quod refertum erat adolescentium cœtu nobilissimo. quippe nostram docendi rationem hostes etiã ipsi probare coguntur, vt suos quoque liberos mittant, a nobis erudiẽdos. Cũ in Gymnasio inquã iam ex discipulis nemo reperiretur, qui non in optimam ingressus esset religionis viam, omnesq. fere se vel ad Sodalitatem Deiparæ Virginis applicuissent: vel ad Pontificiũ, Regiumq. Seminariũ: vel ad frequentẽ valde studiosorũ pauperum domũ, quam Sanctæ Trinitatis appellant: vniuersiq. secundo vento & prospera nauigatione vterentur, medius intercurrit turbo: quo reflante non omissus quidem cursus, sed paulisper intermissus, dum Deus, qui exturbulento tempore serenum facit, imperaret ventis, & immitteret tranquillitatem. Quod factum est

anno

anno propiore, post pestem. Priore namque cum repentino coorta vis morbi, velut cælum inuoluens nebula, totam hanc terram occupasset, curatioq ipsa ægrorum & contactus vulgaret ægritudines, partim flos ille dilapsus præclaræ iuuentutis, partim immodo rato afflatus æstu, exaruit. Hoc interim tempore sacerdotes nostri, quasi augeretur animus inter aduersa, nullo modo eos deserendos rati, quos tanta tempestas oppreßerat, eorum salutis causa, suum ipsi periculum negligebant. Triũ præter ceteros sacerdotum virtus cognita est: Ferdinandi Capicij, qui erat Collegij Rector: Ioannis Ardulphi: & Hieronymi Fanfonij, qui studiorum erat præfectus. hi enim ita inter se exercendæ in proximos pietatis hoc tempore distribuerant prouinciam, vt Capicius Hungaros, Germanos Ardulphus, auditores reliquos nostros, fratresq. decumbentes Fanfonius, adeundo, alloquendo, audiendo adiuuarent firmarentq. siue ad cedendum e vita, redderent paratiores. Sed illos pariter hæc agentes, & alios quosdam, qui domi cum manerent, in templo tamen præsto erant externis, similis inuasit cõtagio. atque ædituus quidem primus extinctus: tum alij, atque alij. Capicij certe & Ardulphi perpetuam vitæ concordiam mors quoque misenit: eadem enim die (ea videlicet, qua olim reliquit terras Noster Pater Ignatius, pridie Kalendas Sextiles) mane unus, alter vesperi, leuati his corporis vinculis, ad communem parentem euolarunt. Aliquot deinceps alij consecuti: neque enim in tota hac clade alter alterum deserebat. Sed assidebant ægrotis valen-

tes, remedia adhibebant, defunctos sepeliebant, & cum ægrotarent postea ipsi, idem a reliquis præstaba tur officium. itaque cum mortui ægros, ægri validos tabe mortiferoq. odore conficerent, triginta, vt dixi, dierum interuallo, viginti omnino desiderati. ex illis autem, qui reliqui fuerunt paucis, nemo fuit, qui non eodem tentatus morbo, grauissime laborarit. Neque tamen tantam ob calamitatem effectum, vt nulli ex macro illo ac siluescenti solo fructus perciperentur. nullo enim vmquam die in templo nostro officium sacerdotis est desideratũ. vocatus affuit semper unus: qui cum ingredi non posset, scipione, vtcumque poterat, nixus, animi vim & infirmitatem corporis ostendens, & sacro faciendo, & sermone ad populum habendo, cælesti pascebat pabulo quoscumque venientes. ex eius porro litteris hæc feruntur accepta. Auditæ confessiones eorum, quos pestis exhausit, ducentæ quadraginta: vndeuiginti hæresim abiurarunt. Mulier vna Valacha ad fidem accessit. Infantes duo Arianorum, clam a Catholicis allati, baptizati sunt. Filia vnius ciuis, cum iam nulla spe salutis traheret animam, confessa: & cum detestatione hæresis ad fidem conuersa est, quantumuis inuitis parentibus: a quibus eisdem in summo ac supremo beneficio vix impetrauit, vt loco sacro cum Catholicis humaretur. In die natali Domini, centum cum eluissent prius animas peccatorum sordibus, ad sacras epulas admissi. Nec vereor, ne cuipiam hæc nimium subtilis ac minuta videatur enumeratio: si cum animo vestro reputabitis, hæc dici de illa ciuitate, in qua iam

diu

diu debacchatur hæresis, pestis illa animorum, latius multo & inflatius, quam sæuus ille morbus, quo tan topere grassante, modo dicebamus priore anno nostrorum numerum fuisse imminutum. Quamquam an no posteriore res haud paulo meliores fuerũt: et perinde atque parum detrimenti factum esset, pro eximia Patris Nostri Generalis erga hoc quoque Collegium prouidentia, reditum est, tantum non pari numero (quinque enim conuenerunt & viginti) ad officia intermissa. Studiosorũ autem adolescentium cœtus, qui defluxerat, creuit potius, quam de eo sit aliquid detractum. In Seminario certe Põtificio, Regioue tanta est frequentia, & nobilitas, quanta antea numquam. Itaque reuixisse omnia & resloruisse, Dei beneficio, videntur. Instaurata studia visendo apparatu, elegantiq. historia Sancti Stephani, Hungarorum Regis: acta est per speciẽ fabulæ in scena, approbante Transiluaniæ, quæ ad comitia conuenerat, nobilitate vniuersa. nam quid dicam Illustrissimo Principe: cuius de erga nos humanitate & beneuolentia nihil dici tam amplum & magnificum potest, id multis partibus quin eius virtute superetur. Habitæ in comitiorum exitu publice a nostris disputationes: voluit interesse. qua in re operæ pretiũ fuit hæreticorũ cognoscere insciti ã: qui inuitati, & vocati, ab illo congressu longissime refugerũt. oblata eidem Principi a Prorectore nostro candela, sollemni agnoscendi fundatoris consuetudine: accepit tanta cum significatione amoris, et, quod vultus ipse arguebat, lætitia, vt etsi alias in rebus huiuscemodi per Cancellariũ respondere soli

tus

tus: tũc breui quidẽ, sed graui oratione, et plane Regia, in tẽplo medio, frequentissima procerum corona testatus sit egregiam suam erga nos voluntatem, et perpetuum Catholicæ religionis propagandæ studium. quo in conatu, addidit, se non suas tantũ vires atque opes, sed sanguinem etiam ipsum ac spiritum, si ita res ferat, profusurum. Denique, quo promoueret magis ac proueheret Sodalitatem dedicatam Beatissimæ Virgini, oblatum sibi eius patrocinium, libentissime suscepit, interq. sodales ceteros voluit aggregari. quo facto non solum ad tempus ornamentum magnũ Sodalitio attulit, sed etiam alijs exemplum. omnes enim Catholicos homines ad rem eamdem & cupiendi & exposcendi studium incitauit. Itaque nunc maxime conuentu amplissimorum hominum Congregatio celebratur. quo maior est inter hæreticos inuidia obtrectatio q. ordinis nostri: ita vt figãt aculeis & maledictis: pro concione etiam lacerent quemcumque ad nos frequentius adire cognouerint: nec in uiuos modo odium exerceant, sed etiam in mortuos. Contigit aliquando, vt cum vnus quidam, profundum delapsus in flumen, aquarum fuisset vortice absorptus, mortui cadauer ne extrahere quidem licuerit vxori, nedum sepultura afficere, nisi diligenter quæsitum ante, & planum factum esset, non vsum dũ viueret, familiaritate nostrorum. Numquam autem desistunt conari, laborare, contendere, in priuatis agere publicisq. conuentibus de nobis eijciendis, atque omni ratione exterminandis. huc adhibent omnem machinã, hoc omnibus viribus pugnant. in posti enis super

comitiis

comitijs res gesta est summa cõtentione, allataq. eius rei decreta ad Principem semel atque iterum: qui cum eluderet primo, & vellet eos æquos placatosq. dimittere: vbi acrius instant, sese aperuit omnino, atque excussit iniqua illorum postulata: edicens, ne posthac vmquam sibi ea in re molesti essent: intelligere enim potuisse quo ipse esset animo in Iesuitas: qua voluntate in Catholicam religionem: quam, quoniam a maioribus accepisset, in ea omnibus neruis opibusq. conseruanda, augenda, posterisq. tradenda, vitam sibi potius, quam perseuerantiam defuturam. ita procubuit in præsentia eorum aries, quem excitare tamen sperant (mußantes interea & carpentes decretum Principis) in comitijs, quæ proxime habebuntur. Sed is, cuius vmbra auxilij tegimur, nos quicquam aduersi suspicari vetat. Turris enim fortissima est nomen Domini. Sed abeamus ab hæreticis. Res Catholicorum belle procedit. Ternæ, interdum etiam quaternæ, habentur diebus festis in æde nostra ad populum conciones, Hungarica, Germanica, Latina vna, atque altera ad Principẽ. Triginta hæretici ad fidem adducti. Maior eorum numerus, quibus datum baptisma. complures enim ad nos quotidie mittuntur pueri, & veniunt adulti, vt quibusdam interdum diebus quini seniq. baptizẽtur. suburbani pagi singulis fere hebdomadis lustrãtur: e quibus duo integri receperunt fidem. faceret idem & tertius, si per hæreticum dominum liceret: nunc quidem sacerdotem Catholicum flagitat: durus est in concedendo Dominus. at pagani tamen plerique

que ad nos vt ventitent, quinque milliarium conficiunt uiam, ministrumq. hæreticum, quem expellere non possunt, ita tractant benigne, ut certa eũ multent pecunia, si quando non promulget alios a Dominicis dies festos, qui incidunt, in quibus opus facere nefas. Egregie præterea operam nauant hoc tempore sacerdos unus, quem nobis Seminarium tãquam primitias dedit: duo item iuuenes, quos e nostris delegerunt scholis duo viri nobiles, vt singulis videlicet singuli binos liberos erudiendos darẽt. vter que enim magister discipulos suos veræ imbuit sapientiæ initijs, timore Domini: & in Christianæ præsidijs Reipub. feliciter collocauit: vsque adeo, vt nec allici postea blanditijs a parentibus ad eorum sectã, nec dimoueri a fide minis aut verberibus, quamuis tentati sæpius, vlla ratione potuerint. Tres postremo viduæ, quæ cum iam sese voto castitatis obstrinxerint, suam etiam quodammodo operam Deo dicauerunt: certatimq. tum in vrbe, tum in pagis propinquis illud elaborant, vt quamplurimis monstrent feminis, in quam cæco errore versentur. quod earum consilium non ratione prudentius, quam euentu felicius videtur. adest enim laborantibus Deus: permultæq. ad hanc vsque diem ipsarum consilijs Catholicam religionem amplexæ. celebris iam nos agamus cum Deo precibus atque hostijs, vt agrestem illam siluam & horridam patientẽ esse velit nostrorum culturæ, qui laborant in ea repurganda: ne sieri lescant amplius arbores, sed insitis fertilibus ramis, mites nunc tandem fructus atque vberes ferant:

idq.

idq. vt assequamur facilius conseruet optimo Principi eam mentem, quam dedit, & det eam vitam, quam meretur.

COLLEGIVM. POLOCENSE

DECEM in Polocensi Collegio: e quibus sacerdotes quattuor, magistri tres, ceperunt laborum suorum fructus non pœnitendos. Ac primũ scholæ, quibus iam instructa domus percommoda tẽplo proxima, efflorescunt auditorum præstantia ac frequentia: e quibus admissi in Societatem, & Cracouiam missi duo. Haud ita pridem institutum Seminariolum nobilium: quod suos progressus habet. Dederunt autem sui specimen ingenij adolescentes, tum in vsitatis gymnasii exercitationibus, tum in drama te vno atque altero, quod præclare stetit, in magno cœtu plausuq. nobilitatis. quod ipsum acuit etiam studia nostræ fidei aduersantium, vt vltro ad nos, eiectis domesticis moderatoribus Schismaticis, liberos adducant suos: quidam dent in Seminarium: quidam domos emant propinquas, vt filij ad nos venientes faciant compendium viæ: multi denique suos a nobis erudiri postulent. quos vt recipiamus, tam submissis orant verbis: cum exorarunt, tam exquisitis agunt gratias, & quidem homines nobiles, vt & nos amari ostendant, & paulatim illabantur in amorem eius fidei, quam nos tenemus. Ipsi porro pueri non magis docentur litteras, quam dedocentur impietatem. ac ne multis: ipse etiam Vladica Polocensis (est autem

tem Vladica Russorum Græci schismatis Antistes) nobis sororis filium commendauit. qui quidem puer nesciente auunculo ita se docilem præbet ad nostram disciplinam, vt magna spes sit, eum Catholicum aliquando futurum: vel hanc ob causam, quod est Beatæ Virginis obseruantissimus, eiusq. consuetudinis, qua eam veneramur admonitu campanæ, apprime tenax. Qua in re iucundum illud fuit aliquando, quod cum multos haberet conuiuas e præcipua nobilitate auunculus, ipseq. puer mensæ interesset: vbi primum audita est meridiana campanæ pulsatio, nihil reueritus tot spectantium existimationem, genu flexus Dei Matrem de more salutauit. cui renidẽs Vladica. Quid agis fili? at ille scite ac simpliciter exposuit consuetudinem suam. quo audito & subrisit auunculus, & admirantium omnium libertatem ætatis grata quædam admurmuratio est consecuta. Afficiuntur interea erga nos, vt diximus, Polocenses, & constabilitur magis Collegium, quod antea vacillabat: sic, vt cum ageretur a multis de nobis ex vrbe exigendis: non defuerint, vel ex hæreticis, non pauci, qui dicerent fructuosius & honestius ciuitati, cunctis monachorum cœnobijs suorum (nam ipsi quoque pseudochristiani suos pseudomonachos habent) vnũ nostrum Collegium videri. Quin ipsi interdum ad templum nostrum se conferunt, atque humaniter nobiscum colloquuntur: quod & omnibus sollemne est ijs qui primo ad hanc vrbem aduenium. quamobrem nonnumquam fit, vt nostrorum audiant conciones, cum habentur: quod quidam cum facerent aliquando, ita

do, ita capti sunt eius sermone, quem audiebant, ut alium quemdam concionatorem suum, quem per litteras euocauerant, etsi se intruderet sæpe in eorum aures concionabundus, numquam postea audire uoluerint. Itaque miser, inflatus, suum illum, quem parturiebat fetum, secum ex urbe, cum quodam ludi magistro, quem eduxit quasi obstetricem, efferre coactus est. Schisma hoc toto tempore deseruerunt undetriginta. Neque tamen toti fuimus in hæreticis persanandis, ut nihil collatum sit operæ in Catholicorum utilitatem. Sexaginta lacrimis & confessione absterserunt sordes totius uitæ. Diremptæ per nostros controuersiæ multæ, & multorum quidem annorum, inter uiros amplissimæ dignitatis. Cum triginta coniugum paribus, qui per mutuam uoluntatem facto diuortio, cum alijs se utcumque coniunxerant, actum est ut ualere iusso adulterio, cuius culpam prætexebant nomine connubij, ad legitimas nuptias reuerterentur. Mulieres duæ monstrosis dæmonum spectris, quibus per noctem agitabantur, confessionis antidoto liberatæ. Ruthenus quidam miles, cum capite luiturus esset homicidium, quod manu patrarat, rectam agnouit religionem, illamq. pœnam tum illi suo sceleri debitam, tum multo magis animo obstinato, qui Dei vocem non audisset, assidue inclamantis, vt ad cor rediret. Itaque identidem illud repetens, quod a nostro sacerdote didicerat, a quo confirmabatur: Hic vre, hic seca, dum in æternum parcas: magna cum animi constantia, atque in Deum fiducia decessit. Mos est Ruthenis & imperitus, & impius,

infan-

infantes non ante quadrageſimum diem ſacra aqua luſtrandi. Interea enim conuenitur Popus, ac rogatur vt bene precetur recens nato, cui tunc etiam ſollemni cærimonia nomen imponunt. hoc ſatis eſſe cauſantur ad ſalutem infantis, etiamſi morte baptiſmum occuparit. Hic pernicialis error magna ex parte noſtrorum conatu ſublatus eſt. Sed fremunt immaniter Popi, & a nobis vix abſtinēt manus: maledictis quidem certe non parcunt. Verum vlciſcitur illos impietas & peruerſitas morum. Quodam in oppido, qua noſtri iter faciebant, prohibebat vnus ex illis, & vero minis atque edicto vetabat, ad nos afferri infantes, vt religionis Chriſtianæ myſterijs initiarentur: ſic, vt duo propter fidem illi habitam baptiſmate caruerint. Paucis poſt diebus cum illac iter facerent ijdem noſtri, deformatum illum eumdem reperiunt, facie, pectore, manibus ſemiuſtum ac torridum: quod pridie illius diei filias duas in hypocauſto, e ſtuppa excitatum abſumpſiſſet incendium, quod ipſe extinguere nequiſſet. Non prætermiſerunt illi hoc tam opportunum tempus hominis commonendi, & exhortandi, ſi forte agnoſceret errorem, ne grauiorem experiri vellet præpotentis Dei manum, qui tarditatem ſupplicij grauitate compenſat. At ille nihilo melior, ſed cæcus magis atque inſolens, ærumnoſum quidem ſe, ſed virum optimum dicere: non dubitare quin bene ſit actum cum prole ſua, propter genitoris ſcilicet ſanctimoniam. quid plura? alterum ſe Iobum prædicare. et erat, ſi crederes homini res ſuas minime extenuanti, ceteroqui Iobo ſimilis, niſi quod nullum in eo

inerat

inerat vestigium nec simplicitatis, nec iustitiæ, nec Dei timoris, nec in rebus aduersis animi æquitatis. Similem a Deo vltionem persensit ministri vxor Ariani, quæ cum die quodam captato tempore Beatissimæ imaginem Virginis, ad quam orare solebant Rutheni recte sentientes, coniecisset in ignem, nocte proxima exortum ignem domi comprimere non potuit, quo duo eius liberi miserrime deflagrarunt. Neque enim semper conniuet clementissimus Deus: excitat se, hoc etiam tempore interdum: et vnum aliquem corripit, vt multos emendet. vt similiter Russo schismatico accidit, de quo oblitus sum, et volui quidem scribere in Vilnensi Collegio. qui cum eo die, qui Assumptæ Virgini sacer est, ad eruendam argillam exisset maxime ob Kalendarij Gregoriani contemptum, multum licet dissuadente virgine Catholica, & vaticinante vltimum illum ei diem, ac supremum opus fore, ruentis subito casu mole telluris, ita oppressus est, vt suo incluſus funere, idē reliquerit alijs neglectæ religionis monumentum, & inuenerit ipse dementis propositi sepulcrum. Sed, vt redeam ad Polocenses, adscribam adhuc vnum quiddam: quod etsi non erit ita illustre, erit tamen argumento, quam superbe dæmon in his volitet locis, quam impudenter in hac tanta fugitiosorum hominum colluuione bacchetur. Ex profano eorum monachorum genere, qui Popi vocātur, vnus e ciuitate ad arcem se agebat sub vesperam, onustus cibo & sensibus mero vinctis: obtu'it se illi, vt ipse tum auditus est dicere, nigellus puer, qui viam monstrabat. deducit hic hominem, & abducit per flu-

uium, qui arcem alluit, glacie concretum: hunc secutus miser, cum erraſſet diu, detractis poſtmodum veſtibus, per niuem raptatus, & demum capite in altam niuem demerſo, ſublatis in cælum pedibus, repertus eſt mane frigore præmortuus. Vt hoc quoque hiſce hominibus exemplo eſſe poſſit, intemperantiæ atque ebrietatis, remis veliſq. fugiendæ.

COLLEGIVM. LVBLINENSE

LVBLINI vt plurimum tredecim: quamquam modo plures, modo pauciores. Sed neque illi ſupra quattuordecim, neque hi infra octo. Quemadmodum igitur in noſtris difficile, certum affirmare numerum, ita & in ijs, qui a peruerſitate opinionum, aut vitæ, vel ſapere deinceps melius, vel viuere cœperunt. illi enim quinquaginta quattuor, atque eo amplius, hi vero minimum trecenti cenſentur: & plerique adoleſcentes ac nobiles. vt eorum tum ætas, tum genus videatur multum Eccleſiae profutura: quod uidelicet & natu minores eorum conſuetudine, & tenuiores auctoritate permouentur. Quod proxime vſu venit. Adoleſcens namque ex ijs vnus ſacerdotem adduxit in oppidulum, quod morte parentum in eius peruenerat poteſtatem: luxq. iterũ orta eſt oppidanis omnibus Catholicæ doctrinæ, qui per ipſos triginta annos iacuerant in tenebris Caluinianæ improbitatis. Quod & in ciuitate vt eueniat, datur opera impenſior. Adiuuatur hoc noſtrorum conſilium, numquam ſatis laudato inſtituto illo inſtruendæ iuuẽtutis. Quat-

tuor

tuor iam sunt scholæ refertissimæ: auditores plus quingenti: ita vt quod erat ante Lublini domicilium, iam aliquam Collegij formam acceperit: eo potissimum excepto, quod temporario sacello pro templo vtimur. quod tamen tale est, vt capiat plurimos. neque enim angustum esse oportuit, quo tam multi conueniunt. Sexcenti sunt in eo imbuti Sacramento Confirmationis. Templum porro ipsum æque atque Collegium promouetur adhuc eleemosynis ciuium: Collegium enim donatum fundo suburbano nostris vsibus valde commodo: templum autem ædificatur strenue, primusq. lapis in fundamenta coniectus magna lætitia ciuitatis. Qua in re accidit quiddam mirabile, quod cum operæ duæ quodam in loco seorsum ab alijs agerent fundamenta, oblitæ fortassis præfulcire tellurem, vt eam lignea vtrimque compages firmis nexibus sustineret, terræ agger repentino collapsu obruit laborantes. Dissipatur per vrbem rumor secundis auribus hæreticorum maiora etiam vero affingentium, diuino miraculo subitam factam esse labem in Iesuitarum ædificio, omnes extinctos, qui eis operam dabant. fremere videlicet ipsi, Deum esse, et aperuisse tandem oculos, & simul admonuisse homines, vt etiam ipsi aperirēt: qui enim et quales Iesuitæ, quorum ita inauspicatum templi esset exordium? fit magnus vndique concursus: egeritur humus ex ea parte, qua obtriti esse credebantur. horam fere in ea exhaurienda permulti homines moliebātur: illi interea nusquam comparebāt: stantes tandem pone parietem reperti sunt spirātes, vitæq. manifesti: quibus extractis ac refotis, redijt

paulatim visus sensusq. post omnis etiam valetudo, bonis Deum collaudantibus, ingemiscentibus improbis, restituta. Aliud similiter narrabo, quod desertoribus fidei terrorem incutere poterat, aut saltem pudorem, ni eum iam pridem cum fide amisissent. Frequentissimo cœtu in vrbem hanc conuenerant, tempore, vt vocant, iudiciorum. agitabatur ab illis conuiuium plenum hilaritatis & vini. corripitur interea subito igni domus, quæ erat nostræ proxima: ita vt ardente illa, res nostra agi videretur. hoc inuicem inter se gratantes illi, inuitare se capacioribus poculis, nec satis moderate ferre gaudium, quod oculis hauriebãt. Sed præsentiam suam nobis ostendit Deus: ipse enim violentum ignem, qui nostra propemodum lambebat tecta, auertit in hæretici ædes, quæ fuerunt funditus, nostris integris, exustæ. quamquam hoc, quod proxime sequetur, notius multo atque illustrius fuit: atque omnino eiusmodi, vt linguas posset retundere obloquentium, ne hiscerent posthac contra Catholicos, a quibus Deum stare animaduertunt. Sed hoc nimirũ est, quod dicitur. Durities animi esse solet pœna peccati. Anno superiore, mense Nouembri iam adulto ac pæne præcipiti, positum est a nostris in disputatione ad euincendam hæresim, id quod est re ipsa verissimum, vnum esse a Christo Domino Pastorem ac moderatorẽ orbis terræ in Ecclesia constitutum Inuitati Ebionitæ, qui hic tabernaculũ collocauerunt impietatis suæ. Disputatio biduum tenuit. Die posteriore seuero quodã supercilio procedit vnus e magistris delirantium, Superintendentem appellant. ac principio quidem,

quidem, pietatis ostentatione, quo deciperet magis suos, qui plurimi confluxerant, quasi sollemnes quasdam concepit preces, quibus orabat Deum, vt vter disceptantium sciens falleret, atque obsisteret veritati, ei diuinitus os clauderetur. hac velitatione, cõmittitur prælium: conijcere tela ille summis viribus, noster repellere: ille omnem tentare aditum, noster occludere. feruente tandem per horæ spatium magis ac magis bello, collato veluti pede redintegratur pugna. hic tibi mucronem alte hæreticus extulit, totoq. in eum consurgit corpore, vt descendat ictu, vt sibi persuaserat ipse, inevitabili. Sed mortalia arma, atque adeo infernalia omnia nihili sunt, cũ cælestibus pugnãt. Dissiluit mucro plures in partes: glaciem dixisses: & in terram defluens, exarmauit subito stupentis manũ: afferebat nempe locum illum e nouo Testamento. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: sed videlicet illorum præligiatorum more, corruptum. Quod tamen effatum, vt ab ipso erat pronuntiatum, cum Græca, Syriacaq. lingua testimonio noster coarguisset mendacij, sic vt eius ictus in auctorem retorqueretur, excidit repente homini oratio: & conuersus ad proximam circumfusam multitudinem, Obtudi, inquit, vocẽ, & lingua obtorpuit. sciscitantibus ecquis dolor corporis, aut horror febris inuasisset: nullus, inquit ille, vox tãtum defecit. id cum publice testatus esset sæpius, obtestari impedita mente ac titubante lingua, & obsecrare proceres (intererant enim primores regni duo cum frequenti nobilitate) sibi vt abire permitterent. itaque sublatus e

ſella, altero in eius locum cõtinuo ſuffecto. Ille autem in eam incidit pœnam, quam ſibi lingua nuncuparat. Vulgata ea res per totam Poloniam, & diu ſermone omnium, ac multorum litteris celebrata. Alia etiam viſa ſunt in hac vrbe, quibus diuina effectum eſt prouidentia, vt redderẽtur Catholici firmiores. Virgo nobilis e fæce Anabaptiſtarum ad ſalutarem aquam ſponte accurrit, eo, vt illa affirmauit, permota miraculo: quod mulierem vidiſſet Catholicam quidem, ſed in eo nutantem, an in conſecrata Hoſtia ſanguis Chriſti ineſſet: quæ quidem cum in ea hæſitatione communicaſſet ali quando, oppleri ſibi illico os ſenſit ſanguine, quem ipſum, ad ſacerdotem adiens, multis inſpectantibus ſubiectum in calicem reuerenter emiſit. Pueri quidam baptizati erant ab hæreticis: ſed nihil ijs, vt deeſſet Catholici ritus, viſum eſt vt oleo ſacro inungerentur. Quod cum fit, puella ex eorum numero, aqua intercute laborans, qui morbus non longiſſime abeſt a mortis periculo, ea, quaſi ad infirmitatem corporis datum eſſet medicamentum, conualeſcere cœpit. Simili beneficio affecti non pauci, quibus, cum ægrotarent grauiſſime exigua ſpe valetudinis, melius factum eſt, ſimul atque euomuerunt ſcelerum virus, quod diu incluſum in animo habebant. Inter hos, eodem remedio, & mulier importuniſſimo ſpiritu blaſphemiæ, & vir impuriſſimo ſuccubo liberati.

COL-

COLLEGIVM. RIGENSE

SEQVITVR Rigense Collegium, de quo tamen quid fuerit potius, quam quid sit, effari licet. cum anno proximo fuerint nostri seditiosæ tumultu plebis electi. De hoc antequam scribimus, quoniã & in vrbe ipsa, & multo magis in pagis frequenti excursione effectum aliquid ad Dei gloriam, ibimus breuiter per capita, tum vero ad relegationis, vt ita dicam, historiam seriemq. veniemus. Habebantur olim in templo diebus festis conciones quaternæ, Germanica, Polonica, Lotauica, Latina: & vt in eo saxeto, non mediocri cum fructu. Ad Ecclesiæ communionem, ut vrbanos paganosq. confundam, redierunt minimum quadraginta quattuor, ab hæresi se receperunt vnus & viginti. Nonaginta tria coniugum paria, qui mutuo tantum consueuerant consensu, Catholicarum cærimoniarum legibus adstricta. baptismo lustrati centum. detestati coram sacerdote superioris vitæ flagitia bis centum. Non ignoro hæc ampliora dicendo potuisse fieri, & peræque addi posse de insigni rusticorum pietate, & piscatorum: cum et illi nostros orent, vt herbas, salem, frumenta, aquam, agros prosequantur prece: hi vt retia. quo impetrato, morbos illi auerti a corporibus, a satis grandinem, pestem a pecore: hi vero veneficijs exolui retia profitentur. Sed de his sileatur pro tempore, quæ & alijs perscripta sunt annis, quandoquidem ea vrgent proprie, quæ hoc biennio acciderunt. Per-

sequar enim per summa rerum fastigia eum ordinem, quo sunt nostri Riga expulsi. Ad quod tamen narrandum non aggrediar, antequam repetiero, a quibus seminibus tam fertilis in hoc vulgo aduersum nos excreuerit ea seges maleuolentiæ, cuius denique maturitas in proximum annum erupit. Riga in Liuonia est eo terrarum tractu, qui mare contingit, vrbs permultos ante annos Lutheris veneno infecta. duo ipsa diuiditur in genera ciuiũ, in Optimates (Senatũ appellant) & Plebem. Magnum semper illorum fuit iam inde a principio constitutæ in ea vrbe Societatis erga nos studium, magna amoris significatio. Plebs contra: ministrorum nempe inflammata facibus, nostrorum aduersari omnibus consilijs et factis: vt iam non esset tutum iter die medio per vrbem: neque enim erat obscurum in nos odium, idq. insitum penitus & inustum in animis sensibusq. multorum: quo ita feruebãt ferebanturq. vt palam execrarentur, pestemq. omnibus exoptarent: nec maledicta profunderent modo, sed illud etiam studio sibi haberent, terrere nihil referentes intentu palmarum strepituq. scloporum. & tumebant illi quidem, & in circulis publicisq. turbulenti cœtibus sese mutuo incitabant: nec audebant tamen in nos facere impetum viuente Stephano Rege, Patre ac Patrono nostro, sine simulatione causæ, quam nec meditari poterant verisimilem, nec eloqui probabilem. alebatur interea nocendi cupiditas ab hæresi, nutricula illa seditiosorum: quorum rabulæ pro suggesto in Pontificẽ Maximũ, nosq. qui essemus de eius grege, turpis-

sime

sime inuehebantur. oblatum est autem nescio quid primum, vnde parua e scintilla, incredibile est, quantum exarserit incendium. Interdictum erat, quod nos non fugit, adolescētibus aditu nostrarum scholarum: sed adolescentuli aliquot nihilo minus clanculū ventitabant. ex his erat, admirabili indole virtutis atque ingenij Bernardus Echius, Burgrauij Regij id est, eius, qui Regis personam in hac vrbe sustinet, filius: in cuius optimam mentem ita se Deus infudit, vt & omnium primus sit confessus & alios quinque, aut sex ad nostras scholas adduxerit: tam virili prorsus constantia, vt cum virgis propterea cæsus esset in schola Lutherianorum, nihil remiserit de priore proposito, plures potius secum attraxerit. Non posse hoc ferre aduersarij: itaque consilium captum de adolescentulo Gedanum per studiorum causam amandando. Fit mutatio loci, non ingenij. Hic nempe etsi per annum obsessa a magistris cessauit præclara adolescentis virtus, occultis tamen itineribus venire interdum ad nostros, ibiq. clandestina confessione communire pectus & æqualibus exinde Gedanensibus nonnullis persuadere, vt Gedano relicta, ad nostros in Bransbergense Collegium se cōferrent. Iam igitur virtus lucebat in tenebris. quamquam enim sedulo obstrueretur, ipsa tamen obstructio non erat ita obducta, quin per aliquas interdum stricturas præstringeret oculos inuidorum. Ipse quidem in loco sermonis ansas dabat, quibus curiosum suspicioſumq. illud hominū genus, qui hoc vnum agebāt, reconditos ipsius sensus tenere posset. Itaque & circumue-

cumuenire adolescentem insidijs, & oppugnare argu
tationibus: quas vtrasque Deo adiuuante, ætatē vin-
cente prudentia, refutabat. Immo uero has eorum
machinas ubi agnouit adolescens, sese penitus ape-
rit, & Catholicam religionem confitetur amplexum:
cum qua aut viuendum sibi, aut pro ea moriendum.
Hanc post generosam confessionem, iniurijs plurimis
affici, & appeti contumelijs, quas pro fide omnes
æquo animo libentiq. tolerabat. Denique vt consti-
tit omnibus, eius virtutis animiq. firmitatem expu-
gnari non posse, timore videlicet ne alios abduceret,
saltem vt alio ab eorū oculis concederet, ei auctores
fuerunt. Hæc interea adolescentuli fidei & constan-
tiæ fama Rigam implet, atque vt ex longinquo ma-
ior: accenditq animos maleuolorum qui intus coque-
bant consilia, intentiq. omnes aucupabantur occasio-
nes odij expromendi. Ilicet, ad Senatum accurrunt,
onerant Senatorum aures conuicijs & querelis: con
temni a nobis decreta ciuitatis, corrumpi iuuentutem
Papistarum disciplina. Enimuero omnibus modis op
primendam, ne serpat longius, tam impotentem
audaciam. Allegantur ad nos continuo a Senatu & a
plebe quaterni: edicunt & interdicunt grauibus pro-
positis pœnis, ne puerum omnino aut adolescentulum
quemquam non dico ad gymnasium, sed ne admitta-
mus quidem ad colloquium. Eadem opera quærunt
de Patre Rectore, quot ij fuerint, quorum audierit cō
fessiones, quot communicauerit. Verum tale ijs respō
sum datum est, vt præciderit omnem eiusmodi inter-
rogationem. Perlatus huius rei nuncius, neque

enim

enim erat obscura, aut occultari poterat, ad Regem, eumq. ita percussit, vt Rigenses statim accersi iuberet: qui non ausi sunt in conspectum eius venire sine litteris nostris, quibus daretur testimonium egregiæ, vt dicebant, eorum erga nos voluntatis. et sunt quidem perscriptæ litteræ, si non omnino quas volebãt, certe quas veritas ipsa ac temporum ratio expressit. et quamquam iussu Regis rescissa publica omnia contra nos decreta coram Radiuillo Cardinale, pristi naq. nobis iura reddita: apparebat tamen consopitum potius ardens illorum odium, quam sepultum: flammasq. excitaturum statim vt aura existeret aliqua, flabello augenda ministrorum, quam arte captabant. Sed hoc tempus nimium longum videri. Falsum igitur subornant testem, & promissis oneratum & pecunia, qui Rectorem contra & Senatum testimonium dicat: a Senatu scilicet ad Patrem Rectorem litteris missis, dono datum Societati armamentarium urbis, quod est Collegio continens: approbatam Collegij fundationem, quam Rex ipse statuerat: summum denique templum pretio venditum. Verum ille idem vir grauis, & testis egregius, quo id aliquam veri speciem haberet, comminiscitur, litteras illas in Cardinalis aula recognitas, & confirmatas fuisse. nominat deinde alterum testem, virum quidem non inerudituum, quippe candidatum iuris, sed infirmum gerentem animum, timidumq. natura. Hic primum negare quicquam sibi compertum esse: sed rapitur nihilominus in ius ad Prætorium plebis: circumstant hominem lictores, adest carnifex, expediuntur tormenta,

ta, proponitur gladius, ni verum, idest, quodcumque collibitum esset illis, sponte fateatur. hærere ille etiam nunc tremens ac metuens omnia: tandē vbi rem videt serio geri, cum animo esset, vt diximus, humili ac demisso, aliorum infamia redemit periculum suum. exultare confestim plebs insolenti lætitia, per vrbem volitare, portas claudere, emissarios longo agmine ad nostrum Collegium adducere. Interrogatur Rector præsente Iudice quæstionum de commentitijs litteris: negat quicquam de ijs scire: furere illi, & minari grauiora: intraq. Collegij septa a geminis cohortibus in cubiculo inclusum custodiri iubent. ad eum vix vni ad necessaria ministranda corpori, patebat aditus. et si Pater per duos eos dies, quibus res tanto erat in discrimine, apud ipsos etiam custodes in magna dignatione fuit: vt ne verbum quidem paulo sequius accideret ad aures. quamquam se ipse parabat hoc tempore ad mortem magno animo oppetendam. iam enim geminum illud par testium, quorum hic metu habebat adstrictam linguam, ille mercede, præclarum testimonium suum iure iurando scriptoq. firmarāt. Itaque cum a Iudicibus non audiretur nisi si loqueretur quæ ipsi vellent, per breues ad ciuitatem dat litteras suæ testes innocentiæ, atque indices voluntatis. Sibi quidem mortem, si pro defensione veritatis proq. Senatus incolumitate mori contigerit, immortalitatem futuram: ideant proinde ipsi quid Senatui, quid Regi, quid Deo Iudici respondeant. aduocati erant interea Senatores ab illis ciuibus, qui concitarant multi-

tiudi-

titudinem. diligens agitabatur quæstio de crimine litterarum: nec gratum responsum eliciebatur. remittunt igitur nonnihil de ferocia: portas vrbis aperiũt. noctu ad Rectorem in Collegiũ: explorant iterum ac scitantur. Ille in eo perseuerat, quod scriptum habebat in epistola, quam ad eos miserat mane: quã epistolam, si sit opus, vel sanguine meo consignabo. Tũ illi, scire se nihil licere sibi in eum: quia eorum ditioni non subesset: orare tamen, vt quæ pro Senatus defensione dixerat, ea se polliceretur coram disceptatoribus Regijs esse dicturum. Immo vero, inquit ille, vt nulla adspergatur macula Societati meæ. si non dẽtur disceptatores, meo iure ego ipse postulabo. His sermonibus habitis, absoluerunt Patrem: omnium tamen ante iniuriarum & maledictorum verbis quidem expetita venia, sed re ipsa & factis facillime impetrata. Quod ipsis quoque aduersarijs, Lutherianis maxime, admirationi fuit, id se non facturos fuisse cõfirmantibus. Neque enim id mirum, excipit Rector, cum vestrum istud, quod ebullitis Euangelium, non pacem inter homines, sed iurgia & rixas serat. Credidisset aliquis hic motum plebis consedisse: sed res aliter habuit. Euocati paucis post diebus non Rector tantum, sed quotquot erant e Collegio omnes: et singuli interrogati, totq. vexati contumelijs, præcipue Rector: ita denique in omnes sæuitum acerbe, vt ea die (erat autem postridie Nonas Februarias) nisi Diuina affuisset prouidẽtia, & quibusdam iniecisset mentem ciuibus, vt arcerent turbam ab improbo conatu, conclamatum esset. sed quo

infensum

infensum magis, atque infectum erat vulgus, hoc magis benevolo & constanti vtebamur Senatu. erecti enim Senatores nostrorum magnitudine animi atque fidei, etsi antea suadere discessum, & iumenta currusq. offerre: postea retinere auidius cœperunt. Ergo vt sæua illa tempestas detonuit, comprehensi duo illi testes a Senatu, cuius causa coniuncta erat cum nostra: atque ex ijs alter conuictus conscientia criminis, cum paulo negligentius asseruaretur, arrepta muliebri veste profugit, ad Rectoremq. peruenit, qui quamdam secesserat in villam vndecimo ab vrbe milliario, dum illæ sileſcerent turbæ. Ad huius ille se abijcit pedes, multisq. lacrimis sibi ignosci postulat. erigit hominem Rector, confirmat, reddit animũ, & bonum pro malo reddens, Catholicis imbuit præceptis: qua de re etiã nonnulla in vrbe prius egerat cum illo: ita ut publice eo in loco abiurarit hæresim, & vicenis litteris, quas sua scripserat manu, signoq. obsignarat, ad varios missis, falsum quod dixerat testimonium, reuocarit. lux quædam offerri visa Senatoribus ex huiusce rei nuntio: aduersarij scilicet frangi & concidere animis, quorum nonnulli, & architecti quidem sceleris, submiserunt ad nos viros primarios, qui pro eis deprecarẽtur. Et hunc quidẽ rei exitum non ipse solum Cardinalis, sed alij etiam proceres non pauci suo chirographo ac litterarum testimonio confirmarunt: vt iam os aperire alij nec auderent, nec possent: accusare tamen ipsi credulitatẽ suam, se inductos ac deceptos dicere: a principio aberratum: rem non fuisse optime cognitam. Ecce tibi

ab

ab Rege fulmen, litteræ videlicet ad eos & iracundæ, & graues, quibus nobis factas iniurias seuerius expostulat, easq. eo habiturum numero, ac si eis ipse affectus esset. Verum, vt difficile est incitatam semel & in procliue labentem populi rabiem continere: vix mensis abierat, cum coniecti sunt in carcerem primores Senatus duo, dissipato sermone, quod ijs auctoribus, templa duo primum in Regiam potestatem, deinde vero in nostras manus venissent: ijdem paulo post producti in publicum, capite plectuntur. Harũ rerum nuntijs ad Regem, & ad nostros perlatis in Poloniam, Rex ipse, Patresq. nostri missis ad Patrem Rectorem litteris, monent, vt concedat iam cruentæ hominum iræ: neque enim ibi locum esse Martyrij, vbi nec ratio, nec supremi magistratus auctoritas locum habeat: cedat porro ipse, aliumq. substituat sibi: non defuturas alias de Ecclesia Dei merendi occasiones. neque id ex vano perscriptum: statim enim a viro sapientissimo, atque homine integerrimo Andrea Patricio Nideschio, Liuoniæ Episcopo abductus est ad Liuoniam totam lustrandam, eamq. roborandam in fide, aut ab impietate remouendam. Quod opus cum feruet, interuenit medius (o incertam conditionem hominum, instabilemq. naturam) Stephani Regis obitus, non magis Poloniæ Regno, quam Catholicæ religioni, nobisq. omnibus luctuosus. qui cum Collegia nostra in omni sua ditione fere omnia locupletauit & ornauit, tum maxime Rigense templum instrumento præclaro, sacraq. supellectili: vt quo excellentior illius fuit pietas, atque erga nos

studium

studium, eo gratioribus animis, eius colere beneficia, maioreq. desiderio tanti viri memoriam prosequi debeamus. Post eius mortem intentus ille arcus furoris popularis, quem Catholicæ fidei odium in nos nuper direxerat, quã sagittam aliquot ante annos prępotens Stephani manus sustinuerat, maiore ionitu intorsit, quam ictu: sumus enim denique Riga exacti, sed incolumes omnes ad vnum. res autem hoc gesta modo. Cogitur ab illis concilium, statuitur de nobis eiiciendis, leniter quidem si assentiamur: sin minus, vi & ferro. Veniunt ad nos postridie Kalendas Septembres Senatores aliquot, & Tribuni plebis, ministriq. Lutheriani, duces & auctores præcipui illarum coitionum. Exponunt non placere ciuitati, vt in vrbe essemus: edicunt exilium de sententia populi: domum nostram uelle ipsos: eius claues efflagitãt: interdicunt sacris omnibus: etiam ad duas illas virgines (de quibus alias est scriptum) quæ solæ sexagesimo fere abhinc anno ut in sentibus rosæ, Catholicæ restant religionis, rectiq. colentes. Non tamen mutus ad hæc Prorector, minus licet ualenti corpore atque imbecillo: bonorum enim implorare fidem, prouocare ad Regem futurum: Societatem nullo iure, nulla lege, nullo crimine ciuitate expelli. surdis illi ad omnia auribus. Nihil iure ne an iniuria argumentari refert, uolentibus nolentibus emigrandum est. uix noctis spatium impetratum. arreptis hoc tempore elanibus, exultantes gaudio, atque insultantes nostris, sacrosanctum templum profani, mox profanaturi intrant: sacris altaria exuunt operimentis, icones proturbant

turbant, euertunt, excindunt, delent omnia pietatis insignia: tum infanda quædam insusurrantes carmina, quasi expiassent ædem, quam dæmoni dicauerant, ex ea eiectum dæmonem increpant, deq. Pontifice Romano actum ingeminant triumphum. Nostri pauca quædam in proximum cœnobium ad sacras illas virgines, de quibus modo dicebamus, afferunt cu flodienda. Excepti videlicet, quotiescumque egrederentur, fremitu populi, ac sibilis exprobrãtium atque eludentium. spoliato denique & clauso templo, noctu socios includũt domi, dispositis armatorum excubijs, qui probibeant egressu. Mane baiuli mittuntur, & plaustra, a quibus adiuuemur in rerum exportatione. Prorector, quantum vires ferebant corporis, it ad Præfectum vrbis, ipsum quoque e face Lutheranorum. exorat vt secum eat in Prætorium ad Tribunos: expostulat grauiter de Societatis iniurijs, Regiæq. maiestatis: docet nihil actum iure, nihil legibus: sed frustra: eo videlicet confugiebant. Quod ratum erat populo, irritum fieri non posse, & periculum fore seditionis. Nostris itaque domo abire iussis, intromissi in eam turbines illi ac procellæ pacis ac religionis hæreticorum ministri tres cum vxoribus, liberisq. concesserunt tamen nostri primum, Præfecti ipsius inuitatu, in arcem, quæ pertinet ad vrbem, eiq. adhæret. at illi iam compotes voti non tacitum continere gaudium suum: quin clamoribus, ærisque campani pulsu, gratulationibus, quibusq. alijs multitudo solet incondita, significare lætitiam. Iamq. aderat anniuersarius dies Beatæ Virginis, Deoq. dicatæ illæ virgines duæ

(quarum altera centesimum excessit annum, altera ab eo non longius abest) ieiunijs se & comprecationibus ad sacram Synaxim comparabant. quam rem cum olfecißent dæmonum canes, magno cœtu irruũt in Cœnobium: mortem minitantur virginibus, nisi consilio desisterent. illæ nihil metuere. superueniunt alij, qui eas deducere moliuntur: nullo modo id se passuras virgines affirmant: appellare Patres Societatis, quorum fidei essent a Stephano Rege commissæ. ad extremum, cum omnia velut vana, ac sine effectu nihil proficerent, impudentis licet populi furor, verecundia victus, cõquieuit: victoria penes virgines fuit. At nostri interea in vicinis vrbis arcibus, nostrisq. prædijs rei Catholicæ nauantes operam, tamdiu morari decreuerunt, quoad in ijs terris (quod breui speramus fore, Dei videlicet nutu, qui oriri facit e tenebris lumen suum) disiecta hominum perfidia, veluti caligine, Sol e cælo clarissimus affulserit pulcherrimæ veritatis.

COLLEGIVM CALISSIENSE

HOC Collegium, de quo fundando iam diu cogitatum, nunc tandem, ideſt, fere ante quinquennium, fundatum est pietate ac liberalitate Stanislai Carchouij Archiepiscopi Gesnensis. hic enim, quo est Catholicæ religionis studio propagandæ, ſrmul atque euectus est ad summum Gesnæ Sacerdotium, nihil habuit antiquius, quam vt & Societatis Collegium, & clericorum Seminarium Calißij habe-

ret.

ret. Mora nonnulla obijciebatur consilio, quod non longe abesset (milliaribus nempe non amplius septuaginta) Posnanienſe Collegium, inchoatum illud quidem, sed quod perfici prius oporteret. Quod videbatur impedire, auxit potius animum optimi Antistitis: vtrumque enim præstitit: & extremam impo suit Posnanienſi manum, in aliena licet diœcesi, et Caliſſienſe condidit, dotauitq. vt pauca prætcrea deſiderentur: ac ſi vita illi ſuppetat, nihil ſit in poſterum defuturum. Collegium ac templum ſedulo ædificantur. cui quidem templo, cum primus poneretur lapis, ipſemet adeſſe voluit Archiepiſcopus, & ſollemnem illam coboneſtauit cærimoniam, non ſine gratulatione multorum, & cum magna commendatione Societatis: quam eo die pro concione laudauit vir omni laude digniſſimus. Duodecim in hoc Collegio verſantur: claſſes diſcipulorum quinque: nam etſi in tribus tantũ docent noſtri: reliquis tamen duabus ita præficiuntur, vt in illis æque docere videantur. Diſcipuli quingenti: quorum ſtudium in vtraque inſtauratione, verna & autumnali, excitatum eſt publicis actionibus, ad quas factus eſt maximus ſpectantium concurſus: tanta cum eorum approbatione, vt cum iam omnes ciues ſuos a nobis liberos inſtitui poſtulent, hæretico rum Synagogæ euanuerint. Redintegrata eſt ſchola nobilium, quæ ante erat dilapſa: itemq. Sodalitas Beatiſſimæ Virginis, quam ſeptuaginta adoleſcentes omni Chriſtianarum genere virtutum ita illuſtrant, vt eam cum intuentur Catholici, pietate inflammentur, hæretici vrantur inuidia. Non vagabor longius in

commemorandis eorum exercitationibus: subijciam vnum, ex quo coniecturam liceat facere de singulis: septem videlicet, octoue ex ijs priore anno in Societatem nomina dedisse. Ipsi deinde, qui ad nos itant adolescentes, cum omnes proficiunt in litteris, tum non pauci, vt sunt plerique parentibus hæreticis, Catholicos se fore profitentur. Vnus quidem ex ijs, qui clam suis ad nostros ventitabat, magnum dedit specimen probitatis, & constantiæ: neq. enim postea audiuit um quã Lutherianũ patrem, qui eũ abduceremoliebatur a fide, quamuis furẽter irasceretur: & post eius mortem, matre primum inuita, post modum permittente, & ad nos adit, & sacrosancta mysteria publice frequentat. Nec vero tantum scholis in gymnasio adolescentia, sed concionibus etiam (quarum munus iussu Præsulis nobis tantum incumbit) in templo reliqua ætas adiuta. Conuersi ad fidem ab hæresi, toto hoc tempore, quo hic fuimus, quadraginta: hoc biennio vnus & viginti: a Schismate octo: exemerunt se vinculis peccatorum integra confessione, quantum poterant replicare memoriam præteriti temporis, quadringẽti. multi deposuerunt inimicitias nostrorũ oratione permoti. Denique, vt cursim dicatur, auxilium, consiliũ, solatium non defuit a nostris: quãtum quidem per illos fieri potuit: & ijs, qui laborabant in nosocomio, & ijs qui in carcere: vni postremo, qui cum truderetur ad supplicium, etsi primo nihil pensi habebat moriente corpore mortem animæ secundam, in medio itinere se ad Deum conuertit.

COL-

COLLEGIVM. NIESVISIENSE

IN NIESVISIENSI Collegio priore anno septē, posteriore duodecim fuere: quo quidē anno, vt multiplicatus est numerus, ita etiam magnificata lætitia. Sed quoniam nunc ibi sumus, vt duorū annorum res gestæ narrentur, vtrumque coniungam: sed nostro more, pauca de multis. Quia duplicibus aduersariorum castris ad nos transierūt, sex & sexaginta censentur: sex enim & viginti a schismaticis, reliqui ab hæreticis defecerunt. Quadraginta quinque emendationis vitæ genus amplexi, cum aperta detestatione superioris, cuius omnes maculas confessione purgarunt. confirmati qui lababāt in fide plures sexcentis: ad captiuos redimendos & subleuandos pauperes scholasticos floreni mille & quingenti, piorum liberalitate collecti. Adolescentulorum, quos litteris erudimus, par quæ proximis annis diligentia, numerus duplo maior. ex horum numero conflata est Congregatio, quæ Sanctissimam Dei Matrem patronam habet: de qua, si initijs reliqua consentient, magna omnia polliceri nobis ac sperare debemus. Non paruus etiam concionum est fructus: sed ille præcipuus, quo maxime est in matrimoniorum ritu celebrando laboratum. Praua hic quædam radices egerat cōsuetudo, vt pueri vix puberes, cum puellis, quæ nondū maturæ essent, sine Ecclesiastica vlla cærimonia iungerentur. qua in re illud quoque suberat malum quod, qua lenitate copulati erant coniuges, eadem,

aut maiore separabantur: ita vt & alios sibi viros quærerent fœminæ iam adultæ, & vxores alias viri. Hæc igitur vt consuetudo sli pitus euelleretur, cautum est, vt Concilij Tridentini decreta seruentur. & consimili ratione data opera, vt qui coniuges ad secundas nuptias nullo iure transierant, ad priores rite atque ordine reuerterentur. quamquam, vt ad conciones redeam, vt rerum omnium initia solent esse tum exigua, tum etiam difficilia, cum sub Quadragesimam panci conuenirent, relata res est ad Illustrissimum Ducem Collegij fundatorem. is statim euocatis ciuibus edicit, vt ad conciones adessent, eum qui neglexerit, non impune abiturum. Itaque celebrari cœpta concio, cum eo, de quo modo dixi, profectu animorum. Curatum est etiam certorum hominum Sodalitium, qui aduigilent ne ægroti moriantur sine perceptione Sacramentorum. itaque nunc multo frequentius, & maiore comitatu, quam ante, ad ægros Eucharistia defertur. Duorum baptismata in hac vrbe sollēnia fuere, viri, et puellæ. Iudæus erat ille & in robore ætatis: hæc virgo in flore ipso: quæ videlicet ex Arianis nata, reclamāte matre, patrem secuta est, qui triennio ante recantauerat: quod minus mirum videri debet: cum sex ipsos aliquando pagos ad sanitatem redire contigerit. crebræ enim fiunt a nostris in vicina loca excursiones: nec sane inutiles: illa prorsus vtilissima: qua cum Dux quidam Catholicus nostros enocasset, ipse primum exercitationibus instructus & cum tota familia confessus est. multorum simultates sublatæ. ab hæreti-

co Ar-

eo Archimandrita in publico colloquio extorta confessio de numquam interrupto Romani Pontificis in Ecclesia Principatu. Maximo illud etiam fuit religioni Catholicæ adiumento, quod cum Radiuillus Cardinalis huc venisset ad sacrosanctum Chrisma impertiendũ illis, qui eo carerent, quam maxima confitentium fuit, & communicantium multitudo. Lustrauit hic vir optimus & de Societate optime meritus Collegium nostrum: inspexit formam & ædificationem templi: quod quia videbatur futurum angustius, auctor fundatori nostro fratri suo germano fuit, vt nouis iaciendis fundamentis, magnificentius multo conderetur ac plenius dignitatis. Et quoniam principum virorum facta mentio: ne Illustrissimus quidem Dux Lucensis prætereundus videtur: qui cum se ad Catholicos olim aggregasset, fatetur se non posse conquiescere, donec in suis terris, nostrum aliquod, aut videat Collegium, aut certe, si forte Niesuisiensis propinquitas obstiterit, Probationis Domum. Fundatoris autem Niesuisiensis haud facile cogitando assequatur quispiam, quanta sit erga nos liberalitas: in ijs præsertim rebus, quæ ad templi ornatum, cultumq. pertinent. Donauit nuper, vt omittamus cetera, Crucem ex auro solido, clauis gemmatis magna specie, fulcro argenteo. Donum tum per se pulchrum atque eximium, tum sanctum, & quanti vis faciendum, propter emblema, quod habet particulam salutiferæ Crucis.

COLLEGIVM. DERPATENSE

DERPATI nostrorum, qui nunc demũ quindecim numerantur, cura præcipua tripartita est. Quidam enim suam Polonis, Germanis alij, Estonibus plerique operam dicant: aliquid etiam transfunditur in Moscbos. nec paruum vtilitatis fructum præbet adolescentium Seminarium, de quo alias accepistis: cui Rex Serenissimus Stephanus, non diu ante quam terras relinqueret, templum & perantiquum & amplum Sancti Laurentij, haud procul ab vrbe, & finitimos pagos tres cum iure colonorum attribuit, ad vitam sustentandam. hi autem adolescentes etsi in nostram venere disciplinam: hoc tamen institu to quodam & consuetudine proprium habent, vt no biscum pæne certent in salute proximorum. Breue hoc quidem dictu est, sed non parua materia laudationis. Nã, vt sileatur nũc de progressione in studijs litterarum: quid dicemus de eorum pietate, qua frequenter sacra obeunt mysteria, de virtute parendi, de regendi contentione rebelles animi motus, de castigatiõibus corporis vltro susceptis, vt freno indigeãt, de sollemnibus comprecationibus, de pompa in supplicatione Eucharistiæ anniuersaria, quam ea modestia celebrant, eo sensu rerum diuinarum, vt ab ipsis etiã fidei nostræ aduersarijs iure laudentur? Quod si deessent hæc omnia, illud quantum est, quod ipsi quoque pagos vicatim circumeunt, Estones erudiunt, expoliunt, informant? ut noster cum illis fructus communicari

nicari debeat, qui easdem res communi prope consilio ac labore gesserunt. Adiuuantur igitur in vrbe, in quinis ædibus, quarum omnium nostri procurationē habent, Poloni, Germaniq. ad quos binæ habentur conciones: nec defit suum quoque Estonibus pabulum animorum. traditur etiam in compitis de more doctrina Christiana. Lustrata plus quinquagies vno anno vicina circum oppida: & fructus respondit labori. Duodecim hæreseos, nouem schismatum vincula diruperunt, quibus tenebantur astricti. Baptizati eodem anno (nihil enim diserte perscriptum est de altero, eam credo ob causam, quod post mortem Regis secuta est inter principes viros duos de vrbis statu controuersia, quorum tamen vterque nos studet beneficijs demereri) Baptizati igitur vno anno supra duo millia hominum sexcenti septuaginta: baptismi expletæ cærimoniæ in capitibus plus mille. mitto alia communia. Mira est enim erga nos Estonum obseruantia, mira pietas diuini numinis, mira rerum sanctarum veneratio. ex quo factum, vt mulieres nōnullæ difficultate partus, quædam ægrotatione corporis, agni fuerint cerei gestatione liberatæ: vna quidem ad mentē, unde eam expulerat furor, reuerti, lustralis aquæ asperſione. Multi quoque imperiti incertum ne magis, an impij sublati ritus, qui longa olim fuerant vetustate firmati. nam cum in siccitate maxima solerent rustici ad eliciendum imbrem amicum frugibus, tonitruo supplicare, ac fulguri, ad certas etiam sacrificarēt arbores, mali auerruncādi: persuasum est illis, vt ab istis omnibus idolorū cultus reliquijs abstinerent.

nerent. perpurgata similiter multa Christiani quidē moris institutа, sed in quibus antiquæ adhuc manerent nonnulla superstitionis vestigia. Paucitas operariorum facit quo minus extremos Estonas, a quibus & lacus, vt aiunt, & serpentes veneratione afficiuntur, percurrere possimus. Et accessisset profecto operarius vnus e Liuoniæ curionibus, nisi Rex ipse, & Episcopus re cognita cum Præposito Prouinciali egissent, vt ille ne tam cito desereret curiales suos. quid autem negari poterat Regi optimo, cuius in hoc etiam Collegium extremis pæne temporibus, quibus obijt, tanta extitit liberalitas, vt ter mille ac quingentos florenos annumerari iusserit, & assignari fundum pro fornace lateritia, fecerit q. in quacumque silua cædua, materiæ potestatem? quam ob rem & Collegio multæ commoditates, & magnus gymnasio decor accessit. Nunc, quoniam Regi iam mortuo gratias agere non possumus, habeamus saltem animo, eiusq. munificentiæ prædicationem, quam assequi oratione nequimus, memoriæ potius, quam vocis testimonio conseruemus.

DOMVS. VTRAQVE. CRACOuiensis.

CRACOVIAE, duæ sunt nostrorum Sedes. Domus Sanctæ Barbaræ, vbi duodecim aliena sustentantur misericordia. Domus Sancti Stephani, quo Nouitij Bransberga cōmigrarunt. suus vtrique pro portione fructus. quamquā tyronum, vt decuit, maxime

maxime spectatus domi, veteranorũ foras emicuit: his enim administris vsus est Deus in hominibus cẽtum quadraginta ab hæresi, septem a schismate, a pellicibus totidem, alijs ab inueterato odio, quamplurimis a deprauata viuendi consuetudine reuocãdis. mille quadringẽti soluti erratis omnibus, quibus se ante irretierant. duo e cœno Anabaptistarum sacra vsi aqua ad animos eluendos. spiritualibus commentationibus exculti non pauci. magna vis pecuniæ, in qua comparanda non bona interceſſerat fides, aut relata quibus poterat, aut, si hoc nõ poterat, in pios vsus conuersa. captiui redempti. perfugæ duo ad ordinem, quem deseruerant, reducti. libri, quibus impie vtebantur quidam ad dæmonas euocãdos, cum omni instrumento combusti. edoctus vnus quidam, vt cum sibi ex certa verborũ formula vnum ex Angelis vocatum apparere existimaret, eum spiritum nequam esse intelligeret. quod exitus ipse comprobauit. coactus enim dæmon inuocatione Diuini numinis, boni Angeli amisit simulationem, & horribilis specie canis truculentus abscessit: magno stupore eorum, qui spectaculo intererant, & metu. Ad Sodalitium illud, de quo dudum scriptum est, Misericordiæ, accessit proxime Mons, vt dicitur, Pietatis, vnde mutua sumitur pecunia gratuito beneficio. Nec minus egregie collocatus labor in vicis & castellis propinquis. in eorum vno, quoniam silẽda ea sunt, quæ, licet magna, consuetudine viluerunt, expiatæ paræciæ duæ, quas hæreticorũ scelus impiauerat: tanta cũ vicanorum lætitia, sitiq. diuini verbi, vt sacerdotem vnum

quam-

quamdiu ibi versatus est, quotidie quater concionari, oportuerit, vt omnibus satisfaceret. Verum hoc, quod sequitur, tale est, vt eo veluti argumento videatur Deus, quanta suorum esset vis Sacramentorum, demõstrare voluisse. Quidam elinguis erat & mutus, sed loquacibus tamen nutibus signisq. quicquid contra diuinam legem admisisset, sacerdoti primum confessus, cum deinde eum accepisset ore, qui aperit linguas mutorum, oris vinculo solutus, & explanate deinceps & clare prolocutus est, sine vlla causa, quæ rẽ eximeret miraculo. Mirum illud etiam accidit in vrbe, quod cum ad Deum propitiandum, quadragenarum horarum agitaretur aliquando in templo nostro supplicatio, quod factum est in impeditis hisce Reipub. temporibus sæpissime, hæreticorum synagoga, in ipsa vrbe media viginti ab hinc annis extructa, ita a pueris ignotaq. plebe, excisa, euersa, exusta est, vt nullo eius iam relicto vestigio, nulla eius spes reliqua sit de integro reficiendæ. qua in re illud quoque obseruatum, quod nullum ex eius mali contagione damnũ cetera ciuitas accepit, ne ipsa quidẽ vicinia: maxime autem quod binæ Sanctorum imagines insculptæ in lapide, & ad domus parietem affixæ, saluæ, atque integræ euaserunt. portentũ, vt speratur, eradendæ omnis ex hac vrbe hæreseos, quæ sensim delabitur, & reducendæ veteris pietatis. etsi aduersarij tumultuãtur aduersum nos, vel falsis assingendis criminibus, ac serendis mendacijs. Exijt rumor ex urbe quadam, auctore incerto, tres e nostris Cracouiæ atrociũ scelerũ pœnam suspendio dedisse. et credebatur videlicet huc

cinato-

cinatorum testimonio. qui tamen ne inanibus hisce ventis velificarentur sibi, visum est, & Regi, & Episcopo, & Præfecto vrbis efficere, vt veritas eluceſce ret. Missis itaque litteris, quibus falsum coarguebatur, eam in oram vnde manauerat fama, omnem illam volaticam fabulam difflauerunt. quam ob rem rumpuntur hæretici: maxime cũ acceſſerit Sancti Stephani domus, ac templum, vt diximus, conceſſu viri optimi Thomæ Plazæ, & beneficio ſpectatiſſimæ feminæ Annæ Zechomienſis Caſtellanæ. hanc Domum habent fere quinquaginta: tres ſacerdotes, reliqui Nouitij. quibus in ſumma annonæ caritate, quæ (vt fit) conſecuta eſt bellicos tumultus, vt nihil defuerit, Diuina prorſus prouidentia factum videtur. cui etiam prouidentiæ tribuendum illud, vt noſtræ villæ, a militibus, qui hanc vrbem obſidebant, diripientibus omnia, agroſq. vaſtantibus, parceretur. itemq. illud, vt cum bini e noſtris, qui frumentatum iuerant, comprehenſi eſſent ſub veſperam ab exploratoribus, poſtridie mane ſingulis donati aureis remitterentur.

RESIDENTIA. ALBAE. IVLIAE in Tranſiluania.

IN ALBAE Iuliæ Reſidentia, quæ non dum ad Collegij formam redacta eſt, ipſo licet Tranſiluaniæ Principe magnopere exoptante, decem e noſtris ita inter ſe diuiſa habent munera, vt ſacerdotes duo in Illuſtriſſimo Principe, exq. eius cohorte pueris nobilibus inſtituendis operam ponant, reliqui

in

in scholis publicisq. concionibus : et nunc quidem haud paulo commodius, quod tradita nobis ædes vicina templo, compendium factum est itineris ab aula, quod erat sane longulum, & via hieme lutulenta. Sed vt de Principe dicamus aliquid. Agit is (hoc de anno superiore scriptum est, videlicet octogesimo sexto) annum ætatis quartumdecimum. adestq. adolescentulo non modestia solum & forma Principe digna, sed ita alta indoles animi & pietatis, vt ab his iactis pueritiæ fundamentis spes haud dubia sit, firmissimum Catholicæ religionis propugnaculum in his regionibus excitatum iri. ita præterea amat quoscumque homines nostri ordinis, vt nihil eorum consuetudine prositeatur sibi esse vtilius, nihil eorum aspectu iucundius. Ex quo fit, vt nec consiliarij eius ac proceres, qui sunt hæresi infecti, cum conentur a nobis auertere, quem vident & procedentem in litterarum studijs, & in religione constantem : nec vero etiam post obitum Stephani Regis (quod crebris tamen iactant sermonibus) aperte pugnent de nobis e Transiluania exterminandis. Nō ab re opinor fuerit hoc loco, quo degustetur aliquid de pietate adolescentis, adscribere particulam litterarum, quas ad consolatorias Præpositi Prouincialis rescripsit. quod fideliter faciam, ne vllo quidem uerbo mutato, addito, demptо, vt de eius quoque elocutione iudiciū facere possitis.

MAXIMA lætitia, & voluptate perfusus sum lectis litteris Reuerētiæ Vestræ: cognoui enim, planeq. perspexi Reuerentiæ Vestræ animū erga me vere paternum: cum me tam mihi necessarijs ac salutaribus

monitis

monitis pro sua in me incredibili beneuolentia & humanitate, adeo beneuole ac humaniter monuerit. Est mihi quidem cordi Pater Reuerende, semperq. erit, vita singulari & diuino modo transacta, tam patrui, quam patris, luminum meorum carissimorũ: cui me conformare, fretus gratia diuina, omnibus neruis & viribus contendo, & contendam: nec id tam verbis promittere, quam re ipsa præstare volo, & conor: voluntati vero & conatui meo Maiestatẽ Diuinam confido adfuturam. Video equidem Pater Reuerende mihi longam restare viam: montis istius, quem conscendere debeo, asperitatem magnam intueor: brauij huius mihi propositi, arduũ, difficile et laboriosum certamen contemplor: multa mihi offendicula & impedimenta esse constituta, dolens & mærens externis & internis oculis circumspicio. Quid igitur? quo me vertam? an pedem referam? id vero non solum turpe, sed etiam perniciosũ: nec pernicioſum modo, sed summopere exitiosum est. Pergã igitur, & cursum huius curriculi, difficilis quidem, sed honesti & vtilis, auctore Deo, virtute duce, vita comite, currens percurram. Scio, ab ipsa Veritate edoctus, Regnũ cælorum vim pati: non ignoro illud Hesiodi, Virtutem sudore & labore parari. Gratias ago Reuerentiæ Vestræ, quod non solum mihi Patrẽ Viceprouincialem remiserit, verum etiam alijs Patribus meam Transiluaniam, vel me ipsum potius adornauerit. Reliquos vero, quos destinauit, quæso quam primum mittat: omnes enim ut hactenus complexus sum, ita semper complectar, & me Societati

talem

talem præstare conabor, quales maiores meos se præstitisse uideo: eamq. eo in numero habebo, quo uitã & salutem meam: ea uigente & florente, ego uigebo & florebo: ea (quod haud fiet umquam quamdiu uita suppetet) cadente & ruente, regnum hoc ruet & cadet. Sciat (sincere dico) me Catholicam et auitam religionem nõ modo regno hoc, quod Diuino ac cepi munere, sed etiam uita ipsa habere cariorem. Nec tanti hoc regnum temporale facio, ut amittam æternum. Hæc ille. quæ profecto conueniunt cum spe, quam de eo conceperat inuictissimus Stephanus, & cum supremis mandatis, quæ reperta sunt in testamento, quod sua scripsit manu: in quo extremo, uerso ad eum sermone sic loquitur: ipsius enim Regis uerba ponentur

Ad te redeo carissime nepos, Princeps Transiluaniæ, Sigismunde Battori: tibiq. in primis Collegiũ Claudiopolitanum & Albense lego & committo: quæ Collegia pater tuus & ego fundauimus pro prijs ex facultatibus nostris, sine cuiusquam iniuria. Quæ ita tuearis & defendas, quatenus animæ tuæ, patriæq. cui præes, salus tibi cara est. Non deerunt puto, Ariani, atque in primis Colosuarienses, qui eos euersos uelint: fauebunt ijs Senatores tui omnes, aut Caluinistæ, aut Lutheriani: nec deerunt opportunitati iuuenes, aut aulici personæ hæreticæ: pariter hæretici: qui tibi adulantes, procaciter in eos inuehentur, animum tuum transuersum rapient. Sed, si vir es, facile omnibus simul resistes sola constantia & fer uore, zeloq. pietatis, magis magisq. pro hominibus

conte-

conteſtata. O vtinam potuiſſē uel in hoc ſolū meæ in te pietati ſatisfacere, ut ſi non omnes, ſaltem paucos tibi intimos conſiliarios, & cubicularios Catholicos & pios dare potuiſſem: tibi ornamento, mihi ſecuritati fuiſſent. Sed ea ibi eſt temporis & morum peruerſitas, vt omnes declinauerint, variſq. hæreſibus imbuti, Atheiſmum plerique ſpirent: quo difficilior igitur tibi reſtat concertatio, eo maius tibi præmium & laus ſempiterna. Nec plura. quod, vt veriſimile eſt, vim morbi ſuſtinere non potuit. Obiit autem Stephanus Primus Polonorum Rex Inuictiſſimus pridie Idus Decembres, anno huius ſæculi octogeſimo ſexto: vir admodum rari exempli, qui in amplificatione Regni, Reiq. publicæ Chriſtianæ, immortalibus editis operibus, præmaturam mortem æterna nominis ſui memoria penſabit. Peſtis hac in vrbe viguit anno ſuperiore, quæ quattuor abſtulit e noſtris: reliquos, errantes licet ac profugi magna premerentur inopia, & adiuuandis languentibus, in ſummum periculum ſe conijcerent, reliquit intactos. Deo nimirum prouidente, vt eorum corporibus peſtilitas parceret, qui multorum animas a dæmonis faucibus eripuerunt. Ceterum in ea diſperſione, et poſtea in obeunda Prouincia ipſo cum Principe, partim etiam in vrbe, hæc ad Dei gloriam geſta ſunt. Baptizati pueri nonnulli: vndetriginta homines commutati ſunt toti: quindecim depulſo religionis errore, quattuordecim expunctis omnibus confeſſione peccatis. centum & eo amplius, cū Principe, ter anno publice, communicarunt. Parua hæc videbuntur fortaſſis, ſed non parua erunt

cõputantibus Catholicorũ magnam in his regionibus paucitatem, maximamq. eorum multitudinem, qui cũ Ario Caluinoq. insanientes, horum animos hominum diuturna consuetudine & liberiore viuendi licentia infatuarunt. Ita, quantulũcumque recenti cura constitum est in hac silua, illud fere omne natiua vligo interficit.

RESIDENTIA. VARADINENSIS

VARADINI tres e nostris primo anno cũ peste pugnarunt: cum Caluini æmulis secundo. De vtroque breuiter. Duo primum peste decesserunt. Vnus igitur, qui superstes fuit, destitutus spe sub sidij, cum omnem circum circa regionem pestilentia occupasset, viuos erudiendo, ægrotos visitando, mortuos concedendo sepulturæ, expleuit munera omniũ: etiam si (quæ laborum merces erat amplissima) eius & fama ab aduersarijs in concione maledictis, & vita insidijs vbicumque peteretur. Sed ex his omnibus liberauit eum Dominus. Hæc de primo anno. Postero enim, redintegrato nostrorum numero, multo sæuiorem experti sumus hominum rabiem, quam antea pestem. destitit enim hæc aliquando, & vnum reliquit. at illa semper sui similis, furiarum incitata facibus, nunc tandem constituerat quasi vltima experiri. Itaque audaciam sumentes a Catholicæ odio pulchritudinis, bis terue vsque eo progressi sunt, vt nisi hoc defuisset vnum, quod incensum furorem nondum nostro extinxerunt sanguine, haud videam quo vlterius

potuis-

potuißẽt procedere. breue hoc faciam. nam etsi suauis est laborum præteritorum memoria: horret tamẽ animus ac refugit, ea pluribus dicere, quæ illorũ execrabilis perpetrauit impudẽtia, contemptione Numinis Diuini. Efferebatur mortuus ritu Catholico. procedebant pueri e nostris scholis, Crucem de more præferentes. eius speciem non tulit furiata mente Caluinistarum scholæ magister: arreptum de via lutum in sacrosanctam conijciens imaginem, eam totam lutulentus aspersit. nec defuit ultio. paulo enim post mortifero oppressus morbo, & extinctus est. Scelestum hoc quidem facinus & nefarium: vnde enim tantum cæno illi ac labi, audaciæ? sed quod sequitur longe crudelissimum, taterrimumq. Ambrosius Decrescbius, superbi homo ingenij immoderatæq. linguæ, ita alienato animo a vera religione, vt eam nisi hinc depellat, vitam sibi acerbam putet: vt est in concitandis imperitorum animis improbe exercitatus: feria sexta maioris hebdomadæ pro suggesto, ita scelerate atque impie in Catholicorum pietatem debacchatus est, vt omnes ad immane facinus impulerit. hoc erat furialis propositum orationis, vt ipso die Paschæ, quo die anniuersaria ab Catholicis supplicatio, sollemni pompa celebratur, sanctissimam Crucifixi imaginem conculcatam pedibus confringerent. hoc nisi effectum esset, Prætorem vrbis Diris deuouebat: hunc admotis stimulis incitabat, esse videlicet portas obserandas, & prohibendos egressu qui Crucem efferrent. Tum conuersus ad milites, qui eum complures audiebant. Quo iſtis, inquit, gladijs accingimini? Quare vobis ab

vrbe stipendium? vos ne hoc tam honorato militum digni nomine, nisi e vestro numero existat vnus eo ro bore, vt hanc gloriam præripiens ceteris, euellat ex aratoris manu (Catholicum intelligebat) illam, quam gestabit imaginem: atque in frusta diffringat? quousque tandem feretis, vt quotannis præter vestros oculos atque ora securi incedentes, rustici de militibus, inermes de armatis, imbelles de fortibus triumphēt? Ite alacres ad rem tum minime difficilem, tum maxime gloriosam. Flexit ea oratio auditores sua sponte inclinantes: quasiq. oleum esset camino additum, consociauit ciues cum militibus: inter quos, consilio inito contra Crucifixi imaginem, conuenit quid agendum esset. Triduo post, antequam illucesceret dies Paschæ, catafracti equites ducenti cum peditibus nonnullis clam vrbe egressi, in ijs se lateribus viæ, qua iturã non ignorabant supplicationem, quam occultissime locant. Procedit interea ipso diluculo longo ordine cum cereis facibus, quæ Solem prouocabant, inerme supplicum agmen, laudesq. Deo victori mortis, salutis auctori modulate concinentium. resonabant lætis vocibus valles, & repercussæ, cœtum uenientium cantumq. augebant: qui tamen subito dispersus est, & conuersus in luctum. in medias enim delapsi insidias, intercluſi equitum alis, & peditum armis, non prius cogitarunt quid ageretur, quam uiderunt quid actum esset. itaque paucis diffugientibus, cæsis compluribus, spoliatis nonnullis, atque adeo nudatis ut cumque dimissis, in sacrosanctam imaginem e Crucifixi manibus auulsam profudere odium uetus: in plurimas

mas namque comminutam particulas, prouoluerunt in luto. postridie eius diei in nostrum templum cõuersus impetus, saxa faceſq. minitantium: nec deerant ex amicis qui suaderẽt fugam. sed nostri Diuinitus clypeo auxilij protegi intelligebant. itaque factum est vt metu Catholicorum, aut Dei potius instinctu, tumor ille desederit. neque enim deserit Christus sua causa laborantes: & in his etiam tenebris suum nomẽ illustrat. Petrus quidem Berechsasius, procax lingua, & Caluinistarum miscere cœtus (quorum ipse caput erat, insigniter doctus) spiritũ effudit: sed eum in ipso mortis articulo, sera ne an seria, hæc subijt pœnitentia, quod tamdiu veritatem, quam Iesuitæ docebant, oppugnare esset ausus. Neque nihil valuit inimici testimonium. Quingentorum confessiones auditæ.

MISSIO. GEDANENSIS. ET Leopolienſis cum excurſionibus.

GEDANI Sacerdos cum socio pagum vnũ instituit, ad Ecclesiæ gremium redeuntẽ. quod et præstitum in vrbe cum hominibus omnino tribus: tam altas radices egit impietas. Virginum cœnobiũ in vrbe vnum, alterum tertio distans milliario, reuocatum ad custodiam seuerioris disciplinæ. Vir quidã, qui, religionem exuerat, nostrorum ope reuersus ad religiosæ familiæ habitum, quem mutarat. Et quoniã compertum est, lectionem quamcumque esse magno incitamento animorũ, impensa Ladislauiensis Episcopi, libelli de rebus pijs comparati admodum mul-

ti, & inter hos homines vtiliter distributi. Faxit Deus vt his veluti seminibus fructus, & nostrorum votis res ipsa respondeat.

LEOPOLI, si nostrorum numerum spectes: qui duo tantum sacerdotes cum fratre, in vrbe ipsa, & in suburbanis locis (quæ duodecim lustrata sunt) de more occupantur: ita amplum reperies lucrum animarum, vt omnium superarit expectationem. sed qui auctor erat operis Deus, idem etiam fuit adiutor. excitati admirabiliter agricolæ ad Dei cultum: & præbuit illis exemplum Antistes summus, qui cum concionatore suo, ac Pœnitentiario de totius vitæ criminibus voluit confiteri: hos secuti alij, vt vna opera dicam de paganis vrbanisq. supra numerum quadringentorũ fere viginti. atque ex his duo, illa ratione, dæmonum terriculis soluti. Dederũt manus qui cũ Ecclesia pugnabant vnde viginti. alij deinde, qui erãt a Ruthenis, octodecim. Mosicha mulier vna. vir denique vnus, qui inuri sibi permiserat a Turcis Circũcisionis notam. Mulier quædam, quæ ante religiosam fuerat professa vitam, ab incestis nuptijs ad sacrum Cœnobium rediit, votumq. castitatis. Multorum extincta odia, in magnũ alioquin incendium eruptura, xenodochia duo, ad quæ nostri frequenter adeunt. seuerioribus constricta legibus, Archiepiscopo ipso, Senatuq. probantibus: hoc, vt speratur utilius, quo diutius fuit in hoc opere ad exitum perducendo laborandum. Simili successu consultum publicis custodijs, morteq. multandis: abolita est enim perniciosa consuetudo, qua receptum erat, ut qui traherentur

ad patibulum, multo prius obruti uino, ciboq. onusti, et imminentium redderentur malorum immemores, nec dolorem persentiscerent. Doctrina Christiana in summo urbis templo, uicinisq. pagis suos progressus facit. hæretici Leopolienses, non ualde probris, criminibusue nostros insectantur: uerentes potius ne eorũ detegatur imperitia, ab omni prorsus congressione refugiunt. accedente Gubernatoris auctoritate, & Rectoris scholæ erga nos beneuolentia, qui omnibus nostrorum muneribus & conatibus ex animo fauẽt. ex Leopolitana porro Residentia, quantum nostrorũ paucitas patiebatur, excursũ in tredecim quattuordecim oppida, Dominorum rogatu, magno cum ipsorum, tum etiam oppidanorũ fructu: e Dominis enim nonnemo rectam fidem amplexus: alij meliorem uitam cum uxoribus familiaq. ingressi: in oppidis deinde ipsis res Catholica, aut restituta integre, aut firmius constituta. excitati namque sacerdotes ad suum munus diligentius obeundum: parochis uero inuigilandi suorum saluti uel incussa uoluntas, uel demonstrata necessitas. aliquid etiam perfectum in ijs, qui aut non agnoscebant Ecclesiam, aut deseruerãt. Ergo, ut summatim dicatur: uniuersæ delicta uitæ cõfessione patefecerunt homines trecenti uiginti quinque, atque ex his multi nobiles. oborta est lux ueritatis Iudæo uni, duobus Moschis, hæreticis quattuor decim, Ruthenis tribus & uiginti. ac ne plura, compluribus sublatis peccatorum illecebris, permagna est facta in omnibus illis locis uitæ morumq. mutatio. Quod si non ita fuisset exiguus nostrorũ numerus

susceptæ fuissent excursiones plures ad eos, qui petebant, & cum Dei benignitate, multa in Russia vlteriore oppida, quæ abiecta nunc sunt, ad studium pietatis erecta. sed nec spes deserit animos, & dilata cupiditas magis accendit. Nunc, antequam abeamus ab excursionibus, dicendum uidetur in hoc genere, si restat aliud, & paucis deinde additis, Polonia concludenda. Droobicium oppidum in Russia est. huc itũ ab vno e nostris sacerdotibus, & reducti ad Catholicam fidem hæretici septemdecim homines nobiles: inter hos mulier quædam clarissima, non sine explorata agnitione Diuinæ voluntatis: ad Ecclesiæ communionem Rutheni quinque: soluti noxis, quas in omni vita contraxerant, omnino trecenti. Inita ab incolis, qui ad hoc se se obtulerant, Societas, quæ Eucharistiæ dicitur, eo quod eius honori ac veneration deseruiat, tanta cum hominum approbatione, vt in eam fere ab omnibus nomina darentur. Ab hoc deinde oppido, cum quæ ad rem Catholicam pertinent, multa essent in eo rite ordinata, Dinouum ire perrexit. vbi posita opera in sanandis vulneribus, quæ intulerat Luther & insolentia confitendi: tres enim restituti Ecclesiæ, et quattuordecim confitentes, vniuersorum scelerum sunt labe purgati.

In eadem Russia profecti sunt non raro ad Lublinensis fundatricem Collegij, virilis omnino animi fœminam, quæ quotidie addere quærit aliquid Catholicæ Reipublicæ. Et cupiebat quidem Cœnobium instituere virginum Diuino cultui mancipandarum, hac spe, vt earum a nostris susciperetur procuratio. Verum

rum vbi nos sensit impediri auctoritate Constitutionum, ad extirpandas hæreses ab omnibus locis ditionis suæ animum appulit. Itaque, qua templis Catholicorum extruendis, ornandisq. qua exigendis Popis, qua Parœcijs (facta ei videlicet a Pontifice Maximo potestate) fundandis, qua adeundis, alloquendis, excitandis, in vtroque homine adiuuandis popularibus suis, ita se gerit, vt eorum maxima pars se ad pietatẽ, adiuuante nostrorum opera, conuerterit: et in horum numero ab hæresi sex, a schismate sexaginta. Breui idem futurum in reliquis speramus.

RESIDENTIA. IN. AVLA Regia.

EX ijs, qui residunt in Aula Regia hic fructus reportatus est. Tartarus vnus sollemni ritu baptizatus, Hæretici vndequadraginta, Rutheni schismatici triginta duo, Moschæ feminæ septem se ad Ecclesiam aggregarunt. Decem infames mulierculæ a tenebris lustrorum, viginti a concubinatu emersæ. Generales confessiones exceptæ ad septuaginta supra trecentas. Nec defuerunt aliqua, in quibus vim Catholicæ religionis Deus admirabiliter affirmauit. Nam, vt omittã adolescentes duos in somnis admonitos ad peccata detegenda: puer detestabili morbo caducus, sanatus est, consecrata cera cum agni cælestis imagine ad collum appensa. quod idem beneficium in simili morbo simili curatione mulieres duæ se accepisse testantur. Sãctissimam Trinitatem infelix quædam mulier,

& Bea-

& Beatissimam Virginem eiurauerat, vt morigeraretur dæmoni amasio, qui eam multi specie auri pellexerat: cui etiam ipsa se addixerat chirographo dato: sed detestata admonitu nostri sacerdotis cum facinus tam immane fuisset, in arcula nummaria, pro auro se carbones reperisse confessa est. Alia quædam mulier fuit, quæ cum se ad Pascha scelera sacerdoti aperturam vouisset Deo, eoq. ipso die votum non soluisset, linguæ vsum penitus amisit. ad hanc euocatus sacerdos, remq. ipsam, vti erat, edoctus, populi eã precibus commendauit: ijs effectum, vt & lingua, & anima suis vtraque vinculis solueretur. Hactenus de Polonia.

PROVINCIA AVSTRIA

IN AVSTRIA Prouincia nostri priore anno ducẽti quadraginta tres. In Viennẽsi Collegio quinquaginta sex. In Olomucẽsi septẽ et quadraginta. In Græcensi quinquaginta. Brumæ quadraginta quinque. Posteriore. In Viennensi sexaginta tres. In Olomucensi triginta septem. In Græcensi sex & quadraginta. Brumæ denique quinquaginta. Alij alio ad laborandum in vinea Domini missi. Cuncti omnino ducenti quinquaginta. Cesserũt e vita quattuor. Successerunt in eorum locum vnus & quinquaginta.

COL-

COLLEGIVM. VIENNENSE

GLISCEBAT adhuc Viennæ pestilentiæ malũ, & nostri tamen, Dei benignitate, quãuis præsto laborantibus, intacti: vt quorum opera vtilior, eorum esset firmior valetudo. Turca vnus catechizatus a nostris, nostroq. in templo a Viennensium Episcopo baptizatus. Centum & viginti atque eo amplius, vno anno redditi veræ religioni: confirmati plurimi nutantes: & vigilatum interim, in Catholicis, ne exoleſceret disciplina. horum generum adijcientur exempla. Vir quidam superstitionis hæreticæ reus, dignationem amiserat: hoc magis irascebatur nobis, quos etiam probris vexabat. et cum daret Deus pœnitentiæ spatium; non intelligebat, graui licet consecuta rerum iactura. Sensit hoc eius filius, paterna quidem disciplina imbutus, sed docilitate meliore: et intellexit vltionem Numinis, nostrorumq. innocentiam. Itaque cum rem detulisset ad nostros, eorum hortatu ad Ecclesiam se conuertit. Exarsit pater peruicax iræ, nec verbis modo male accipit filium, sed & verberibus ac vulnere: quin etiam minatur mortem. hanc adolescens vt vitet, paterna emigrat domo, vitamq. maternæ hereditatis parte sustentat: & quintodecimo quoque die sacra obit mysteria. Etsi non hic solus: sed alij similiter cõtra infensos parentes constantes animos gerunt. Mulier laborabat difficultate partus, certumq. suum, & fetus exitium, non tam timebat, quam expectabat

Verum

Verum agno Dei, cuius vim in multis audierat esse salutarem, sic adiuta est, vt nulla præterea obstetricis ope, sed ne vllius quidem mulieris præsentia, felicissime enixeretur. Alia quædam cum graui conflictata morbo, medicorum opem frustra imploraſſet, ex Hæmorrhoißæ mulieris historia, quæ eo ipso die legebatur in templo, concepta spe sanitatis, si confessa, corpus Domini attingeret, coq. pasceretur, confessa est, communicauit, sanata est. Liti inter duas familias exortæ, quæ præter coniugum diuortia, mutuas cædes eodem motu trahebat, Societatis opera opportune occursum, difficilibus initijs, non improspero fine. Multi ad pœnitentiam adducti e perpetrato maleficio: alij a perpetrando prohibiti: a conscisenda sibi morte vnus: duo ab inimicis inferenda. Quodam etiam tempore cum nationes diuersæ duæ in aduersas deductæ partes, æquali vtrinque numero circum brachia torta veste, & eductis gladijs concurrerent, fortuito vnius e nostris interuentu, pugna, quæ erat commissa, sedata est. Scholæ nostræ, Cõuictorumq. cõ tubernia uigent discipulorum & flore, & frequentia: permagnoq. multis Pontificiæ litteræ, quibus ad exercitationes spirituales spe plenioris indulgentiæ incitabantur, adiumento fuere. Ex his, viginti nostrã Societatem: aliquot Cartusianorum disciplinam: aliquot Canonicorum Regularium ordinem complexi. In his quiddã accidit memorandum: quod cũ vnus, quattuordecim sociis suis sublatis peste, simili infectus lue, ad Cœnobiũ properasset, quod est sancti Leopoldi monumento insigne, qua hora eum medici moriturum

turum prædixerant, eadem hora, cum Diuinis se munisset Sacramentis, mirabiliter conualuit. Inuisunt sæpe Collegium, in eoq. interdum magna beneuolentiæ significatione diuersantur viri principes, quibus a Pontifice maximo ad legationem aliquã missis, hæc vrbs est vel via, vel terminus. Quod cum faciunt (etiam si sæpe alias) dantur tragœdiæ a discipulis, paratu instructissimo, tanta approbatione audientium, vt interdum iterare sit necesse. Itaque eam quoque ob causam Dynastis vtimur Societatis nostræ amantissimis: quorum auctoritate laxatæ angustiæ nostræ rei familiaris. Serenissimus enim Princeps Hernestus a Cæsarea Maiestate impetrauit, vt Monasterij cuiusdam iamdudum deserti bona, quæ a sæcularibus viris obtinebantur, transferrentur ad nostros. ager est & frugifer, & fructuosus: nostris deinde recessum, siue amœnum ad remissionem animorum, siue tutum ad popularium morborum effugium, habet. Sed accendit dolorem Georgij Drascouitij Cardinalis mortui magnum beneficium, quod ab eo supremum accepimus. Is enim, cum Cardinalis nuper creatus esset, et Proregis morte vacaret Præpositura Turocsiẽsis, cum Sacra Maiestate, quæ est et Catholicæ religionis studiosissima, & nostræ peramãs Societatis ita dexter egit, vt ea Præpositura, quo facilius ad pietatem plurimi adiuuentur, Collegio fuerit assignata: ea lege, vt instituatur etiam Seminarium Hungarorum adolescentium. Habet Præpositura oppida duo (ciuitates vocantur) pagos, seu villas, duodeuiginti. vber est solum & salubre, lætus frumento, pascuis, hortis,

&

& diues pecoris ager. et nobis quidem hæc obtigerunt liberalitate Inuictissimi Imperatoris, humanitate optimi Cardinalis. hic autem, anno post, cum graui corporis morbo æger præsentiret mortem, multis precibus Patrem Rectorem accersiit. Sed cum longum esset iter, mors iam instans præuenit celeritatem euntis. At nos optime de nobis meritum Principem perpetua beneuolentia prosequemur.

PRAGENSE. COLLEGIVM

QVINQVE in locis nostri cõciones habent: eæ sunt Boemicæ, Germanicæq. binæ: vna Italica. Diebus etiam festis vicinum adeunt pagum, qui est noster: vbi & Sacrum celebrant, & concionantur, magna paganorum lætitia cum vtilitate coniuncta. Ceterum Iudæa vna anno superiore, posteriore etiam altera baptismum accepit in nostro templo. ab hæresi vltra centum & viginti, a communione sub utraque specie plures abducti: & quod plus profuit ad humiliorum exemplum, plerique nobiles. Discidia inter multos sublata: & unum sane inter coniuges uetus, quorum, uir uxori necem, uxor a uiro fugam meditabatur. Vir quidam illustris de nostrorũ consilio pecuniariã pœnam in sibi subiectos cõstituit, apud quos reperirentur libri, qui Catholicorũ legibus prohibentur. Curio, facta apud nos confessione, ita animatus est, ut uirum primarium, qui multos habet sub potestate, ad insigne Decretum impulerit, quo suos contineat in officio, eius capita hæc sunt. Abnuẽ-

tes

tes Orthodoxã Religionem, diuenditis bonis, ditione noſtra emigranto. E templo ante abſolutum Sacrum ne exeunto. Qui ſecus faxit, ceræ factæ ad Sacrorum uſum decẽ pondo dare damnas eſto. Curiones, quibus impura conſuetudo cum concubinis, illas abijciunto, aut finibus noſtris excedunto. Hæretici cum Catholicis communem ſepulturam ne habento. Hæreticus quidam condemnatus capitis, cum confeſſus eſſet apud noſtros, hæreſimq. eiuraſſet, & vita eſt, & libertate donatus. Pellex, quæ perpetuam fidem amico obſtrinxerat chirographo dato, domo exire iuſſa. Conuictorum contubernium & pietate creſcit & numero. Præter alumnos Summi Pontificis, cenſentur ſupra centum. in his ſunt duodecim filij Dynaſtarum. relictis errorum tenebris, veritatis lucem aſpexerunt omnino quindecim. Domus etiam ſtudioſorum pauperum ſuos progreſſus habet. ea nunc in commodiorem locum translata alit capita ad centum quadraginta. ad Catholicam fidem octodecim anno poſteriore conuerſi. Magnam experiuntur beneuolentiam & liberalitatem nobilium: a quibus & adeuntur frequenter, & ornantur non modo præſentibus donis, ſed augentur etiam certarum rerum poſſeſſionibus, e quibus colliguntur annui fructus. Collegium ſimiliter noſtrum, vt hoc quoque expediam, inuiſitur aſſidue, & incolitur interdum a primarijs Legatis Principum, qui ad hanc vrbem appellunt. quod ad amplificãdam Catholicam religionem plurimum valet.

COL-

COLLEGIVM. OLOMVCENSE

CONCIONVM, quæ habitæ ternæ & quaternæ: Doctrinæ Christianæ, quæ in nostro templo Dominicis, Quadragesima vero, in parœcia præcipua singulis, diebus, explicata: Pomeridianarum scholarũ, quibus eadẽ Quadragesima, tradita clericis præcepta de officijs Christianis: idem fructus, qui solet. recta fidem amplexi centum triginta. ad communicandũ sub vna tantum specie reuocati uno anno amplius septingẽti. In duobus oppidis, quo nostri excurrerunt rogatu Episcopi, quingenti adducti ad Catholicum cõmunionis ritum: confessiones generales supra centũ exceptæ. sed hæc in uniuersum: nunc attexantur proprie nõnulla. Vir erat, Deo quidẽ consecratus, sed impudicis irretitus amoribus, magnis stimulis fodiebatur conscientiæ: secundum quietem uisus sibi admoneri a matrona, pulcherrima oris dignitate (Dei Matrem prædicat) vt Olomucium contendat: ibi enim repertũ iri sacerdotem. a quo liberaretur angoribus. neque aliter dictũ, ac factum. Alter, cui mens erepta veneficijs. oppressaq. diabolo, vxorem ita auersabatur, vt eius aspectum ne visu quidem perferre tolerare ret: prope etiam aberat a laqueo. hic, cum admonitus esset a nostris, per confessionis remedium omni animum corpusq. periculo liberauit. Idem persuasum tribus ne, an sex? nam idem numerus vtroque anno traditur: qui quærebant suspendium. Quidam ex oppido, quod hinc abest triginta milliaribus, cum e Cœnobio,

in quo

in quo erat, expulsus esset verberibus, a matre q. acceptus maledictis, & coactus vxorem ducere, suspensus animi, coniugalē torum non attigit: sed cum audisset, Iesuitas opem ferre afflictis, eam a nostris suppliciter petijt, & Dei beneficio, impetrauit. Mulier ætate confecta & luminibus orba, ne se in morte contaminaret hæreticorū sordibus, itinere passuum quater millium sine duce, sine comite ad nos venit, ita impatiens moræ, et eundi certa, ut neque irrisus filij, consilium suscipiendi itineris, neque frequens, quod erat necesse, in via aberratio & lapsus, suscepti, propositū retardarit. Sed hoc nō raro euenit, vt multi ad nos veniant causa confessionis: qui eam ob rem a suis, aliena imbutis superstitione, & conuicia plerumque, & interdum verbera (quod vni accidit matronæ nobili) perpetiantur. Vir erant vxorq. pari nobilitate & superstitione insignes: apud hæreticum ministrum confitebātur. afflictatur mulier morbo, qui ei fuit supremus. hæretico absente, maritus vnum e nostris, quo amico vtebatur, orat, vt vxorē consoletur. nihil cunctatur. hæretici interea, re cognita, præcurrunt, missisq. nuntijs, nostrum monent, vt abstineat accessu: nihil opus esse eius auxilio. at noster nihilominus opportuna importunitate mulierem inuisit, reperit ægram & fluctuantem æstu conscientiæ: nec prius discedit, quam eam cum Deo, & cum Ecclesia reconciliarit. quæ postmodum, prædicans aperte gaudium suum, hortari domesticos cœpit, vt si salui esse vellent, ad fidem Catholicam, posita pertinacia, reuerterentur.

GRAECENSE. COLLEGIVM

DECESSIT superiore anno Pater Henricus Blyssemius huius Collegij Rector: vir domi foris q. admodum rari exempli. quod spectatum est, cum huic Collegio, Pragensiq. toti denique Prouinciæ aliquando præpositus est, summa cura et diligentia. Ad partes rectæ sentientiũ rediere, nostrorum opera, plures quinquaginta. in his vxor viri primarij, quam maritus per decem ipsos annos cohortando, nihil egerat. multi præterea viri feminæq. præpotentes. nec defuere qui abiecerunt contumaciam, in vtraque specie cõmunicandi. ex carcere, placatis ijs, qui se prius læsos querebantur, educti nonnulli. Pacati Optimates duo, qui inter se inimicitias gerebant. Aliquot præterea superiora flagitia mutatione vitæ obliterarunt. Multorum furtorum reus iam acceperat supremæ necessitatis nuntium: iam parabãtur condemnato supplicia: cum interea hinc corruptores cõfluunt hæretici, hinc sacerdos noster accedit hortator. certamen propositum erat illius anima: ipse, vtrinque auditis rationibus, iudex futurus. Sed placuit Deo, vt pluris apud hominem esset simplex oratio veritatis, quam bracteatæ fucus eloquentiæ. itaque ad Catholicam fidem conuersus, quod exiguum habuit spatij, in comparando se ad Christianam mortem consumpsit. Sequitur iam quiddam, re perinde & æstimatione mirabile. Vir erat, qui extrema, opinor inopia, ad desperationẽ redactus, animum dæmoni, corpus homini addixerat

certo

certo pretio. nec mora: actus ad triremes, adigitur ad remum. inde elapsus, huc se confert, vbi tuto esset. Quintus agebatur ab eo mancipatu annus. Hic igitur cum ipso fortasse Parasceues die (nam hoc quoque in incerto est) vagaretur per vrbem non solus, ac præter lanienam iret, carnibus iam expositis ad vendendũ, socius, qui cum eo erat, IESV Maria, hodie carnes? exclamat mirabundus. ex improuisa commemoratione sanctissimorum nominum cantus quidam accidere visus ad alterius aures longe iucundissimus, incredibili animum voluptate perfudit. ergo repetens identidem illa, commutatus est totus, mox etiam præter omnem cogitationem, sed valde ex vtilitate, ad peccatorum confessionem accessit. Nunc etiam insidere ait sibi in memoria voces suauissimas, quarum repens vsurpatio inueteratam emollijt duritiam cordis. Instituta est a fundatore nostro, permissu Gregorij Tertijdecimi, Sixtiq. Quinti Summorum Pontificum, & superiore anno promulgata, postmodum etiã Pontificio, Cæsareoq. Decreto confirmata Græcensis Academia, cuius rei series, si breuiter explicetur, habebit, opinor, non iniucundam narrationem. Constitutũ est in medio tẽplo nostro, quod est capax, intra ternas columnas tabulatum pulpitum præcelsum ac peramplum, vario peristromate: vbi locus ornatis sedibus, & cooperta holoserico mensa, in qua sceptrum, & sigillum Academiæ Rectoris insignia, & aurea lanx, vbi litteræ Pontificiæ, pendentibus redimiculis, explicabantur. Reliquum templum inferius consuetum erat aulæis, plurimoq. epigrammate de ho-

nectarum laudibus disciplinarum, ac Principis, cuius & omnia visebantur signa: nimirum quattuor, & viginti, subiecto ad vnum quodque disticho, veluti argumento. Inter omnia eminebat Elogium Principis litteris grandioribus, affectata de industria priscorum vetustate verborum, quo plus venerationis inesset, et admirationis erga peregrina. Quod vnum, qui reliqua laudabant, hæretici carpere: cum dicerent, insanire nunc demum Iesuitas, qui non contenti vsitata lingua, cuderent nouam. ut videatis quam sit fidendum iudicio istorum, quibus illa pro ludibrio. Hic igitur fuit templi ornatus. Cetera fere gesta in hunc modū. Sacrum de Spiritu Sancto insigni Musicorum concentu, alternantibus choris, illustri cærimonia Antistes Seccouiensis fecit: idemq. Fratres nostros refecit Christi corpore. Hoc peracto, exaggeratum pulpitum, qua proceres multi inscenderunt, qua etiam nostri. Tum per semihoræ spatium oratione habita ab vno e nostris de Academiarum institutione nō sine laude fundatoris, Cancellarius Principis nonnihil prælocutus, diploma primū, deinde Priuilegia Aulico Scribæ, qui legeret, dedit. His clara voce pronuntiatis, ille idem Cancellarius nomine Principis, primo diplomata, dein sceptrum, postremo sigillum Academiæ Præposito Prouinciali tradit, non sine præfatione plenissima honoris. ad quā noster. Reuerendo Præposito Generali, et Societati Nostræ, munus illud curæ, vt quātum quidem in nobis erit, ad Dei gloriā recte atque ordine omnia gerantur, fore. inornata breuitate, sed quæ viro religioso pro facundia erat. Ceterum gra-

tias

tias agendi munus in alterum reiectum. et actæ quidem sunt illæ, Deo, nostroq. fundatori copiose, & lucu lente: ea scilicet oratione, quam & pius multorum fletus, & ipsorum etiam hæreticorum admurmuratio approbauit. Iam quattuor horas tenuerat hæc celebritas: & claudi placuit dicendo hymno, laudibusq. Deo rite persoluendis. Tum vero Princeps cum coniuge liberisq. ac præcipua nobilitate ad Collegium. Paratum erat, eius impensa, in grandiore atrio epulum lautissimum. assedit cum suis: variq. Præsules sacri, & alij Prouinciarum Reguli, suis locis. postremo separatim etiam nostri. Et ceteræ quidem conuiuarum mensæ tegebantur oppositu multorũ nobiliũ, uel circumsistentium, vel ministrantium. ad mensam nostrorum patebat omnibus vacuus liberq. prospectus. Quo magis tot Patrũ Fratrumq. suspiciebatur inasse ctata sobrietas, & in hilariore etiã conuiuio moderatio. Inter prandendum audita est symphonia suauissima, concioq. distincta varijs linguis (duodeuiginti fuere) non sine admiratione & voluptate cunctorũ. Ad finem prandij, Principi iterum gratiæ actæ. Secuta est perpetua trium dierum disputatio. et prioribus quidem duobus de pronuntiatis Theologicis, postremo de Philosophicis habitæ concertationes. quas Principes cohonestarunt præsentia, & Præsides singuli disputationibus: a præfatione videlicet exorsi, & desinentes in gratiarum actionem. Illustrarunt etiam, sed longe animo diuerso, aduersarij, quos vocant Prædicantes. Qui cum ad veritatem oppugnandam supra vires niterentur, suam non solum ostende-

runt pertinaciam (cupiunt enim se dici in hac causa pertinaces) sed (quod minime volunt) imperitiam. ita frigebant & cauillabantur, vt vix se a risu defenderent. nec defuit ad lætitiæ cumulum tragœdia pulcherrima. ad extremum, incredibili omnium gratulatione, Græcensis Academia, muliebri habitu, omni stipata principum artium choro, triumphali curru inuecta. Atque per hæc spectacula additus nouus Academiæ honor, et discipulorum numerus auctus. Similis celebritas disceptationum adhibita Autumno, eodem anno, cum de more litterarum studia repeterentur.

DOMVS. PROBATIONIS. BRVmensis.

ET SI HIC informantur Nouitij, in quibus omnibus excitatus ardor, vnius & alterius torpore diuinitus excusso: tamē erudiuntur discipuli in scholis tum ad litteras, tum maxime ad pietatem. Puer quidem vnus cum audisset de magistro, Lutherianos omnes Inferorum pœnis esse damnandos, ita constans fuit in Catholica religione, cui iam adhæserat: vt eum pater nec vinculis, nec verberibus, nec tridui inedia a proposito reuocarit. alter, cum didicisset, sexta feria, Sabbathoq. ac peruigilijs, abstinendū a carnibus, ita hoc arcte arripuit, vt illis diebus vel simplici victitet pane, aut, si ne hic quidem detur, nihil omnino deguſtandum putet. qua perseuerantia septuennis puer vtrumque parentem ad meliora conuertit. Ex similium numero constans Congregatio, e

qua,

qua, vno anno, duo nobis aggregati, per multis auxilio prodest, & exemplo. Datur etiam opera alijs muneribus nostræ Societatis. Ad Ecclesiam traducti triginta quattuor. in his vnus, qui in hæresi perstiterat annos quinquaginta. ad communionem sub altera specie quattuor & quadraginta. atque ex horum etiam numero vnus, annos natus octoginta: qui postmodum migrauit e vita. Confessiones vel a prima pueritia exceptæ quinquaginta sex. plures triginta ad matrimonij, quæ violauerant, iura reuocati. inter hos vnus, qui post primas nuptias, viuente adhuc vxore, quaternas contraxerat, flagrante libidine. Solicitatus a dæmone, vt se laqueo suspenderet, a Deo liberatus. Mulier necandi mariti consiliũ cum amore mutauit. Discordes multi reducti ad concordiam. vicini pagi lustrati. Sed hæretici nos æquis oculis pro suo more non aspiciunt. sermones etiam infames serunt. Bacchanaliorum diebus, quibus propter concessam vulgo lasciuiam, lætior fingendi licentia, sparsus erat rumor, non incerto auctore, tres Iesuitas cum meretricibus comprehensos, inclusos in carcerem. Dissertabant eadem multi: non quia crederent, sed quia credi volebant. nec tamen vt callide vulgatum, ita a Catholicis temere creditum. Plerisque indignantibus, re comperta vnus cum Iudice egit, vt ne crimen iret in exemplum, criminator truderetur in carcerem: falsa scilicet infamia in veram pœnam conuersa. Simili impudentia, exitu nõ valde dissimili, cum Serenissimus Archidux Austriæ Hernestus, Viennam, Praga rediens, flecteret Brumam, iactatum

est, causam fuisse itineris, consilium nostros e ciuitate pellendi. quæ fabula vbi Archiduci per Patrem Prouincialem innotuit. Subridens, recte admonent isti, inquit iam iamq. vestrum ueniemus ad templũ. Venit, Sacro interfuit, domum totam perbenigne lustrauit, frementibus aduersarijs. Hæreticus quidam domum habebat nostræ contiguam: oratus sæpe, eam vt uenderet templo necessariam: tantum abfuit, ut exoraretur, ut etiam quæ necessario tærum erant habitura odorem, ultro obuerteret in eam partem, qua sciebat conuersam esse Eucharistiæ custodiam. non impune. lenta enim & difficili tabe correptus: ut quanto longior uita, tanto plus esset supplicij: & ad extremum confectus est. Addam huc etiam unum. Vir quidam ferox ac potens, cum quo lis erat de finibus, atroci interdicto uetuit, nequis nostrum, colonorumue nostrorum attingeret limites suos: hac pœna addita, ut si quis deprehensus esset, in fœdo carcere tamdiu contabesceret, donec moreretur: eaq. de re ad Patrem Rectorem litteras dedit. Quas ubi accepit ipse, rescripsit in hæc uerba. Tu quidem mihi Fratribusq. meis, & colonis nostris interdictum uis esse fundis tuis, sub carceris interminatione: ego uero, ubi resciuero, te intra fines nostros, licet angustos, pedem intulisse, occurram ultro, et qua par est humanitate, complectar. His litteris ita fractus est hominis animus, vt posito furore, edictum reuocarit, & negatum aliquot annorum censum persoluerit, nostrorumq. fundorum nobis liberam reliquerit possessionem.

SE-

SEDES. CROMLOVIENSIS. ET Vratislauiensis.

VBI CONSTITIT *de voluntate Reuerendi Patris Nostri Generalis, in hac vrbe fundandi Collegij, nihil dilata est eius ædificatio. Illustrissimus enim Rosensis, simul atque accepit litteras, magno perfusus gaudio, sollemni cærimonia primum lapidem in fundamento posuit quartodecimo Kalendas Apriles, ita properato opere, vt iam fere peruenerit ad fastigium. Idem Rosensis domum extruxit ad exemplum Pragæ, vbi nutriantur adolescentes, quos paupertas a litterarum studio retardat: magistratu vrbano præbente necessaria Conuictoribus: ij iam octoginta numerantur. Nostri hic resederunt priore anno sex, posteriore octo. In maxima parœcia habentur conciones duæ, Boemica, & Germanica: atque, vt debilia fere sunt principia, magna spes melioris successus ostenditur. vno anno expiati ab hæresi octo: peruersam abiecere sub vtraque specie communicandi consuetudinem, viginti quinque. Ceterũ non parua fit quotidie in ciuium animis ad pietatem accessio. Iuuenis quidam hæretica labe infectus, & mulier vna, ludificantem varia specie diabolum, integræ confessionis & cælestis agni remedio eluserũt. Alia deinde Societatis nostræ munia erga eos, qui siue in nosocomijs, ergastulisue attinebantur, siue ducebantur ad supplicium, de more obita, quo magis noua plerisque, eo gratiora omnibus acciderunt.*

VRA-

VRATISLAVIAE versantur quattuor. Quorum opera tum in confessionibus audiendis anteactæ vitæ quadraginta: tum in hæreticis, hi fuerunt quadraginta duo: tum etiam in ijs, qui sub vtraque specie communicabant, hi quinquaginta: ad verum & communem Ecclesiæ ritum conuertendis, ita & Episcopo ipsi, et Clero probata est, vt hic ne, an Nyssæ nostrum Collegium institui oporteret, longa sit deliberatione certatum. Nyssæ visum commodius. quamquam Vratislauiensibus etsi iam spes fere omnis: nondum tamen cura decessit. missæ ea de re ad Patrem Nostrum litteræ. Interea Vratislauiæ binis habendis concionibus, confirmandis ijs, qui nuper redierunt: e quibus tentatus nonnemo, & vincula, & verbera expertus: in conglutinandis discordibus, in adiuuandis stipe collecta, pauperibus, confutandis hæreticis, libellis pijs magna cum multorum vtilitate spargendis, tempus egregie collocatur. nec deest erga nos & Episcopi, & venerabilis Collegij Canonicorum, & aliquorum etiam ciuium illustrium magna significatio voluntatis.

MISSIONES. VARIAE

MISSVS SACERDOS cum fratre in ciuitatem Furstenfelt, ea est Styriæ finitima, in Hungariam vergens: atque adiutus ille populus, vt plerique hæresim agnoscerent. Cum plures petcrent Societatem, vnus est factus voti compos.

DVO PILSNAE annum fere integrum morati,

morati, viginti septem ab hæresi absoluerunt. rudes multorum animos, qui ad hæreticorum fere exemplum generatim se fatebantur nocentes, species autē peccatorum aut internoscere, aut dicere nesciebant, edocuerunt quid sentiendum esset, quidue faciendū. frequentior Eucharistiæ, & recitandi Rosarij vsus inuectus. superstitiones sublatæ. uera ieiunādi cōsuetudo, quæ aboleuerat, reuocata. vacillātes in fide, confirmati. Virginis Sodalitium institutum. Mulier Lutheriana a spectris, rectæ contestatione religionis: altera item mulier, & vir vnus a furore fanatico: illa consecrati agni imagine, hic autem confessione liberati.

Dominus Ioannes Guillelmus a Schonchirchen, vnus e clarissimis Austriæ Dynastis, ad Ecclesiæ gremium aliquot ante annos traductus, magnopere concupiuit, eos quibus imperitabat, eiusdem habere beneficij participes. obuenerat ei morte hæreticæ socrus oppidum, Hausechium appellatum, etiam hæreticum. eo in oppido duæ erāt superstitionum faces, minister, & magister ludi: sed ille vehementior. vterque erat exterminandus. nostros accersit. ministrū interea callido stratagemate expellit, quasi qui conuicio Præfectum loci petisset. hoc factum, ne plebs imputaret odio religionis aduersæ. discedentem non magno negotio, vt varam vibia, secutus ludi magister. tum nostri perpurgare cœperunt oppidum a sordibus annorum minimum triginta. fit Sacrum, habetur concio sæpius magna frequentia. afferuntur rationes, cur vni potius Orthodoxæ Ecclesiæ, quam tot multiplicatis Hydræ capitibus fides habenda. nec

fuit

fuit facile obsistere veritati. persuasum est omnibus, quattuor exceptis, vt ceterorum conuersionis quasi testes relicti viderentur. rem adiuuit opportuna oratio Dynastæ qui, in Catholica fide consensus qui esset fueritq. semper Christiani orbis, quam etiam ipse esset amplexus, exposuit. omnes deinde recepit habiturum filiorum loco: eiusq rei illud signum, quod remitteret omnibus libere, quicquid sibi quocumque nomine deberetur. Gratum id Deo. nam & vxori obstinatæ melior mens iniecta. Vbi prima euenerunt, conuersus animus ad instaurationem templi, sacrarumq. imaginum: ad imperitos populos, catechesi, modoq faciendæ confessionis instruēdos. qui deinde legitimo parocho diligenter commendati. Res, Deo iuuante, feliciter cessit.

CREMBSIVM ciuitas est Austriæ, vbi a Vienna discesseris, prima, opibus virisq. celeberrima. huic proxima est duorum stadiorum spatio altera, Stain nomine, a quæstuosa negotiatione insignis. cōmunis vtrique magistratus: etsi Crembsio auctoritas maior. Vtrobique Luther trigesimum iam annum percrebuit. ita, quamquā quarto abhinc anno, Cæsaris iussu. Lutheriani impostores electi: ciues tamen adeo sunt præfracti, vt nec adire templa, nec audire concionantem, nec infantum baptismata, nec adultorum matrimonia Catholico ritu celebrare sustineant. Parochus in tanta multitudine, septem, aut, summum, octo, in concione numerabat. puerum infantem vix vnum toto anno baptizabat: ad ea, quæ interesse videbantur religionis, hæretici vocabantur. Magnum

est

est momenti in reconciliatione huius vrbis, quod eius exemplum minores aliæ in Austria sequãtur. Rogatu igitur Episcopi Passauiensis, mandatuq. Sereniſſimi Archiducis Herneſti miſſus vnus e noſtris ad populũ in Catholicam fidem formandum. Ad primam concionem, ad quam pauculi sperabantur, venere centũ: tum fama increbrescente Papistæ et Iesuitæ concionatoris, Crembſienſes in primis conuenere ad aliquot millia. et imperitiam faſtumq. Prædicantium (hoc nomine ſuos concionatores hæretici appellant) modeſtum e proximo exemplum onerabat. noſter ſacerdos, vt verus & efficax in dicendo, ita in reprehendendo prudens & moderatus: vt cum illos iam auerſarentur, noſtrũ nõ amare non poſſent. Cuius ſcilicet & auxilio vſus eſt Senatus Populusq. Crembſienſis apud Archiducem Herneſtum, & conſilio vtitur frequenter in ijs, quæ pertinent ad Catholicam religionem. Et hic quidẽ multa ad Dei gloriã. reducta vetus conſuetudo ſigni dandi quotidie certis horis Angelicæ ſalutationis: abluti pueri infantes bene: multi: & Catholico ritu compluria coniugũ paria copulata. obſtetrix quo modo baptizandi fetus, edocta. Plebis vniuerſæ, vt nouam eſſe vitam ex oris habitu facile agnoſcas, ita noua dicta factaq. publicus affirmabat magiſtratus, qui ius adminiſtrat. plurimi fiebat ab omnibus Pater, tum ob labores vtiles, nec vmquam interruptos: tum etiam, quod ſacculum plenum aureorum, quem ſua ſponte miſerat ciuitas, conſtantiſſime recuſauit.

VEIDOVIVM ciuitas eſt ad Ipſium amnem,

nem, in cæno hæreticorum immersa annis amplius triginta. magnam partem homines opifices: ita & vagi plerique: qua re vtraque & licentia alitur, & audacia. In hac vrbe Frisingensis Episcopus vtrãq. exercet iurisdictionem. arx vrbi imminet. eius arcis Præfecti inuitatu, viri admodum Catholici, eorumq. penes quos regimen ciuitatis, & vero ipsius Episcopi, mittitur e nostris ille idẽ sacerdos, qui rem Hausechianam, & Crembsiensem prospere gesserat. eo conuenit vnus missus a Cæsare: ac tres præterea Frisingenses, qui eruditione & pietate maxime præstant: quattuoruiros dixeris. Hi statim, quod erat eis mandatum, Prædicantes vrbe pellunt, templorũ clauibus a Senatu repetitis. Hic noster, magno silentio omnium, & gratulatione multorum, concionem habet, eam, quam illi quattuoruiri censuerunt imprimendam. pax erat rebus omnibus. sed eadem die vesperi excitata tempestas. It populus furens ad portam arcis, eã appetunt lapidibus: nox obstitit ne in incepto pergeretur. postridie mane plebs collecta, vesano fremitu suos sibi ministros restitui postulat: cumq. validius intenderetur rumor a non leuibus initijs, sub meridiem affluxere virorum aliquot millia, quasi ad præliandum instructi: ita iam non lapidibus, sed armis suos repetebant. cesserunt quattuoruiri iratorum amentiæ, seseq. per auersam portam a publico receperunt in alteram arcem Episcopi, quæ aberat passibus bis mille. Triduo post cum resedisset populi tumor, ciues profecti ad eos duodeuigin ti, factum excusant, Senatum criminantur. placuit ex

præscri-

præscripto interrogari & notari singula. Quæsitum an vllus e concione tumultus. nihil minus. id præcipue, ne falso aliquando ad Cæsarem Principesue Catholicos traduceremur, litterate perscriptũ. Noster sacerdos nondũ de primo abierat loco. at Dominus Fuggerus, maximi uir animi optimiq. consilij, illũ fere renitentẽ in currũ suũ abripuit, & populari leuitati subtraxit. Viennæ vix vnũ diem consliterat Pater, Veidouium reuertitur ad munus concionum, ab initio Dominici Aduentus vsque ad annum exeuntem. e quibus multiplex consecutus est fructus. Missionem hãc videtur dæmõ multis modis impedire voluisse. e curru vectores semel per Danubij littus præcipitati maximo discrimine: & soluti equi tamquam furijs acti, Præfectum arcis, qui eques præibat, pæne obtriuerunt impulsu. Ceterum sacerdotem nostrum Veidouium redijsse, & tam intrepide concionatum esse, magnæ illis quattuoruiris admirationi fuit. Neque vero res metu carebat. quin ipse nõ ignarus periculi, quotidie conscensurus suggestum, ita se comparabat, ac si suprema illa concio futura esset. Qui & aliquando capta occasione, constanter ac libere in hunc modum disseruit. Equidem non ignoro, viri Veidouienses, me a plerisque vestrum designari ad cædem: insita mortalibus natura, vt suauia magis, quam vera audire lætentur. quam si potestatem dabit vobis Deus, ne ego ero promptior ad accipienda vulnera, quam vos ad inferenda. neque aliud pretium exitus postulo, quam conscientiam non tacitæ veritatis. Quod si oppugnare hæresim, vestram arcem, videor, paribus armis

mis concurrite, lingua, aut, si forte, calamo. vnus contra omnes, Deo duce, suscipio dimicationē. arma procul facessant aduersus pacatum & inermem. Quæ tamen si intentatis, habetis hominem, pro Christo millies paratum mori, quam ab incepto desistere. neque enim erit finis mihi vitæ, quem vos minitamini, sed melius principium & glorioſius. tunc enim nascuntur ij, quibus sic mori contigerit. vnam rem vereor vt vobis possim persuadere, emersuram meo e sanguine virorum segetem, qui, uel inuitis uobis, idē, quod ego efficiant: eadem quidem voluntate, sed facultate maiore. Dei enim causa agitur. a quo omnia consilia pulchra & magna, ipsisq. omne consilijs robur: et sine quo, quamuis callide prouisa, frustrantur euentu. His verbis infracti omnium animi: & attoniti admiratione eius constātiæ, religione etiam moti, venerari cœperunt, quem extinctum esse cupiebāt. Faxit Deus, vt quod, eius benignitate feliciter inchoatum est, id optimi virtute parochi fideliter confirmetur.

GERMA-

GERMANIA · SVPERIOR

IN GERMANIA Superiore iam Domicilia decem. Ingolstadij. Dilingæ. Monachij. Augustæ. Oenipon ti. Halæ. Lucernæ. Friburgi. Landspergæ. Ratisbonæ. Socij priore anno vndeuiginti supra ducentos. Posteriore ducenti triginta tres. E vita migrarunt septem. Adsciti in Societatem vnus & triginta.

COLLEGIVM. INGOLSTADIENSE.

INGOLSTADII Societatis meditationibus eruditi quadraginta duo. in his monachi erant tres & viginti. In Societatem aggregati quattuor. Qui totius vitæ confessionem instituerunt, auditi ducenti quinquaginta. Mulierculæ tres: hæretici resipuerunt fere centum. Horum libri permulti, itemq. ad Magiam pertinentes, exusti. Contra a nostris editi nonnulli ad euincendam insanorum pertinaciam. Quadringentorum summa aureorum, quam quidam hæreticis legauerat, nostrorum consilio ab ijs ablegata, & in meliores vsus conuersa. Sacra quidam mysteria frequentare solitus, ab ijs destitit ad tempus: mox improborum, in quorum amicitiam se immerserat, valescente consuetudine, vt impios excusaret mores, in pios linguam imprudenter exacuit. neque abfuit ad reuocandum hominem Diuina vltio:

præacutam forte acum faucibus deuorat, non sine vitæ periculo. redit statim ad se, & ad notæ confessionis remedium. mirum dictu. postridie eius diei infestam acum, præter opinionem, sed non contra voluntatem gutture emittit. Conuictorum contubernium fit quotidie amplius, adolescentium conuentu nobilium. in his Badensis Marchionis filius: monachi etiam quadraginta. Ad duas Sodalitates Beatæ Virginis tertia religiosorum accessit. e sodalium cœtu iuuenis Polonus genere perillustri, primum factu rus Sacrum, religiosum locum octo millibus passuum ab vrbe, in quo faceret, elegit. hic re diuina peracta, duodecim pauperibus apparari iussit conuiuium, ad quod ipse ministrauit. Scholæ celebrantur ab adolescentibus clarissimis, a principũ virorum ac Dynastarum liberis. Sed Serenissima Gulielmi Bauariæ Ducis & numerosa proles sicut nobilitate, ita etiam auditoribus ceteris, industria, & sodalibus pietate antecellit. Nam quid de Gulielmo ipso dicam, quem semper experti sumus nostri studiosissimum? Is vero bis mille quingentos aureos dedit, quo nostrum continuaretur Collegium Conuictorum contubernio. is quadringentos præterea ad nostros vsus. is annonæ difficultatẽ, qua premebamur, leuauit. is domesticũ nobis: eiusque exempli & pietatis æmula vxor, sacrum instrumentum auxit. is denique de siluestri venatione sua partem aliquam ad Collegiũ misit. quod etiam nos admonet, vt de nostra venatione aliquid dicamus. Itũ enim a multis in varios pagos: interim, vt per cuiusque hæreticorũ populi fines transibant,

accur-

accurrentibus pluribus, vt Iesuitas viderent. Doctrina Christiana in quattuor tradita. In vno, puella quædam, in Catechismi certamine, victrix æqualiũ, paruulam cum accepisset ex ære Crucem præmij loco, eamq. sibi quasi Niceterium appendisset ad collũ, trimestri febre dicitur liberata. In altero obitum per annum integrum ægrotantis parochi munus. Oppidũ est quoddam huic vrbi proximum, & frequens, & nobile: nisi quod Lutherianorum peste infectum. erat in eo vir illustris, qui & magistratum gerebat. hic nostrorum, quibus sæpe illac iter, degustata consuetudine, veram religionem respexit: factusq. inter hæreticos defensor nostræ Societatis, & Romani Pontificis assertor. res ad pseudoecclesiastas defertur: interdicitur sacris eorum execrandis: ad quæ, nec, etiam si cogeretur, se iturum esse respondit. Tum causam dicere iubetur in iudicio. Hic se aperte profitetur esse Catholicum. Quid? Est ne (interrogant) aliquod Ecclesiæ Caput aspectabile, a quo pendeat summa religionis? Et maxime: inquit. at nos nullum agnoscimus: & tamen habemus veras Ecclesias. Neque enim mirum, interfatus ille: Quot inter vos Ecclesiæ, tot capita, tot sententiæ inter se dissidentes. Hic quidam, qui se videri volebat argutulum. Dic sodes, Ignem purgantem esse affirmas? etiam. at vbi est tandem terrarum? Hic noster. Dic tu mihi vicissim vbi sit Abrahæ sinus? Sic elusa veritati aduersantis calumnia conticuit.

COLLEGIVM. DILINGANVM

QVAE Dilingæ, & pagis sex septem, duabusq. Imperij, vt vocant, ciuitatibus, quo excursū est hoc biennio contigerunt communia, simul ponentur, sat ietatis vitandæ. si qua insignia, suis reddentur locis: tum redibitur ad Collegium, vnde hæc profecta. Ergo ab hæresi absoluti minimum nonaginta. Expiati totius vitæ criminibus supra quingentos. libri malorum satores morum, aut prauarum opinionum, vbique in ignem coniecti: quorum loco pij integriq. suffecti. restituta quæ erant male parta. reconciliatæ amicitiæ. cōcubinæ aliquot excussæ. effecta etiam similia, quæ, vel me tacente, intelligi possunt. illa igitur communia. propria hæc. In vno pago virgo quædam religioni ac sanctimoniæ dedita, vt æquales suas ad idem studium adducat, admonita est a nostris. igitur dum eas ad se aduocat diebus festis, dū a iocis ludisq. deterret: dum dant operam sanctis collocutionibus, domus eius quædam videtur officina pietatis. Permagna etiam Principis Eluacensis humanitas & cura propagandæ Catholicæ fidei, tacita præteriri non potest. tam sæpe ad se Eluangam (id est oppidum ditionis suæ) nostros vocat, vt eorum consilio auxilioq. vtatur: quos cum dimittit, eos interdum vel ad octo millia prosequitur. Sed veniamus domum: hoc ordine, vt dicantur ea primum, quæ in vrbe euenerunt, deinde quæ in scholis & Collegio. Mira patuit in multis vis cereæ imaginis consecratiagni: siue cum Lemu-

res

res domo quadam fugat: siue cum sistit cuidam profluuium sanguinis e naribus: siue cum multos extrema in desperatione de exitio cogitantes ad saniora cõuertit. Sed & idem videtur esse quoddam veluti amuletum contra Sagarum veneficia. Comprehensæ sunt ex hoc genere mulierc ularum nonnullæ, quæ diris se deuotionibus, cacodæmoni obstringunt. condemnat as adiuuerũt nostri: nec sane inutiliter. hoc mirum est visum. perquam enim raro accidit, vt resipiscant. Describere horret animus quæ illæ pestes in quæstione dixerunt, quam horribilia se perpetrasse: inductas nẽpe aspiritibus nequissimis, quo minore spe veniæ cresceret vinculum sceleris. Vna ex his erat inter hæreticos edocta atque educta. huic, cum apud illos impuram deuorabat cœnam, a dæmone pax erat. cum semel ad cælestem mensam Catholicorum more accederet, cum illo rixa: vrgebatur ne sacram Hostiam transmitteret faucibus: seruaret potius ludibrij causa indignissime obculcandam. Sed hoc cum fit in prato ab alijs mulierculis, quas habebat conscias & socias fla gitij, narrant, eam ab se Hostiam non potuisse contingi: apparuisse sanguineis quibusdam interlitam guttis, multa luce promicantem. super cetera hæc addebant, nullam ipsarum in eos potestatem fuisse, qui aqua se aspersissent lustrali, qui sacram Diuini agni gestarent imaginem, qui denique quælibet Catholici ritus habe rent insignia. Hæc Sagarum confessio multorum animos in fide firmauit. Quamquam & viri aliquot, quibus cum diabolo erat commercium, hac ratione conuersi: quod cum certis ille eliceretur cantionibus, &

arcanis litterarum notis, comparere non poterat, nisi quidam ex eorum cœtu Crucem deponeret, quam forte gestabat, & suo chirographum sanguine exaratum iactaret in aera. hoc viso, omnes prouiderunt sibi, & iustissime abruperunt, quam perfidiose obstrinxerant fidem. Quo in loco suspendiosi asseruantur in patibulo, eũ infra locum herba nascitur, quæ caulẽ habet, puelli puellæue corpusculo non absimilẽ: hæc legitur cũ magno effodientium metu: quod vsu compertum est, emitti quosdã ab illa gemitus, quibus vulnerãtur id conantium aures: nec sine mortis, aut certe mortiferi mali periculo. ita quod caro constat, caro emitur. & vellitur ab infimæ sortis hominibus, quibus vilis est salus. hanc superstitiose, vt dicere facereq. audent, baptizatam, vtilem esse aiunt ad rem familiarem augendam, ad mala pecori, segeti, soboli auertenda. com parauerat eam vnus aureis quinquaginta: cui post illam mercem, vt sibi persuaserat, res secundæ fluebãt. sed cum iniecta esset homini religio a nostris, monstrificam herbam non inuitus obtulit, quæ est minutatim concisa. Dæmonis quidam habebat icũculam inclusam vitro, cuius superstitioso cultu multas ad res se adiuuari putabat. huius etiam abijciendæ, ne illius vspiam esset vsus, auctores nostri fuerunt. Vnus a mortis cõsilio, quam sibi, parata ad eam rem sica, aliũq. concubia nocte afferre meditabatur, abductus. Hæc de rebus, quæ in vrbe. Iam sequitur vt de ijs, quæ in Collegio, scholisq. Harum vero is status est, vt nihil ferme desiderari queat. Nobilitas plurima: sexaginta monachi: monachi præterea quinquaginta duo in ædi

bus

bus Conuictorum: e quibus septem, quod antea negligebatur, dant operam Theologiæ. fructus insignis. eius specimen, vt sæpe alias, data, cum sollemni more aperirentur scholæ, fabula: & cum clauderentur, positiones defensæ. pietas denique maxima, illa alumna & nutrix Congregationis: cui nuper ex accessione Præpositi Eluacensis magnum decus accessit. Ex sodalium numero, graui quidam laborabat morbo, eoq. magis timendo, quo vlcus erat interius: cæca tabe grassante, humanis remedijs frustra adhibitis, ad Diui nam opem accurrit. Deiparam orat, vt qua est potestate & misericordia, medicinam faciat: addit ad preces verberationem corporis. hoc cum egisset in Paschatis peruigilio, corripitur somno: tum deinde expergefactus, quasi incisa esset suppuratio, se persanatum continuo intelligit, virulenta sanie, quæ latebat, ejecta. Ceterum exercitationibus ad pietatem formati non pauciores quinquaginta quattuor. partim studiosi litterarum, partim alij. Quod vbi præstiterunt, ij maxime, qui religiosam vitam professi: quasi quãdam absterserint ab oculis caliginem: tũ vero sibi homines, tum Christiani, tum religiosi videtur. Hoc denique Collegium auxit Societatem adolescentibus quattuor: ipsum auctum quattuor florenorum millibus. quorum tria data ad perpetuos census coemendos: mille ad vsum templi. Augustanus Antistes frumentũ quotannis Collegio curat. Eluacensis ad ceterã liberalitatẽ florenos addidit ducentos. Serenissimus quoque Bauariæ Dux quasi non satis habeat Bauariæ Collegijs benignissime facere, ornatum sacerdotis huc

misit maximi pretij. Eluacensis concionator moriens bibliothecam suam, argenteamq. supellectilem Collegio reliquit.

COLLEGIVM. MONACHIENSE cum Sede Ratisbonensi.

CONCIONES habitæ tribus locis: in Aula ad Principem eiusq. familiam: in gymnasio ad scholasticos conuenasq. complures: in templo Sancti Augustini ad plebem. Doctrina quoque Christiana tribus alijs tradita in templis. Ex hac veluti semēte, vt summatim dicā, hæc messis collecta. A spectrorum terrore, amētia, laqueo, desperatione liberati permulti. in his hæreticus vnus, cui persuaserant homines ei simillimi, sibi, vt etiam cuicumque, hostiam cōsecrare licere: concepta modo verba proferret super materiā aptam, eamq. fide non hæsitanti commanducaret. quod dum facit irreuerenter, malignus eum repente spiritus inuolat, factum exprobrat, mortem suadet: a qua prope tum aberat, cum accitus vnus e nostris, de omnibus peccatis confessum hominem Catholico ritu communicat. hæretici præterea centum amplius viginti de iniqua sententia deducti. libri pestiferi multi multis erepti: vni quidem, bona ipsius venia, trecenti: duo a flagitioso concubinarum contubernio abstracti: matrimonia inconcessa dirempta: inquieta, pacata: odia compressa: incantationes, superstitiones, aliæq. id genus impiæ consuetudines, sublatæ: piæ introductæ: illa maxime, octauo quoque die sacra mysteria

steria obeundi. In valetudinario publico, & carcere, & apud ægrotantes suis in ædibus laboratū feliciter & frequenter. Discipuli (etsi multi iustas ob causas non admittuntur) omnino sexcenti. constat omnium industria in pietate litterisq.: eorum præter ceteros, qui suum Annuntiatæ Virgini nomen dederunt. Vnus ex ijs, neque minis, neque blanditijs: sed neque Magicis artibus ad flagitium pellici potuit. Illustre admodum virtutis specimen dederunt hebdomada sancta: vbi perpetua tridui successione ad Domini sepulcrum, nigris induti saccis, Crucis memoriam, precatione, lacrimis, voluntaria corporis pulsatione coluerunt. quamquam supplicatio sextæ illius feriæ, nūquam celebrior. addiderunt enim se ad illorum cœtū tres præterea Sodalitates cū suis quælibet insignibus. nudis incedebant pedibus, facē manu gestabant: inter quos lacerata flagris multa corpora. Erant amplius sexcenti. Honestabant pompam nobilissimi viri, & Principes Sereniſſimi Ferdinādus frater, Maximilianus maximus Gulielmi Ducis filius, & Marchio Badensis: ipse denique conspiciebatur Gulielmus quotidiano habitu, commemorabili exemplo. Deducta supplicatio ad Montem vsque Sanctum (templū est huius nominis) perhonorifice: atque eodem comitatu (erant autem multa hominum millia) ad ædem, vnde discesserat, reducta. Duo insuper sunt ab optimo Principe præclare instituta: alterum, quod quadraginta adolescentibus, quorum eruditioni obstat res domi angusta, prandium quotidie cœnamq. ex Aula præbet. Quod eius factum Ferdinandus

frater

frater annuo censu in perpetuum firmauit. alterum, quod Conuictoribus nostris pro ruinosa, maleq materiata domo, aliam eorum vsibus accõmodatissimam prope a fundamentis excitauit: cuius rei peruulgata fama, nobilissimis adolescentibus, etiam externis, Collegium est auctum. Exercitationes scholasticæ tũ in Bacchanalibus, tum in repetitione scholarum, fuerunt & variæ, & multæ. Atque hæc domi. foris enim etiam aliquid præstitum docendis Catholicis, hæreticisq. dedocendis. Stangarda oppidum est: hac dum iter faciunt nostri, repertus est senex inter hæreticos Catholicus, qui se tricies eam ob causam reũ factum esse commemorat: et semper tamen in eo mansisse, vt ne a recta fide discederet. addit minitatũ sibi esse, aliquando vnum ex illis buccinatoribus, qui se esse & vocari volunt Euangelicos, cum hoc effato: Aut tu meus eris auditor, aut ego non doctor. et temere iactam vocem rei exitus comprobauit. paucis enim post diebus, nescio quibus agitatus furijs egregius ille administer verbi, cum de fenestra se præcipitem egisset, miserrime interijt. Lãdishutæ (hoc est nomen alterius oppidi) rogatu Ducis Sereniſſimi, duo e nostris per annum fere integrũ fuere: nec prætermissum est quicquam, quod pertineret ad munia Societatis. Quattuor hæresi renuntiarũt. Vnus, qui ut suspendio vitã finiret, iã aptauerat cingulũ, quo vtebatur, ceruicibus, a vicina morte ac tenebris peccatorũ, reuocatus ad lucẽ. Similis opera nauata est alteri, qui simile agitabat consiliũ, non tam audaci incepto. Catechismi explicandi vsus ingenti multorum

fremitu

fremitu inchoatus, mirum est quã creuerit ab initijs ita non mollibus, vtilitate perspecta.

RATISBONA, quam quidam Augustam Tiberij dici putant, vrbs est Imperij, quinquagesimũ iam annum hæreticorũ peste infecta. Eius Episcopus est Philippus Sereniſſimi Ducis Bauariæ filius: rem interea Catholicam pro filio pater magno animo administrat. qui & futuro assignauit Collegio locum, deq. eo fundando solicite cogitat. hic, eiusdẽ inuitatu Principis, duo e nostris aliquot iam menses versantur: quorum alter concionatur in templo maximo. nec exiguus est fructus. hæretici videlicet tumultuãtur. quin & suo aliquando persuaserũt magistratui, vt collocatis propter templum satellitibus, ciues aditu concionum prohiberent. Hic illorum conatus, vt est refutatus & agnitus, piorum studium vehementius accendit.

COLLEGIVM. AVGVSTANVM Et OEnipontanum.

NEC MINVS in Augustano agro elaboratum est in hæreseos stirpibus euellendis. Vnus & viginti in salubrem insiti arborem. in his mulier fuit, quæ nouem secum filios, quasi surculos, vt in eãdem arborem insererentur, tulit. Quidam in peruigilio Paschatis satur ab hæreticorum cœna, in nostrum templum venit, otioſe exploraturus ecquid ageretur. cum spectaret tacitus quæ confitentium pietas, qui sensus animorum, vnum atque idem agentium,

tium, quam spirarent omnia religionem, qui captatū venerat, captus est. neque inde discessit ante, quam euomeret virus iniquitatis suæ. Puer cum videret condiscipulos aliquot suos ad sacrā mensam accedere, similiter ratus licere omnibus, etiam ipse accessit, & panem hausit Angelorum. quod vt eius pater, qui erat Catholicus, resciuit, simplicitatē pueri causatus, illum clam matre hæretica, vt confiteretur, adduxit. narrabat porro puer, ut magnum illud argumentum accepit Diuinæ caritatis, non aliter atque intrasset flamma, os sibi uisum aduri. Iudæus, honesto apud suos loco, a nobis ad baptismum instructus. Duo abducti a morte sibi accersenda. quattuor a uita flagitio sa. Exercitationibus spiritualibus decē exculti. quindecim generali confessione expiati. odia inter coniuges sepulta. Vnus quidam erat, qui cum Dei abutens patientia, plura quotidie ad flagitia accingeretur, e nocturna diaboli uexatione cum ad sese redijsset, uidit se ab custode Angelo defensum. Alter cum spreto sacerdotis consilio, insita mortalibus cupiditate uetita appetendi, non abstineret a legendis curiosis libris, pustulis in facie de repente enascētibus, ita deformatus est, ut fugeret lucē. Eius igitur morbi eam esse arbitratus causam, quod abiecisset obedientiam, uoto facto abstenturum se in posterum a simili lectione, cœpit conualescere. Magna eorum pietas, qui apud nos confitentur, quæ etiā deriuatur in proximos. cilicinam duo tunicam applicitam corpori tulerunt per tres horas ac triginta, respectu annorum Christi: ut cuidam, qui explendæ libidinis, nihil pensi,

neque

neque moderati habebat, cum mutatione uitæ ueniã impetrarent. Nobilis matrona mulierem quamdam uolutatam per decennium in cœno hæreticorũ, domi suæ liberalissime habuit, uestiuit, aluitq. ut eã Christo lucrifaceret. Scholæ, etsi anno superiore per aliquot menses solutæ, redintegratæ tamen fuerunt altero ineunte.

OENIPONTI similia. Hæresim deseruere ferme quadraginta. & quod illustrius fuit, duo ex his, insipientium magistrorum filij, quos uulgus uerbi ministros appellat. vnus deinde miraculo maiore, quo, morbo oppressus, mortiq. proximus, obstinatiore erat pertinacia: qui tamen vna cum animi, corporis quoque sanitatem recepit. Confessione, quam a prima pueritia repetierunt, purgati centum quinquaginta. Permulti, qui se vel tacito consensu, vel loquenti pactione cacodæmoni obligauerant, ad Christum redierunt, iugo seruitutis excusso. Persuasum tribus vt vitam debita potius pietate degerent, quam immatura morte finirent. Duo libellorum millia, quibus tenuiores instituuntur animi ad veram religionem, tributi compluribus, dono Andreæ Illustrissimi Cardinalis. Institutum, vt doctrina Christiana in vrbe pagisq. tradatur a ludi magistris. etsi in vrbe additum hoc quoque, vt ad Catechismi explicationem ad nos pueri deducantur diebus festis, certa ob hoc illis negotium mercede permissa. Pacta multorum conuẽta, quæ videbantur iniusta, rescissa nostrorum consilio, vel correcta. duæ e pellicatu extractæ. Inimicitiæ capitales sublatæ multæ, & sanata odia diuturna.

na. auctum instrumentum sacrum casulis tribus elegantibus, pari candelabrorum ex argento, et sitel la ad aquam lustralem: piorum munere: qui & pecuniam contulerunt ad adolescentes alendos, quorum studijs doctrinarum obest rerum inopia. Horum liberalitate permotus Archidux Serenissimus, ædes emit, quæ nunc ad pauperum Scholasticorum vsus accommodantur. Sodalitium Beatæ Virginis & viris in dies et virtutibus crescit. in die Dominicæ cœnæ quattuor viri nobiles, cũ in templo recitaretur ex superiore loco Euangelium, sordidos aliquot homines, vt res tulit, ex circumfuso numero selegerunt: quibus cum lauissent pedes, magna totum conuentum admiratione perfuderunt, cum pari voluptate coniuncta.

HALENSE. COLLEGIVM

HALAE tres abdicata hæresi, Catholicam fidem agnouerunt. Serenissima Regina Magdalene sacram quotidie supellectilem augere non cessat. De eius pietate cum Treuerensis Cãcellarius amicus noster, qui hic aliquandiu fuit, Archiepiscopo retulisset, permouit virum Illustrissimum, ut caput unũ e victrici Thebæorum legione, sanctasque alias reliquias per certum hominem ad eam daret. quibus omnibus præclare adornatis, sacrum nostrum thesaurũ, cui addiderat proximo anno caput beatissimæ Vrsulæ sociarum, argento gemmisq. illustre, cumulauit. Eadem Regina Diuini cultus cupidissima decem florenorum millibus perpetuos census ad adolescentes aliquot

quot in rem Ecclesiasticam alendos curauit.

SCHVAZ oppidū duodecim circiter milliaribus Hala abest, amplitudine, incolarum frequentia, argenti metallorumq. fodinis in primis celebre. Huc opera Vicarij Brixinensis duo sacerdotes sub Paschales feriας missi, ac fere mensem apud eos homines cōmorati: haud satis certum, maiore sublatarum, quæ male obrepserant, an inductarum, quæ illis mederentur, consuetudinum bono.

COLLEGIVM. LVCERNENSE

LVCERNAE ea iam lux Catholicæ religionis accensa est, vt vel in arce poni possit, vt ceteris præluceat. quotidie numerus fit maior, vel recipientium se ab hæreseos tenebris: ij fuere plures quadraginta: vel sese magis in pietatis lumine confirmantium: id enim præstant, aut peccata detestātes omnia, quantum memoria possunt repetere (ij fuere centum quadraginta) aut flagris edomantes corpora (et extrema quidem Quadragesima Romam reddunt) aut pudicitiam toto pectore complectentes. Erunt hæc pauca instar multorum. Adolescens quidā, quem ætatis feruor accēdebat ad libidinem, binas spinas in corpore tulit infixas, vt e arum aculeo importunus resideret ardor, & timore Domini, carnes configerentur. Alter, cum procacem feminam, a qua domi habebatur incluſus, effugere non posset, prætextu dimittendi comitis, ne moraretur diutius, egressus e carcere, inani expectatione elusit impudentem. Puel-

la, quæ-

la quædam nobilis, cum infirmiore adhuc ætate virginitatem Deo vouisset, spectabat Sanctæ Catharinæ Martyris tragœdiam, quæ dabatur, maximo conuentu. igitur factum est, ut cum Catharina immolatur, quod e præciso eius capite fluxisse dicitur, lactis gutta mirantis vestem contingeret. cuius candore commonita, iterum sed maiore animo virginitatem spondet: in qua, multum licet cognatis repugnãtibus, constantissime perseuerat. Sed & alia afferri possunt signa, restitutionum factarum: abolitorum morum, qui per accitam licentiam festos dies Circumcisionis Domini, & Epiphaniorum fœdabant: contractuum afferendorum, vt inspiciantur, ne quid inhæreat, quod sublatum oporteat. Est enim ea vrbs, in qua nostri tribus in templis concionantur: uno in loco erudiunt populum Christianis elementis: scholam instituerunt de rebus ad conscientiam pertinentibus. eam scholam noster habet sacerdos in Franciscanorum æde, vniuerso Clero, multisq. religiosis viris, & compluribus laicis: conueniente plerumque Tricaricẽsi Episcopo, Põtificis apud Heluetios Nuntio, qui hanc rem sibi probari maxime, & verbo declarauit, & exemplo. magna autem huius erga nos fuit semper beneuolentia. quam & Alexandrinus æmulatur Antistes, qui ei in munere successit. nam quid de Basilienſi dicam? Lucernenſium uero ipsorum erga nos officia elucent quotidie magis. Etenim, vt omittam donatam tabellam præclare pictam, sacris reliquijs gemmisq. insignem, in singulosq. annos ad vsum communicantium assignatum vini dolium ne oneretur Collegium:

gium : magnam domus noſtræ partem , quæ otioſa videbatur, inſtaurant . aream ad templi ædificationem, coemptis ædibus, parant . hortum muro cinxerunt , mille aureum ſumptu : et ornant munera verbis ampliſſimis . commemorant enim , multa noſtrorum opera ſublata e familijs diſsidia : e magnis miſerijs non paucos confeſſione ereptos : Cœnobij bibliothecam peramplam noſtrorum inſpectione purgatam : mulierem vnam notã, ab impudico corporis quæſtu abductam : quinque ſpiritualibus formatos exercitationibus: eo vtilius, quo plerique ſacerdotes & perſonam publicam gerunt : gymnaſij noſtri, & Parthenij Sodalitij nobilitatem & frequentiam: fructum poſtremo e pagorũ aliquot luſtratione perceptum. In quibus præter hæreticos duodecim Eccleſiæ reſtitutos, illud ad memoriam inſigne. Puella erat extra Heluetiæ fines, quæ per ſex iam menſes vexabatur a diabolo : ſic vt prioribus tribus horribile eßet , quæ loqueretur. auium cantus & voces beſtiarum concinne exprimebat . audiſſes crocientem coruum , glocientem gallinam , pipientem pullum, paſſerem pipilantem, acredulam minurientem : grunnientem rurſus ſuem, mugientem bouem , latrantem canem, equum hinnientem , aſellum rudentem. oris præterea ſibilum ita inflectebat , vt tibias referret. ſuos dæmones , duos , tres , interdum ſedecim, recenſebat . poſterioribus menſibus loquendi veſcendiq. parciſſima, cibum omnem reſpuebat : ſorbilo tantum victitabat: minimo lactis , quod cum micis admiſcebatur, per vim in guttur inſerto. venenum videlicet

in quolibet manſo metuebat. ad hanc, illuſtris cuiusdã Abbatis, cuius magna erga nos beneficia, rogatu, venit ſacerdos e noſtris: erat illa in eius aduentu ad feneſtram. vt ſacerdotem conſpicata eſt, decidit in terram: venientem & dictis, & conuicijs excepit, et ſputis ingerendis. Poſtridie eius diei exorciſmum aggreſſus Pater, vinciri fugam quærentis pedes, a tribusq. viris valentibus, quibus feſſis integri ſuccedebant, immotam teneri iuſſit. et tandem poſt quintam horam placuit Diuinæ Bonitati, vt expulſa dæmonis nequitia, puella veluti obdormiſceret ſomno placidiſſimo. quam cum excitaſſet ſacerdos, & quæreret vbi fuiſſet, digitum intendens ad arã Perpetuæ Virginis, Ibi, inquit illa, ibi ſurrexi. Delata eſt domum, cibo vſuq. mentis ac rationis recepto. Miſſa deinde noſtro pecunia: quam cum remiſiſſet, non minorẽ fere ex ea recuſata admirationem, quam ex puella ſanata voluptatem omnibus tulit.

COLLEGIVM. FRIBVRGENSE

E CONCIONIBVS *communiter, atque ex ijs proprie, quæ de recte inſtituenda confeſſione, tollendis ſuperſtitionibus, quibus plerique vel a prima pueritia dediti, magnus conſecutus eſt fructus. Vnus & quinquaginta ex ijs, quos peruerſarum opinionum peruaſerat furor, ad ſanitatem reducti. inter hos ſacerdotes duo, quorum alter a religioſorum ordine defecerat. vnus item, qui cum multas luſtraſſet oras, variaq. inter ſe compoſuiſſet capita, diuerſa opinantium,*

nantium, hic apud nos tandē veritatem inuenit. Inducti, vt quod superarat vitæ, melius ordinarent, ad superiorem omnem confessione retexēdam, quadraginta. Duabus mulieribus, quæ annis ab hinc duodeuiginti egressæ e claustris, cum pudore amiserāt pudicitiam, persuasum, vt ad sua Cœnobia reuerterentur. a turpi lucello, & a desperatione abductæ nonnullæ. quin etiā nostris admonentibus cautum, vt ne scorta in vrbe versentur: ne feneratoribus vlla detur actio, iniūgatur potius pœna: ne Catholicorum liberi hæreticis opificibus committantur instruendi: ne horum libri impune habeantur: quorum etiam, conquisitis aliquibus, atque combustis, curatum, vt eorum in locū pij excudantur, qui passim teruntur manibus, nō sine fructu multorum. eodem consilio cum posteriore anno Friburgensium ditionem vrbemq. sæua inuasisset fames, consultum, vt Tribunorū plebis diligentia, ac liberalitate opulentiorum, aureorum aliquot collectis millibus, coemeretur frumentum pauperibus tribuendum. Pax constituta inter dissidentes, non in priuatis solū domibus, sed in ciuitate: in qua orta pæne seditio ciues in diuersa diduxerat: et cladis periculum imminebat. In pagis, xenodochijs, & apud ægrotos laboratum vtiliter. Omnium enim hæc communis sententia est, vt, nisi nostris apud Deum precationibus commendentur, non sperent cōualescere. Scholæ multarum nationum adolescentibus efflorescunt: inter eos Valesii, Burgundiones, Italiq. Duæ iam sunt Sodalitates Sanctissimæ Virginis, vna ciuium, scholasticorum altera: quæ inter se de complectenda virtute,

adiuuandisq. proximis egregie certant. ita, Deo adspirãte, nobis in hac vrbe secunda fluunt omnia. quãquam nonnullus etiam aduersus turbo intercurrit: qui tamen postea in tranquillitatem cesit. Vt peramplum Societati Collegium ædificaretur, Senatus decreuerat: interces sum est a Tribunis. reuocati Patres Conscripti ad suffragium: in quo tanta fuit Prætoris grauitas facultasq. dicendi, vt eo perspectior fuerit Senatorum concordia, quod bis idem censuisse in eadem consultatione sine vlla discrepantia videtur. Tribus Aedilibus hæc mãdata ædificatio, apertisq. fundamentis, primus in ea sollemni cærimonia coniectus lapis. Sed foris tamen vicinos per pagos, & vocibus carpimur maleuolorum, et probrosis carminibus: nos patriæ proditores, nos humani sitientes sanguinis, nos turbulentos vocãt. iactatũ est etiam pro suggesto nos inter Heluetios Catholicos renouati, religionis causa, fœderis, auctores fuisse. quibus rebus ab improborum odio profectis, tanto magis proborum erga nos benevolentia excitatur. itaque eorum liberalitate et Collegium auctum, & ornatum templum, & bibliotheca magis instructa.

DOMVS. PROBATIONIS. LANDspergæ.

TYRONIBVS, idem qui solet rerum amor Diuinarum, humanarumq. contemptus. ita in multis perspectum est, occasione oblata, siue quæsita, quam vere & ex animo discant honores negligere,

patriam

patriam exuere, omnia ad præscriptum agere, paupertatem ferre & contumelias parentes, fratres, & cetera omnia, vilia habere. adiuuat horum industriam eorum æmulatio, a quibus peragitur tertius probationis annus: quod fere nunc primum per occupationes, & paucitatem hominum facere licuit. ergo in illis omnia præclare. vnum hoc exemplũ, & pœna leuitatis. Vnus quidam fuit, qui cum suis, qui eum venerant animo abducendi, cum longiora quam necesse erat, aut concessum, miscuisset colloquia, postridie mane per templum egressus repetijt Aegyptum. reuocatur per litteras a nostris, contemnit: suo malo. vix enim vertente anno, cum consanguineis iter faciens, ab vno illorum sclopetto ictus interficitur. At veteranorum, aliorumq. mira in proximorum salute alacritas. Duodecim hæresi erepti. vicinus Dynasta Diuinis cõmentationibus instructus. cõfessiones excepta plurima, & de tota quidem vita triginta. pacati multi. vnus maxime, qui mortem persequebatur filij ferro perempti. Vrbs abest hinc propius, quã nec Catholicam plane numeres, nec vero hæreticam: ita partim est integra, partim infecta. huc concionatum cum isset, inuitante parocho, vnus e nostris sacerdos, magnos motus excitauit. Cõsul aduersarum partium, parochũ accersit, quod Iesuitã se inscio euocasset: graui ter obiurgat. Parochus, non se sub Consulis, sed sub Episcopi potestate esse respondit. ceterum, quod suis Curialibus vtile videatur, facturũ. Mittitur satelles ad nostrum cum his mandatis. Consulis eum iussu non prohiberi concione: sed admoneri tantum, si quid ei

acciderit, Consuli præstandum non esse. Hic noster paucis eam rem sibi curæ fore concionatur ea moderatione, vt & iuuarentur Catholici, nec hæretici irritarentur. ab concione statim mittit ad eum hæreticus non ignobilis xenia, mox adit ipse: atque in sermone, ceteram sibi probatam eius orationem: vnum illud mordere, quod cum timore & tremore salutem dixisset operandam. Magna autem nostræ ædis veneratio, magna fides hoc in loco Dei placandi, magni ad eam pagorum concursus. Terni, quaterni, septeni interdum confluunt ordinatim. quod & Landspergenses obseruant ciues necessitate ingruente. quorum etiam summa erga nos obseruantia. Pater is, qui e suggesto populum erudit, e nostrarum præscripto legum ostiatim panem emendicabat, quod in Spiritualium esset Coadiutorum ordinem promouendus. vbi hoc animaduersum vulgo. Ita ne, noster, inquiunt, cõcionator ad mendicitatem redactus? nefas. hunc lacrimis testati dolorem, cum ad eum accurrentes, de nostræ essent instituto Societatis edocti, misericordia in lætitiam versa, multa in Collegium eleemosynæ nomine congesserunt. Serenissimus Bauariæ Dux cum vxore, fratre, sorore, filio, cum hac forte transiret, nostrũ templum inuisere, ac prandere domi nostræ voluit, maxima humanitatis significatione. quam illustriorem fecerunt vxor sororq. fœminæ spectatissimæ, earumq. exemplum secuta matrona nobilis, muneribus ad templi ornatum amplissime missis.

PRO-

PROVINCIA RHENANA

COMPLEXA est vtroque anno Prouincia Rhenana Collegijs decem Socios decem supra trecentos. nempe (posterioris anni tantum subducto numero) Colonienſi triginta quattuor. Treuirenſi quinquaginta ſeptem. Moguntino vndeſexaginta. Herbipolitano vnum & quinquaginta. Spirenſi ſedecim. Fuldenſi viginti nouem. Heiligenſtadienſi quattuordecim. Confluentino ſeptemdecim. Molſemienſi plus minus viginti. Paderbornenſi duodecim. Denati his duobus annis vnus & viginti. Adnati nobis quadraginta vnus.

COLLEGIVM. COLONIENSE cum aliquot Miſſionibus.

VT SVPERIORE anno noſtrorũ conſpectior fuerit induſtria, illud effecit, quod Sereniſſimus Dux Parmenſis in Noueſii oppugnatione (quod oppidum expugnauit poſtea) ægros & ſaucios omnes huc deferendos curauit. Itaque cum eſſent apud nos qui Gallicam, Hiſpanicam, Italicam, ceterasq. linguas percallide noſſent, eorum curandis animis corporibusq. opera diligenter impenſa. Catechiſmum explicare aggreſſi in hac vrbe decem locis. aduerſis

initijs, optabili euentu: irrisu videlicet imperitorum in discendi ardorem conuerso. par eripiendis animis e dæmonum laqueo vtilitas. tam multi nobiles ac religiosi viri anno posteriore nostris meditationibus in Collegio expoliti, vt ab ijs fere numquam domus vacua esset. priore absterserunt confessione totius vitæ maculas amplius centum. atque in his, mulieres, quæ in magna erant desperatione vitæ propter conscientiam scelerum nonnullæ. ab adulterio, incestu, hæresi ereptæ complures. quamquam & ab hæresi viri non pauci. nec sanis consilium, nec ægrotis auxilium, nec egentibus eleemosyna, nostris procurantibus, defuit. et apertus iam aditus in ptochijs ad pauperes, quorum inuisendorum erudiendorumq. curam propriam sibi fecit noster vnus sacerdos: non ignarus, in squalidis sentisq. corporibus latere animas permagno emptas. eius, aliorumq. Catechistarum studium, patrocinio, æreq. adiuuant honesti viri e Maiore Sodalitate Beatæ Virginis: & alij aliquot, qui Catechismos quotidie suppeditant, ad nostrorum arbitrium rudibus distribuendos. Sodales omnino trecenti. magna omnium pietas. Duo germani fratres parentem ægrum atque obfirmatum in hæresi, numquam destiterunt vrgere, orare, interpellare, donec ille supremas curas ad Deum conuertit, et prauas detestatus, in quibus consenuerat, opiniones, munitusq. Ecclesiæ Sacramentis, discessit fidentior e vita. Alium ex eodem cœtu adolescentem, ornandis venerandisq. Sanctorum imaginibus cubicularibus sedulo dedit ū, acutus morbus lecto afflixerat: ipse interea totus in

Deiparæ

Deiparæ cogitatione defixus, eam tantum habebat in ore, quam vnam habebat in mente. pridie quam migraret, matrem appellat: ait visam sibi Virginem cũ filio, quibus additus erat Angelus minister: ab ijs se accersi. proinde eam hoc supremum orat, vt flosculos, quos haberet domi acu pictos, opere plumario, ad Congregationem Dei Matris mittat. ipse postridie vultu in eam partem conuerso, vbi cæleste apparuerat visum, ridenti similis decessit. Erat in eiusdem Sodalitio Virginis sacerdos, pietate iam ac Theologiæ scientia excellens, qui rei Catholicæ causa Zelandiam sibi (ea est insula Hollandiæ finitima) eundum putauit: nec ante Colonia discessit, quam nostrorum se precibus obnixe commendaret. Is nunc, maximo licet vitæ discrimine, opem fert depositæ genti. Ita ex medici periculo, & ex deplorata ægroti valetudine, subsidij laus augetur. Res domestica aucta & adiectis ædibus, & reditibus annuis: Sereniſſimi videlicet Principis, & Apostolici Nuntij, quæ numquã intermittit, beneuolentia. Etsi oblatum est etiam tempus aliorum liberalitatis experiendæ necessariũ. Cum enim tres e nostris, qui Nouesium nauigabant, excepti essent a prædonibus hæreticis, eorumq. saluti pretium factum aureorum bis mille, tantumdem contributum est ab amicis, vt illi soluerentur. bimestris eorum carcer fuit: etsi ne verbo quidẽ asperiore appellati, aut vultu alieniore conspecti. tantum abest vt corpora torquerentur, vel non sinerentur quotidianas preces Deo persoluere. Citius loquentes eos interdum de Diuinis rebus libenter audiebãt.

Ex

Ex hoc Collegio nostrorum aliquot (certum numerum non habeo) missi Dusseldorpium (hoc est Montensis ditionis caput) ibi, et pacatæ Moniales, & peccatorum sordibus expiatæ: & vir nobilis, antea hæreticus extremum spiritum ab ipsa statim confessione edidit, quem ægre retinebat. Destinatus etiam sacerdos cum socio ad Illustrissimum Principem Iuliacensem, rem Christianam, rudem populum edocendo, hæreticos refellendo, errantes ad Ecclesiæ gremium reducendo, crebras conciones habendo in multis oppidis, iuuit. Et tenduntur illi quidem ab aduersarijs insidiæ, sed Dei prouidentia eluduntur. Mira eius dexteritas: qua, et ægrotans aliquando medico, pro mercede, & conuiuio exceptus, conuiuatori, pro gratiarum actione (peræque enim vterque hæresi laborabat) reddidit animi sanitatem.

NVSSIA proximis annis ab hæreticorũ perfidia occupata, ab Principe Colonienſi, virtute Sereniſſimi Parmenſis nuper recepta eſt. eius igitur dum datur opera ruinis reſarciendis, vocati ſunt noſtri, qui vacent tum inſtaurationi ſacrarum ædiũ, quibus purgatis ornatis q. indicta ſupplicatio ſplendidiſſima: tũ etiam incolarum ſaluti: qui & inſtituti in doctrina Chriſtiana & excitati concionibus: ne ve habeant libros, quibus corrumpantur, miſſis per domos publica auctoritate quæſitoribus, qui omnes auferant ad comburendum, prohibiti.

BONNAE quoque, Archiepiſcopi Coloniẽſis rogatu, datũ non nihil temporis malis euellẽdis ſtirpibus, quæ iterum pullulabant. concio & Catechiſmi expli

catio

catio frequens habita. cũ sæpe lustratur carcer, Anabaptistæ duo religioni Catholicæ asserti. Sed huc dum reditur altero anno, neque inutilis est commoratio, ad fidem non nemine redeunte, quarta hora ante lucem, qua somnus mortales altissimus premit, vi, seu magis proditione, hæretici oppidum inuadunt diripiuntq profanatis templis, multis Ecclesiasticis vel captis, vel cæsis: duo e nostris cum amico tertio, Deo duce, celeritate fugæ periculum euaserunt.

TREVIRENSE. COLLEGIVM

HOC Collegium Domum habet Probationis adnexam. vtroque anno vi morbi grassantis afflictum est. et priore quidem, quatuor: posteriore octo, omnes fere tyrones, excepto socio magistri Nouitiorum, desiderati. sed de illis prius: quos non omnes pestilentia, vnum enim sacerdotẽ lenta tabes, absumpsit. at ex ijs, quos pestis, vnus item sacerdos, ipso statim initio morbi, sponte in villam suburbanam secessit, ne alijs officeret. qui vero obijt postremus, haud facile dici potest, quo pietatis sensu. sedulam hic operã ægrotis Fratribus et moriẽtibus præstabat, sine timore, non sine periculo. eadem enim mali sæuitia correptus etiam ipse. quod vbi intellexit, peccatorum confessionem repetit iam inde a pueritia, tã multis effusis lacrimis, & excussis audientĩ, vt confunderent vtrumque. Is cum ante obitum non ita diu, arcto Crucifixi imaginem foueret amplexu, crebroq. illa interruptis vocibus iteraret verba: IESV

fili

fili Dauid miserere mei, leni quodam arrisu, lætoq. gestu excipere visus quosdam venientes, breui emoritur. Anno autem posteriore, inter illos, qui ad meliorem vitam migrarunt, fuit vir firmata ætate, nec ignobili fama: in quo vis apparuit Dei prouidentiæ: qui, delectum illum a puero, sed parentum æstu interuersum, matrimonij deinde compedibus impeditum, omnibus tandem vinculis & periculis exemit, vt adduceret ad seruiendum sibi in hoc monte, vbi consūmatus in breui (tres enim tantum apud nos vixit menses) humilitatis tamen studio & parendi alacritate, expleuit tempora multa. Et sunt quidem ad mortuorum æmulationem viuentes excitati. etenim non in circumiacentibus solum pagis, sed etiam in vrbe, quod factum est tribus locis, exposita doctrinæ Christiana, auditiq. plurimi confitentes. in magna præterea annonæ caritate certis diebus in hebdomadas singulas, ad quadringentos pro foribus Collegij vtcumque refecti. instructi parochi: multis concubinæ abstractæ. errore deposito, ad Ecclesiæ gregem additi nonnulli: milites aliquot externi infirma valetudine, domi nostræ in valetudinario habiti, dum plane confirmarentur. in eruendis denique animis e faucibus diaboli persæpe pugnatum: magnum enim prouentum veneficorum hoc biennium tulit. e quibus licet aliqua, prout scribenti occurrerint, degustetis. Aedes viri nobilis nocturnis infestæ terriculis, nostrorum aduentu & efficaci prece in posterum liberatæ. Amplius viginti millibus passuū abest ab urbe vicus, in quo domus erat huiusmodi terroribus infamis.

famis. & interdiu quidem clara luce uolitabant sedilia, comminuebantur uasa, fragmina passim spargebantur: concutiebatur supellex, disiiciebatur, disturbabatur, diripiebatur loco: nemine comparente. noctu cubantibus stragula detrahebantur, culcitæ subtrahebantur, interdum cædebantur ipsi citra noxam: ut adesset timor, dolor abesset. etsi longior ille timor non carebat dolore. Missi huc duo e nostris: quibus prior cura & potior fuit, ut familiam abstergerent sorde peccatorum. sentire hoc uisus dæmon, interquiuit ad tempus: sed sacris deinde asperatus precationibus, nostros horrifico circum strepitu territare, hoc uehementius, quo minus temporis usque ad lucem supererat. postero die habita est opportuna concio, sollemniq. cærimonia, populo comitante & adprecante lustratæ ædes, riteq. purgatæ. Sequitur res non parua a paruis initijs. Puella nuper ab hæresi & flagitijs reuocata, cum amisisset domi nescio quid e supellectili non magni pretij, vt mulieres animum infirmum gerunt, tanto mœrore prostrata est, vt non multum abesset ab amentia. obseruauit tẽpus gnarus nocendi. persuadet inediã, donec amissum recuperet. triduum ab omni cibo se abstinuit: precationi interea vacans: hanc contra dissuadet dæmon: suggerens videlicet satis esse abstinentiã. frustra. nã ad preces redibat. neque ille se tenuit. nec uero occulte amplius, sed aperte aggredi instituit. offert se strigoso pectore, & facie truculenta: minas addit, spem miscet, si animum sibi deuoueat, reddendæ supellectilis. agnitio hostis fuit periculi depulsio. statim enim illa ad sacerdotem,

Cerdotem, a quo solatium primo, deinde consecratum agnum, arcendi monstri remedium, accepit. Puella altera claris natalibus, ad depellendum grauem corporis morbum, medicis nihil proficientibus, mulierecula rum veneficia adhibuit. inter quæ cũ magnopere vapularet cæco ictu, claro sensu, exanimata iacuit diu. accitus sacerdos, aqua lustrali ægram aspergit. vbi ad se rediit, extrudit Sagas, vt erat iussa: nec multo post sanitatem adepta. Ceterum comprehensi damnatiq. veneficij, viri, mulieresq. plures viginti: atque horum e numero aliquot nobiles & opibus potentes: qui omnes ad iniuriam in homines, ex præscripto carminis nefandi addiderant affirmationem perfidiæ aduersus Deum. ita impuris execrationibus velut furialibus stimulis actæ mentes, ad omne scelus omnemq. libidinem impellebantur. huius atrocitatem culpæ cũ eorum aliqui essent suspendio expiaturi, alij flammis: nostrorum assiduitate effectum est, ne toti morerentur: præcessit enim salutaris peccatorum confessio, quæ, interfectis corporibus, animas liberauit. Puella quædam ex honesta familia, annos nata circiter quattuordecim, a malefica matre inducta est, vt Magicis artificijs cacodæmoni initiaretur. eam mater ipsa, quæ postea igni tradita est, in quæstione habita, flagitij consciam sociamq. nominauit: excusabat ætatis imprudentia. persuadetur puellæ, vt abiuret diabolum. apparet ille hoc parãti, iræ plenus: ac ne desciscat, multis onerat promissis, minis terret. Sed omnis inimici conatus ludibrio fuit. Ipsa in Cœnobiũ Deo famulantiũ mulierum sponte concessit. Adolescens erat rusticus,

sed

sed peracri ingenio intra quintumdecimum annum: hic non semel acceſſerat ad feralem locum, vbi permiſti feminis mares, & ætatis teneræ maioribus dæmone magiſtro epulabãtur, noctis licentia omni diſcrimine pudoris extincto. Ipſe tamen nondum Deo Deiparæq. renuntiauerat, execrandas nondum precationes fecerat, dæmone præeunte. felis tãtum cerebrum cum ſumpſiſſet in cibum, decreſcente luna ſentiebat ſibi mentem imminui. vbi hanc ingreſſus eſt vrbem, quam numquam antea viderat, eo nimirum ducente ad ſupplicium, qui duxerat ad maleficium, vti fanaticus deductus eſt in ædes Principis, ut ſeorſum ab alijs certa in domus parte curatus a noſtris, diabolum excuteret. Sed cum ei nulla noctu daretur quies a dæmone, coniuratiſq. a quibus ſæpe diuerberabatur, vel cerea effigie ſacri agni, quam ad collũ habebat, auulſa: Archiepiſcopo placuit mitti in Collegium. nec hic quidem fuit miſero pax, niſi ſollemni ritu cubiculo expiato. Pretium erit, quædam ex ijs memorare, quæ ab ipſo narrabantur. Ita enim ipſimet Antiſtiti. Cum exerceretur noſtra comeſſatio, fuit vnus, e tua cohorte, qui gloriatus eſt, quadam nocte (indicabat eam, quæ fuiſſet) dormienti tibi potionem peſtiferam ingeſsiſſe, reperto ad te aditu ex occaſione agni Dei, quem, iturus cubitum, reliqueras imprudenter in menſa. quod ſi paulo capacior fuiſſet calix, mortem non effugiſſes. Et certe ipſe Archiepiſcopus dixit, ſe poſt illam noctem ita infirma fuiſſe valetudine, vt per aliquot dies decumbere cogeretur. cum hæc dicens in magna co-

rona

rona nobilium, non faceret fidem, ad Præfectum vrbis. Quin & te, inquit, nostræ lamiæ bis inuaserũt; sed ab ea pyxidula, quam fers continenter, vbi sunt imagines binæ, & nescio quid consecratum (agnum Dei intelligebat) sunt a conatu repulsæ. de harum gestatione rerum confessus est Præfectus. Idem adolescens cum exorcisatur in templo, obstipo capite, oculis in speculare, quod erat altare iuxta, defixis, hæsit aliquandiu. interrogatus ecquid videret, dissimulauit primo, deinde cum vrgeretur: Video, inquit, dominum meum (dominum suum isti mente capti, cui obtemperant, dæmonem appellant) en illum: in sambuco stat: manu mihi & oculis loquacibus atrociter minitans, si mutem fidem. Adolescens alter similibus illusus præstigijs ante triennium nobis traditus, redditus fuerat sanitati: etsi mobilitate ingenij, & versutia hostis recidisse dicitur, vnde surrexerat. Hic, non secus atque ille, acerrima esse retulit dæmonum odia in Iesuitas, quos dissimillimos esse fatentur sibi, ac diuersa volentes: ita vt omnes ad eos opprimendos artes conquirant. et receperunt quædã dæmonum amicæ sublaturas aliquot veneno: sed tentata res est nullo exitu. conuenerunt etiã non paucæ ad exhauriendam illorum cellam vinariam: sed, quod in dolijs expressum esset IESV nomẽ, prohibitæ. Vna ex his veneficis cum puerum infantem rustici filium in osculum applicuisset, in tenero eius crure digitorum pressu reliquit vlcera, quorum lues quotidie inualescebat. ad ignoratã mali causam medicina nequic quam adhibita. Vbi hoc patuit e contestata & publi-

ca

ca rearum confessione, sacerdos vnus e nostris patri auctor fuit, vt ad ædem Dei Matris, quæ hic religiose colitur, deferret infantem, Sacrumq. pro eius salute curaret celebrandum. factum est: puer conualuit. Et quoniam nobis res est cum tali hoste, aliam etiam ei prædam, Deo fauente, eripuimus: monachum scilicet, & monacham, qui in apostasia atque hæresi ex incestis nuptijs filios susceperant. ille concionatorem hæreticum egerat annis viginti: hæc post viri mortem, alium quærebat mulierculam similiter, quæ octauum iam annum sacerdoti adhæserat. Archiepiscopi constans erga nos beneuolentia, hoc biennio clarior: quod & templo pulchra ornamenta, & Collegio insulam, quæ est contra villam, vnde magni reditus propediem sperantur, et iuuenem capitalem nostrorum precibus donauit.

COLLEGIVM. MOGVNTINVM

SACERDOS vnus superiore anno decessit: alter quo minus decederet, multis piorum votis in vita retentus. Incitauit hoc nostros ad virtutē: nec minus illud, quod sequitur. Quidam a Societate defecerat, quod inani spe longioris vitæ, & falsæ cupidine libertatis animum impleſſet. vtrumque secus processit. biennio post mortifero afflictus morbo decubuit. et quamquam voti obligatione solutus, cum formidolosissimum instare diem intelligeret, quo ad acerrimam Christianæ vitæ rationem erant omnia dicta, facta, cogitata exquirenda: memor vnde excidis-

set, subdiffidere cœpit, se indignum clamitans gratia Dei, quam olim tam parui fecisset. et creuisset morieti desperatio, nisi accitus sacerdos noster ei percarus, pauidum & vecordem conscientia, ad spem erexisset. Vsque adeo, qui viuere in cœnobio recusant, quia durius, in eo saltem, quia tutius, exoptant mori. Hæc igitur duo, nostris, vt dicebam, stimulos, licet currentibus, addiderunt. id autem ex his colligi potest. Fratres duo, remittendi, vt fit, animi causa, media hieme rus concesserant. redeunt ad vrbem deficiente iam die. incidunt in miserum ac miserabile spectaculum. Torrida effigies militis, potius quam miles, iacebat in cœno: ita illuuie, squalore, vi frigoris prærigue rat totus, & crura pedesq. habebat ambusta. semiani mem appellant, excitant, attollunt, magnoq. labore nisuq. iam obscura luce pertrahunt ad vrbem. nosodochium non patebat. apud sacerdotem externum ea nocte relinquitur. postera die cum lucis principio emendicant vestē ad eum contegendum: exuunt, nudantq. altera (ita adhæserat carni) non sine pelle. hinc saniem abstergere, horrentes artus calida abluere, cibo reficere, quod opus esset ad hominem refocillandum, nihil omittere. deinde vero, ad hospitalem domū perductum, Ecclesiasticis mysterijs imbuere. hoc postremum ei officium magis necessarium fuit: cum enim rigor correpti corporis omnem vinceret curam, occubuit. Melius in specie, alteri factum: qui cum a quibusdam adolescentibus, qui nobis dant operam, repertus esset in publico, algore atque inedia confectus, deductus est domum, ibiq. liberaliter habitus, nec nisi op-

si optime confirmatus, inq. noua veste remissus. Adeo autem fuit anno superiore hiems saeua & aspera, vt obducta glacie vtraque ripas committeret Rhenus: & onustos carros durato tergo transmitteret. Magnitudinem frigorum, vt saepe, excepit caritas annonae: eã nostri, vt siue per se, siue per alios in multis leuarẽt, nõ mediocriter laborarunt. alias etiã itum ad eos, qui cum morte luctantur. hoc in genere illa. Vir erat tertium iam decimũ annũ corporis membris ita in orbem conuolutis, vt informi globo, quam homini similior esset. adsunt huic nostri nocte extrema, vt alloquantur, & cohortentur abeuntem. affuit & quaedam mater familias honesta, quae vniuersam familiam ad tale exciuit spectaculum. En, inquit, exemplum rerum humanarum. Ite nunc, indulgete choreis & cantibus. Hic est exitus nostri itineris. Ecce omnes morimur, & sicut fluuij breuiore longioreue ambitu in hunc delabimur Oceanum. Quin vos haec meditamini, & rapitis, dum licet, benefactorum occasionem? Haec coram mulier de morte differebat: at vir interea mortalitatem explebat. Demortui cadauer (orauit enim ipse, vt ne a feminis curaretur) pollinxerunt nostri: quod germano eius fratri, qui tum domo aberat, quam gratissimum fuit. Alter e primaria vrbis familia, morbum nactus difficilem, difficiliorem pertinacia faciebat: neque enim sumebat quicquam cibi, & orantium multorum atque obsecrantium preces, ne mortem sibi accelleraret, taciturna obstinatione comprimebat. ad extremum, vocatus cum esset vnus e nostris, ipsius admonitu & refouit corpus ci-

bo, & confessione perpurgatum animum sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento. incidit mox in phreneſim, nec, nisi postquam animam efflauit, a nostris relictus. nec morientes tantum, sed viuentes etiam adiuti permulti. siue qui hæresim detestati publice, siue qui in rectæ fide firmati. Et fuere qui de peccatis omnis vitæ confessi meliorem instituerent: plures, qui remitterent inimicis offensam. quod factum est semel, cum duorum rixa in tantũ processisset, vt armati ex vtraque parte non pauci, in mutuam perniciem verterentur. Catechismi fructus in quattuor vrbis locis, & suburbanis totidem pagis, non pœnitendus. Extitit etiam aliquis e binis missionibus. peruersa enim quodam in pago inualuerat consuetudo, vt qui ad sacram accessuri erant mensam, vsitata scilicet formula generatim peccata confitentes, manipulatim a parocho absoluerentur. hæc sublata: etsi magni operis res fuit: & curione, et curialibus, de eo, quod faciẽdum erat, edoctis. Nec minus Francofurtum (quidam olim vocitatam Helenopolim tradunt) ad mercatum illum, qui habetur magna conuenarum celebritate, cõtendimus: et institutus est in vrbe, vbi crassa caligo hæresum, animorum quæstus longe vberrimus. Quæris fortasse de scholis: in dies singulæ augentur: et dat specimen in pietate ac litteris sui quæque profectus. Tuentur de more Philosophicas ac Theologicas theses. hoc telum, mirum quantum ad retundendum acumen illud hæreticum valet. agunt fabulas admirabili venustate & elegantia, quibus audientium excitatur fides, et agentium industria. Instituta e Theologiæ stu-

dioſis

dioſis Academia, ad Italicarum exemplum: vbi ad honeſta faciendi, & ad vtilia ſciendi facultatem exercentur iuuenes fere quinquaginta. non ferunt hanc lucem Cerberi noſtri, & in vmbra latrare audent. Sed vt eorum oculos perſtringit fulgor: ita ora obſtruunt noſtrorum libri, qui affatim illis obijciuntur. Hos, vt legantur a pluribus, de Latino ſermone in Germanicum ſcimus eſſe conuerſos. Ergo virtute victi, dolo pugnant. Subdito rumore in nos ingentis flagitij ſcenam parant. Ieſuitas quoſdam Craconiæ patrati reos facinoris, turpiſsimo mortis genere vitam finiſſe: inter hos repertam feminam, quæ veſte ſexum ementita, infantem a partu crudeliter necarit. fictus rumor, multorũ credulas aures impleuit. res erat in inuidia: nec quicquam nobis magis infeſtum: nec vltra paucos dies, quamquam acribus initijs, criminatio valuit. ſapientiſsimi enim Principis atque optimi fundatoris noſtri conſilio ſtudioq. patuit maleuolorum dolus male tectus. & poſt diſiectam nubem mendacij, lux veritatis effulſit. Eo interim tempore quiddam accidit: quod quidem vt tunc fuit mirandum, ita etiam nunc memorandum videtur. Procax quædam erat mulier Melanchtonis confeſsioni apprime dedita: ceterũ et audax, & vltra feminam ferox: tam magnis aduerſum nos imbuta odijs, vt in quemcumque incideret, eum ſtatim execraretur, probris laceſſeret, canina rabie laceraret. nos laqueo, nos pici, nos ſulfuri, nos omnibus dæmonibus, diris precationibus deuoueret. nihil erat tota urbe notius, quã mulieris in nos maleuolentia. Sed non ſemper diſſimulat Deus. Statuit hoc

in eam exemplum, quo vel ceteri terreantur. Pridie eius diei, quo colitur Christi Domini in cælum Ascensus, intempestiuo partu monstrum edit visu horrendum. caput, catuli referebat effigiem, pelle derepta, ore bifido, naribus carens & lingua. oculus tantum vnus sinister foras exporrectus ad frontem & occiput, & bina item tempora adgnata tubercula instar cornuum, quæ speciem reddebant pilei quadrati. e sũmo vertice intestinum fluebat, quod pedem læuum propter talum seno circumplicabat amplexu, ita tenaci, vt nec solui ab obstetrice, sed ne rũpi quidẽ potuerit. mõstri omnes fere partes respõdebant criminibus, quæ nobis infelix mater obiectabat. admiratio omnes, qui hæc spectabãt, cum alij alios intuerentnr, silentio defixit. Tum quædam ad infantem iam mortuũ mordaci ioco. Ne tu, inquit, Iesuitarum more habes cornigerum caput. at obstetrix ad puerperam. Quin tu fac tandem aliquando Iesuitis maledicendi finem. hoc vbi audierunt videruntq. parentes, non solum voce, sed mente destituti stetere aliquandiu: pudor enim vtrumque, stuporq. defixerat. Sed vt mos est obstinatorum, abeunte pudore stupor, mansit. nec tamen rediere ad sanitatem. Et omni quidem studio præferunt hæretici quod acciderat: sed, Deo nimirum ad maiorem sui gloriam omnia disponente, muliebri ore tacitum non potuit contineri.

COL-

COLLEGIVM. HERBIPOLI-tanum.

HERBIPOLI, et in oppidis q. pagis eius di tionis, maxima Principis voluntate, qui idē est Episcopus, data opera est a nobis, daturq. vt Catholicæ rei, tum in presens, multorum conuersione, tū in futurum, puerorum institutione, consulatur. ergo & in vrbe ad Ecclesiæ obsequium rediere quamplurimi. Iudæus etiam vnus Christi fidem amplexus. et magna it puerorum frequentia ad Christianam doctrinam, vel ipsis deducentibus ludi magistris: cum quibus actū, vt ne hæreticos libros haberi in scholis, neve Catholicorum filios esse hæreticis ludibrio patiantur. De nostrorum scholis, prætermissis communibus, dicam hoc tantum: magistrum, qui Philosophiæ curriculum absoluit, egisse cum auditoribus, vt meliorem Philosophiam, ex Patris Nostri Ignatij exercitijs domi nostræ ad dies aliquot hauirēt. quod factum est ab omnibus: vno tantum (qui alio negotiorum causa vocatus) excepto. etsi ad eorumdem præscripta exercitiorum formati similiter alij, & in his religiosi nonnulli. sed vt ad primum redeam caput, religio Catholica hic augetur quotidie: quamquā inuenti aliqui, qui mente obstinata maluerint sibi exilium consciscere. quorum locum suppleuere alij, qui venere e Saxonia, vt hic esse Catholicis libere liceret. Hæc in urbe generatim. Ad præcipua diœceseos oppida pagosq. anno superiore missus Sacerdos vnus

cum ampla potestate ab Episcopo, mirum quanta fecerit, tuleritq. Inueteratum hæreseos malum vix videbatur posse depelli: sed assiduitas, & Dei amor peruicit omnia. oppida quattuordecim satis magna: pagos, qui a viginti Præfectis administrãtur, amplius du centos, in veritatis viam reduxit. capita hominum censentur sexaginta duo millia. fine anni alia etiam oppida accessere: sacerdoti labor (etsi eum solabatur fructuũ vbertas) nõ paruus: et ipse ab aduersariorũ insidijs intutus, nec firma satis valetudine, quam attenuarat frigorum magnitudo. itaque mittebantur aliqui certis temporibus subsidio: vt erudiẽdis pueris & instruendis parochis confirmarent opus inceptũ: tanta prorsus felicitate, vt quæ regio biennio ante magnam partem hæresi erat infecta, nunc fere tota Catholica numeretur.

SPIRENSE. COLLEGIVM

VTROQVE anno nostrorum valetudo varia fuit. Superiore vnius sacerdotis mors consecuta. is fuit Pater Hadrianus Luffius, ea vir pietate, vt tribus ante mensibus, vltimum sibi diem instare præsenserit. itaque nihil habebat crebrius in ore: aiebatq. se qualibet pœna dignum fore, nisi, a Deo admonitus, compararet se ad quam sanctissime decedendum. finis eius vitæ ingratus nobis, amicis tristis, nec sine cura fuit. eruditi uiri, & Iurisconsulti fere omnes, plurimus etiã clerus ad funus, quod magna vis illustrabat cereorum, accessit: supremo omnes honore

nore desiderium viri carissimi testabantur. Explicatus per Quadragesimam generalis confessionis modus, & fructus, qua re ita incitatus auditor frequentissimus, vt vnius fere anni confessiones superiorum omnem annorum numerum excesserint. Anniuersaria hic supplicatio ex voto solet fieri quarta feria post Paschα. ea posteriore anno tanta pompa frequētiaq. celebrata est, vt omnium sit opinio, post conditam Spiram, nullam ei similem fuisse. Pridie eius dici cōcionator noster populum ad pietatem accenderat. eodem anno æstate media instituta ad Deum propitiandum bidui comprecatio. Ad ægrotos nunc admittimur sæpius, quam alias vmquam: quod officium ita nobis inuident hæretici, vt vel publicis sermonibus obtrectent. quod illis est frustra. iam enim aperuerunt oculos plerique, & ab inutilibus vtilia discernunt. Doctrinam quoque Christianam, quæ quinis in locis vrbe traditur, interturbare conati sunt, leuissimis scurris in puerorum agmen immissis. sed nihil vltra conatum. quin & Proepiscopus animaduertit in quemdam, qui Catechisten nostrum esset ausus mendacij arguere, & grauioribus verbis insectari. Idem, cognita Catechismi vtilitate, in proxima Synodo edixit parochis, vt festo quoque die pomeridianis horis, non pueris modo illum, sed adultis interpretentur: exempta omnibus per certos inquisitores, eius rei perficiendæ negligentia. Spiritualibus exercitatiōibus exerciti quattuordecim: quos inter, duo supremæ ædis Canonici: quorum alter sacerdos totum se in proximorum vtilitatem intendit. eorum,

qui

qui hæresim abiurarunt, non paruus numerus, nec exiguus fructus. aliqui se ad religiosorum familias adiunxere. facerent idem virgines non paucæ: sed, quod fere in his locis iacet monasticæ dignitas disciplinæ, in seuero quouis Cœnobio videntur esse: sacras obeuntes preces, & Diuina mysteria, assiduaq. tenerum corpus & assuetum mollibus, castigatione coercentes. fructus haud dubie Catechismi: ad quem puellæ venientes, solent singulis saltem mensibus vsurpare confessionem. Hæ, incedentes longo agmine per vrbem binæ, magna cum laude modestiæ non maiore Catholicos gaudio, quam hæreticos dolore perfundunt. atque horum quidem minor quotidie numerus nam & ex intima Heluetia, & e Moravia confluunt, qui malis olim imbuti opinionibus, tædio vitæ superioris meliorē ordiantur. nec mediocrē securim iniecit eorum perfidiæ, ab ijs deficiens cum vxore vir nobilis, Imperialis, vt dicitur, Cameræ assessor, qui his regionibus inter Caluinistas familiam ducebat. Ita vacillant multi: verum, vt se vtcumque sustineant, non veri dubitatio, sed inanis quidam metus, & vulgi existimatio facit. Nec vero reuocare se possunt tā cito, familiaritate sui similium implicati, simulq. inconstantiæ famam verentur. Gymnasium nostrum, licet obstante Senatus Decreto, quo peregrinos, qui ad scholas nostras ventitant, domi habere nefas, & puerorum numero, & adolescentium abundat. ex illis puer septuēnis, qui Catholico orbatus parente, ad hæreticorum scholas a matre adigebatur, laudabili pertinacia maluit victum ostiatim quærere, &

re,& pernoctare in porticibus, quam animam periculo exponere. non reliquit illū pupillorum pater: impulit Catholicum, eū vt domi susceptum, haberet filij loco. Similibus ingenijs constat Sodalitium Virginis. e quo non solum nouum decus ciuitati, sed etiā emolumentum religioni Christianæ. nam, a peccatorum fœditate, a periculosa iurisiurādi consuetudine, ab irreuerentia per loca sacra inambulandi, a Lutherianorum scholis abduxere permultos. Huius exemplo summus clericorum Decanus veterem Sodalitatem, quæ iamdiu erat collapsa, restituit, eamdemq. in eiusdem tutela Virginis collocauit. Eodem Canonicorum corpore sumptum præbente, institutum est Seminariolum duodecim adolescentium. Pauci illi quidem, sed maiore spe, quam pro numero, a nostris eruditur. Itum est ab illis in pagos: quamquam & a nostris multo sæpius: non contemnendo cum fructu. Alicubi Cœnobium virginum vtroque anno (nam an duo haud satis in promptu) ad pietatem instructum. Tertio ab vrbe lapide adiutæ mulieres aliquot veneficæ, cum plecterentur. etsi vna, quam in tormentis innocentem coegerat mentiri dolor, morti erepta. altera, quam improuidā natura, facilemq. inanibus induxerat mater, a dæmonis seruitio liberata. Percrebuerat fama, in alio quodam oppido, octauo hinc milliario fruticari hæresim, curionis nequitia. Eo missus sacerdos vnus, cui se socium addidit Canonicus, Collegij olim Germanici Romani alumnus: qui cum Vicario egerunt vt decollanti vineæ, vinitor subslitueretur melior, priore eiecto. Paræciæ etiam

duæ

duæ haud urbe procul, in Caluiniſtarũ confinio, haud tuto ſatis loco, orbatæ paſtoribus, a noſtris per aliquot menſes, magno earum bono, adminiſtratæ: donec illis de parochis prouiſum eſſet: ubi multa ad ſalutẽ paganorum inſtituta. reſtituta item multa ac refecta in ſacrario ſacraq ueſte, quæ illuuies. ſordes, ſitus corruperat, longi temporis incuria. ita, quo periculum exitio propius, allatæ opis utilitas opportunior fuit.

FVLDENSE. COLLEGIVM

SI QVIS EST FVLDAE fructus, maximam ſibi ex eo partem puerilis vindicat inſtitutio: ita facile tenera ætas puros imbibit mores: & corruptam ſenectam perincommode corrigas. neque tamen hoc nihili eſt: cum pueri, vt fert natura, futuri ſint ſenes, e quibus conſtat Reſpublica: qualis autẽ futura eorum ſenectus, ex ijs eluceat, quæ in pueritia gerũtur. Sic quemcumque colorem rudis imbuerit lana, difficile elues. Vt hinc ergo ducatur initium. Seminarium Gregory Tertij decimi liberalitate inſtitutum, iam excitatis nobilibus, vt natos ſuos, ſtudiorum cauſa nobis committant, optatos ſucceſſus habet. ij valde cupidi Catholicæ religionis: quorum videlicet nauitas multis in rebus apparet. ſubodorantur vbi ſint libri ſuſpecti: nec quiſquam fere eorũ manus effugit. quod ſi conſtat de periculo, igni traduntur. ipſi vero ita animorum curam gerunt, vt prope corporum obliuiſcantur. tres ex eo numero intra

menſem

mensem decessere. Ac ne imputes reliquis interitus metum, vt pote adolescentibus: tantus iniectus ardor pietatis, ut non quæ ratio longioris uitæ exquirant, sed quæ Christianæ mortis obeundæ. Notos, amicos, propinquos, & missis ad absentes litteris, & præsentes etiam coram, ad religionem hortantur. neque omnino operam perdunt. Vnus anno superiore in Vestphaliam reuocatus ad cernendam hereditatẽ, quæ ei obuenerat, vel cum, exempli causa, diebus festis duodecim millium conficit iter, vt rem diuinã audiat, ita tuetur Catholicos ritus in medio nationis praua ac peruersæ, vt inter eos tamquã lumen effulgeat. Sunt ex eorum, de quibus loquimur, cœtu, fratres germani tres opulenti ac nobiles, qui cum ductu nostrorum in rectam salutis viam sint ingressi, in eãdem, quantum in ipsis est, parentes reducere conantur. Hinc igitur eius Seminarij euecta fama, vicinas terras et proximas peruagata Prouincias, per Hassiã quoque celebratur, magna bonorum lætitia, & trepidatione hæreticorum: qui ne Papistica, vt loquũtur, prævaleat doctrina, omni contentione moliendum rati, inexhausto ciuitatum sumptu puerorum cõ tubernia excitantes, etiam ipsi versant dolium suum: sed vt in tenebris delitescant. Scholæ nostræ in his angustijs locorum & temporum, quadringentos eruditunt: et apparet labor. Tres in Benedictinorum ordinem adscripti. in patriam vnus profectus, integrã suam numerosamq. familiam, primum ad peccatorũ confessionem, deinde ad perceptionem Eucharistiæ perduxit: admirante parocho, qui id sæpius frustra

tentarat,

tentarat. Nec vero Catholici solum nobis filios eruditendos credunt, sed etiam aduersarij: ex eoq. fit, vt pueris recta sapientibus, nonnulli eorum parentes, damnatam vitam, quam vixere adhuc, prope excurso spatio mittant, & saltem in exitu se respiciat. Horum autem multi ita nobiscum. Vestra quidem nobis disciplina vtilis est, vita etiam, propter modestiam & affabilitatem sermonis, iucunda: absque ista vestra religione res esset, omnia nobis probarentur. Lutheriano cuidam eiusdem sectæ homines dissuadebant, ne filium ad nos mitteret, obtendentes ingenij tarditatem. at ille. Ego vero, vt nihil discat, satis habeo, respõdit, si Iesuitæ, meo in scholis moderentur filio, quem ipsis in ædibus regere non possum. Non absimile illud. Caluinista quidam, a cuius disciplina vir primarius filios ad nostram abduxerat, cum se relictum non ferens, grauiter reprehenderet eius consilium, nostramq. doctrinam, grauiore oratione percussus Est. ita enim vir nobilis. Quid opus est verbis, vbi res ipsæ loquuntur? Vno anno apud Iesuitas plus mei profecerunt pueri, quam apud te triennio integro. Alter ex hæreticorum auulsum gremio, suum nobis instituendum dedit: in omnibus, vt dicebat, præterquam in vno, in quo maxime oportuit. res aliter processit. veritas iu ueni allubuit. nec admonitis, obiurgationibusue cogi potuit a parentibus, vt Quadragesima vesceretur carnibus, quæ afferebantur in mensam. Quin & cum increparetur vocibus, & rideretur, quasi simularet Iesuitam. At ego, inquiens, & Iesuitas colo, & Iesuitam me fore profiteor, omne irridentium frigus calli-

da

da responsione discussit. Aliquot autem hæreticorum liberos nobis operam dare, vel illud argumento sit, quod eorum nonnemo de vltima classe diebus vetitis ientaculi causa lucanicam affert: cuius rei indignitatem alij non ferentes, farcimen suillum de manu cuiuscumque raptum, porcis obijciunt. Sed vt ab hæreticis tantisper abeamus. Puer e nostro gymnasio cum grauiter dysenteria laboraret, exigua spe vitæ, ipsa de cretoria nocte, cum ei assisteret quidam, & pium euol ueret libellum, eum ipse sibi concedi petijt: Vt hoc, inquit, quod mihi paulũ restat vitæ, precando traducam. legentem arctior complectitur somnus. experrecto melius est factum. nec ita multis post diebus ad gymnasium se refert incolumis, Beatissimæ Virgini gratiam habens. Doctrina Christiana traditur tribus locis in vrbe: atque in his, quodam in templo, quod multis iam annis hæreticorum improbitate desertũ, a textoribus (textorũ enim ante fuerat) transisse in araneorũ textrinam videbatur. ita oppleta erant omnia inanijs. allicit animos composita modulatio, qua & facilius pueri, & adulti libentius ediscunt res Christiano homini necessarias. cantus autem ita iucundus, & passim receptus, vt interdiu noctuq. vrbs fere omnis ageq. canentibus personet. Reperta est puella quadrimula, quæ hieme in nocturnis, vt assolet, conuentibus carmen illud decantans, admirabilem sibi faciat audientiam. idẽ de trimulo audiuimus puero: in cuius ætatula, nescias vtrum magis ames, tremulam in cantillando dulcicule inflexam voculam, an, tam multis reddendis verbis, memoriolam

sæpi-

sæpicule vacillantem. Laudant nostrum hoc institutũ boni: nec defuere qui hiberno tẽpore opportuna obtulerunt loca ad rigorem frigorum molliendum: ita vt viri etiam grandiore ætate conueniant. At nostri obtrectatores scilicet vituperant. Sed in caput suum. dispersere: primum, nummum argenteũ exactum iri a singulis capitibus mercedis loco: verũ hoc quoque mendacio celeriter deprehenso, illorum apparuit liuor: amor erga nos ciuium creuit: ita vt iam vulgo nihil sinistrum de nobis opinentur. Lucas Osiander non ignobilis in Germania hæreticus, commentus erat, idemq. vulgato libro distulerat, nostros, nescio quando, in publica supplicatione armatos prodisse, & tumultum concitasse. non passus est Prætor Senatusque Fuldensis, alieni licet a vera religione, hoc tam insigne mendacium crebrescere. falsum id esse publico testimonio firmarunt. Hæc igitur ferme cum pueris. alioqui, in plerisque cum ætate processit obstinatio. Est vbi obfirmatis animis occluserunt aures, ne audirent docentes. est vbi lapidibus exegerunt: vt pro miraculo sit, vno anno septemdecim ad confessionem communionemq. pertractos. sed & pauci conuersi. Vir Consularis, qui vt ciues retineret in Lutheris perfidia, multum temporis versandis Lutherianorum voluminibus dabat: Dei scilicet ductu, a considerata lectione ad dubitationem, ab hac ad inquisitionem ueri, ad ueri agnitionem ab inquisitione perductus, eo uenire uisus est, ut hæreticæ uanitati diffideret magis, quam amplecteretur Catholicam fidẽ. hanc sequi iubebat soliditas doctrinæ,

illos

illos deserere leuitatis suspicio uetabat. nec uelle hoc, nec nolle illud præcise poterat: pœnitebatq. modo superioris consilij, modo præsentis pœnitentiæ. sed breui exemit omnem deliberationē immissio morbi: quo dum afflictatur, uouit se transiturum ad ueram religionem, si conualescceret. conualuit, uotum soluit: secumq. transtulit familiam omnem, quasi eodem uoto obstrictam. eius exemplum secutus nobilis adolescens. Igitur, hic quidem, ut dixi, respiscunt non multi: sed suam ipsi paucitatem pietate compensant. Et hac aliquando ita delectatus est vir quidam, qui ex vltima Saxonia ad nos capiendi consilij venerat, vt valde confirmatus in fide discesserit. præcepta spiritualia tradita tribus & viginti, partim nobilibus, partim parochis, partim religiosis e Benedictinorum familia. atque ab his omnibus magna vtilitas & emendatio vitæ. Doctrinæ Christianæ vtilitas & vsus cum allectamento carminum, eo modo explicandæ, quo in vrbe, in pagis etiam cernitur amplius viginti. in his dum pueros iuxta & adultos instruunt nostri, operæ pretium videtur excurrere ad enarrandum quiddam, quod accidit, memoria dignum. Mos est in his pagis, vt sub ferias Pentecostes festo cultu, sollē niq. cærimonia præter prata & agros deferatur Eucharistia, confusa multitudine in Cælestiū laudes carmina dicente. Sacrum olim ferculum iuuentus composito agmine prosequebatur equis innecta. Iā: quoniam plerumque fit, siue vitio humani ingenij, siue temporis, vt præclara orsa degenerent: quod natum erat a studio pietatis, in ludicrum vertit. ita dum cur

sus alij, alijq. recursus ineuntur ab equitibus, & cientur simulacra pugnæ, non deductio videbatur sacræ pompæ, sed species decursionis. Enimuero indignum hoc erat nostris præsentibus, & iure coercendum. igitur vnus ex ijs opportune docet ac benigne, abstinendum tali tempore ab effuso illo cursu lasciuoq. certamine: vtendum potius prisca grauitate & modestia. nihil opus esse lusibus, cum seria aguntur. Pulchre admonere visus. paruerunt omnes extra vnum: cuius peruicacia exemplo alijs fuit. Dum enim nihilo secius, ab alijs auulsus, subditis calcaribus equum concitat, & in planiciem dirigit, non adeo multum prouectus, cunctis spectantibus corruit, equo in tibiam grauiter incumbente: quæ confracta cum esset, qui hoc viderunt, non eum magis miserari, quam increpare, & debitam esse pœnam dicere pertinaciæ suæ. nimirum a præsenti vnius dolore, in posterum ceteri sapientiores esse didicerunt.

COLLEGIVM. HEILIGENSTADIENSE.

INDVLGENTIAE beneficium, quod in gratiam nostræ Societatis concessit Romanus Pō tifex, in opportunam occasionem dilatum, nunc tandem accipi cœptum Kalēdis Ianuarijs. communicaue re primo anno trecenti. non exiguus numerus, vt inter hæreticos. exemplo fuere Principes Ichfeldiæ, viri, siue sacris initiati, siue laici: a quibus id quoque in posterum statutum, vt in nostra æde sub vna specie commu-

communionem sumant. Aucta pietas & multitudo eo die, quo recolitur memoria Christi Resurgentis. ad Paschalis agni cõuiuium, ablutis confessione animis, accessere nongenti. nonnulli præterea ad Catholicam fidem: eo maiore spe perseuerantiæ, quo longior consultatio fuit. vnus fere miraculo. Habebat hic filios dissimiles sui. ab his orabatur sæpe, vt verũ iter agnoscere: hoc magis instanter, quod nec admittebat eorum admonitus, nec vehementer repudiabat. cum magis magisq. urgeretur, tandem aliquando, an veri studio, an tædio precum, tres hebdomadas postulat causa deliberandi: quibus elapsis, cum se nihilo magis aperiret, & idem filij irriti, aut etiam irrisi orarent: Deus irrideri nescius eludentem hominem, & moras nectentem grauissimo percutit morbo: quo victus, per sequestrem sacerdotem Catholicæ religioni reconciliatus, quam prosit plerumque animo corporis infirmitas ostendit. Doctrinæ Christianæ explicandæ ratio, progressio, per vrbem, pagosq. frequentia eadem, quæ Fuldæ. hoc amplius. Quadragesima nullus dies intermissus. Laborabatur annona propter aquarum intemperiem. eius rei causa instituta bidui supplicatio, populusq. in concione ad Numẽ Pœnitentiæ Sacramento placandum impulsus. In pago quodam omnes virgines nudis incessere pedibus præportantes manibus facem. Nõ ingrata superis hominum obsecratio. consecuta cæli serenitas. nec parum laxauit annona. Rara hic templa, & cœnobitarum loca, virginum pæne nulla. Vsque adeo rabies Lutheriana dominata fere omnia vastauit. Ergo, nostrorum sedulitate instau-

rata, instructa, ornata parœcia. triũ Cœnobiorum restituta disciplina. Virgines duæ & viginti religiosam vitã professæ. Sacris diebus maioris hebdomadæ, qui in nosocomio erant, purgati omnes cõfessione, et Christi corpore refecti. Sodalitas sanctissimæ Virginis confirmata, cumq. Romana coniuncta ad eius exemplum Sodalitates aliæ duæ, Rosarij, & Sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ erant pæne intermortuæ, reuixerunt. Die Sanctissimi Sacramenti conspecta pompa, vbicumque futura admirabilis. Vt lætandum sit, Diuino ardore in tam frigida regione Christianorum pectora incaluisse. Sed tamen hic quoque nonnihil accidit, quod vt omnium oculos ad facti admirationem, ita multorum corda conuertisset ad Dei religionem, nisi a dæmone insiderentur. Quod haud fuerit longum paucis dissetere. Anus hic quædam erat, cui super hæresim pectus vrebat inuidia. Existimares paruum quidem, sed assiduum Catholicæ incrementum rei, accipi a femina in diminutionem non modo hæreseos, sed etiam suam. ex inuidia odium nascebatur. Hinc assiduæ illæ preces, vt Iesuitæ illius satores seminis, agris omnibus, oppidisq. quam longissime exterminarentur. hoc matutinum ei ac sollemne carmen, quo Deo supplicabat. addunt, dictitare solitam, nihil recusare se, quo minus ædes suæ totæ incenderentur, dum nostræ, quæ erãt illius propinquæ, eodem incendio conflagrarent. Vel per mea (dicebat) viscera adige gladium, dum vna mecum inimici etiam intercidãt. Felix iacet quicumque quos odit, premit. Hoc summum meum & maximum votum. Quod Deus, qui videt auditq. omnia,

nia quasi diuisisset, partem ipsi concessit, alteram non permisit. illatus enim nescio quo casu domi eius in arida stramēta ignis, ita auide ea comprehendit, vt summa celeritate ædes primum inuoluerit, pariq. violentia ad solum exusserit. Cum deinde, proxima quæque complexus, se oppido dissiparet, occurrendum visum est pesti, ne amplius serperet, spectata sæpius virtute consecrati agni in cerea imagine. sacrum ergo agnum, vt sacerdos vnus e nostris publica cærimonia in medias coniecit flammas: mirum dictu, sed non inusitatum: resedit subito ignis, & finis factus incendio. Et peperit hoc ipsis etiam hæreticis Diuini erga se beneficij memoriam, & aliquam Catholicæ religionis reuerentiam: a qua tamē adhuc, vt res est, animorum magis contentione, & dulcedine, vt loquuntur ipsi, libertatis, quam veritatis ignoratione dissentiunt.

PROFECTIO. HALBERSTADIUM & Erfurtum.

HALBERSTADIVM vetus quædā & nobilis ciuitas Saxoniæ est, Pheugarum olim appellatam quidam ferunt. huc missus sacerdos vnus tamquam ad natalem terram, valetudinis firmandæ, acceptus hospitio viri e Franciscanorum familia, qui solus ibi Catholicas reliquias tuetur. cōciones habuit, quas viri nobiles, ipsi etiam hæretici frequentarūt. Cœnobium vana nouorū dissolutum licentia temporum, prisca disciplina coercuit. Profectus deinde Magdeburgum (fumauit hic dudum funesta fornax,

ad quam contaminati hæreticorum spiritus, ex inferni lue veneni, inflante diabolo furiales conflauerunt Centurias suas) Huc igitur profectus, duo inspexit Monasteria, in veteriq. confirmanda sanctitate, magno vtrique adiumento fuit. Virgo quædam Deo sacra, iniuria Præfectorũ, quod hæresim abnueret, ex vrbe relegata, & ruri habitare iussa, cum in grauem incidisset morbũ, nostrum sacerdotem accersiit: qui ignotus ad eam obtentu cognationis admissus, audijt confitentem. Nobiles etiam virgines ob fidem Catholicã domo extorres, Halberstadium venerũt, quærentes exilij sedem. Hæ ab eodem institutæ, eũ casum æquo animo ferre, spemq. omnem in Deo locatam habere didicerunt. Vbi igitur in his terris operatus aliquid, & melius habere visus, quasi spiritus recolligendi, ex instituto Societatis, Heiligenstadium redit. nec longior ibi cõmoratio. a duobus Cœnobijs volant litteræ, quæ eum magno opere accersunt. redit. quattuor ad veram fidem traduxit. dissidentes reconciliauit. non paucis Dominicum corpus impertijt. loca etiam remotiora cum aliquo fructu lustrauit. complurium mortalium animos periculo mortis exemit. nec sine periculo. cui scilicet plurimorũ odium extremum pæne exitium tulit. tam multæ ei insidiæ struebantur.

ERFVRTVM (Bicurgium nonnulli fuisse affirmant) perampla est vrbs Germaniæ, Turingiæ caput: vbi longæ velut tabis senio ita afflicta est res Christiana, vt maiore parte meliorẽ vincente, labet: et Catholici ipsi, quod fit in perparuo grege, numerentur.

rentur. Moguntino paret Episcopo: qui duos e nostris obtinuit, vt siquid possent, vtilitatis efferrent. Ipsius Episcopi vicem gerebat uir pietate doctrinaq. excellens, & nostræ Societatis cum primis amans Nicolaus Elgardius: de cuius obitu suo tempore red demus. Cum igitur huc nostri venissent, vterque ita institit operi, vt nullum laboris genus effugerent. frequentes varijs in locis ingenti Catholicorum voluptate conciones habitæ. tempestiuis disputationibus confutati aduersarij. rem diuinam faciebant in templo principe. huc se ferebant interdum hæretici oculis curiosis, &, quod plerumque est consequens, animo maleuolo. Hic accidit aliquando, vt cum sacerdos sacro adspergens rore lustraret præsentes, quod fit sacri ipsius initio, permisosq. hæreticos pura aqua contigisset: ipsi, metuentes credo piaculum, eijcerēt se e templo præcipiti fuga, quasi profanos arcuisset. nec victi tamen quiescunt. dolis pugnant. Hic videlicet composita a Poetis non diligentissimis Moguntina fabula. tragico exordio, ridendo fine. de qua supra diximus. alias piget referre, quæ, non æque apta ad credendum, vt ad fingendum materia, ipso statim initio explosæ. Nec tamen propterea nostrum inceptum distinuit inuidia. penetrant Saxoniã. Ad Albin (fluuius is est Germaniæ celeberrimus, ab Hercynia Silua ortus: undecim amnium auctu in mare decurrit) vnus iter conuertit. flexitq. ad Cœnobium virginũ: eæ sũt circiter quadraginta: sed quod est miserũ ac miserandum, magnam partem Luthere infectæ. Antistita auitam retinet fidem. perfidum Ministrum domi

alere, et in templo perpeti coguntur. Ductus sacerdos ad penetralē quemdam recessum domus, vbi peruigili lumine sacrosancta custoditur Eucharistia, ita occulte, vt fallat hæreticos omnia explorantes. opportune vero cecidit in magna rerum sacrarum ignoratione, vt Cœnobij Præses multis stipata virginibus, in vario sermone quæreret. Romanus Pontifex, bellua ne esset, vt opinio est in illis locis, & cuiusmodi, an hominis speciem haberet. Impietatem spectate imperitiāq. stultorū. obcæcati maleuolentia, vt simplicium mentes illudant, ea confingere non verentur, quorum vanitatem deprehendas risu, falsitatem irrisu reprehendas. Ad ea cū respōdisset noster, et satis interrogationi feciſſet, aliaq. addidisset in eam sententiam, vt omnem tolleret dubitationem: quod non fuit factu difficile: nimium quantum gaudium virginibus, & ad veram complectendam religionem robur accessit. Atque hæc priore anno. reditum est etiam altero, pridie Nonas Martias. et spargi statim Diuini verbi semen inceptum. Ipso die Paschæ tanta ad concionem frequentia, quantā meminisse vmquam nō videntur. reuocata consuetudo pæne extincta, pias suscipiendi peregrinationes Paschali tempore: pro defunctis sexta feria sibi indicendæ inediæ: fundendarum precū ad Sanctorum altaria. Templum hic est Sancti Benedicti inclytum per indigenas aduenasq. Mons Sancti Petri vocatur. hic, priusquam illucesceret sacer Christo Ascendenti dies, e maxima æde instituta est supplicatio. affluxere tota ex vrbe Catholici, hæreticiq. nonnulli. Tum noster ex Euangelica lectione

sermonem

sermonem arripit de Christi clarificatione, & inuocatione Sanctorum. disseruit ampliter. auditus attente. erexit animos Catholicorum, abiecit hæreticos, itaq. afflixit, vt multis posthea diebus ea tantum de re in circulis suis dissertarent. At capitales Ministri nutantes suos fulcire, palam & frequenter admonere, ne mellitis verborum globulis se inescari sinant. non eundum ad Catholicorum templum. non audiendum illum, quicumque is est (Iesuitam nesciri volebant) qui phalerata magis vtitur, quam vera sapientia. utrumque uitandum: illud, ut Sirenum scopulum, hūc ut Circen uenenata pocula miscentem. Nimirum se ac sui similes spectabat, cum illa gganniret. Sed Catholici magis incensi: ut candens ignis, modica aqua super iniecta. Sacrificijs interfunt utroque genu nixi. uberes præ lætitia lacrimas fundunt indices pietatis. quod ad excitandā testandamq. pertineat religionem, nihil omittūt. quorū unus fontico correptus morbo, incertus uitæ, cum se ad cælestem medicinam parat, paulatim leuari, deinde penitus sanari uisus, animi, iuxtaq. corporis salubritate percepta. ex hoc autem facile constabit, quā rari nantes in tam uasto gurgite appareant: quod eo die, quo anniuersario ritu celebratur sacrosanctæ Eucharistiæ institutio, cum interuiros feminasq. quattuordecim Diuini epuli sint facti participes, pro maximo numero censeatur. monebitur autem uulgus Principum exemplo. nam, ut rerum bonarum spissa principia, etsi spem incertam, nō tamen inanem fouemus, fore, Deo bene iuuante, ut futura præsentibus meliora succedant. quamquam

institu-

institutum cursum nonnihil retardauit obitus Nicolai Elgardij, penes quem erat, secundum Episcopum Ecclesiæ regimen. Is multis ante annis hoc unum agebat, hoc habebat in uotis, ut Societatem in hoc oppido collocaret. quam etiam, eorum quæ hic possidebat, scripsit heredem. nostrorum quidem illi studiũ in supremis officijs non defuit. Cum hic fere annũ posuissent, reuocati a Patre Prouinciali, multas per urbes oppidaq. addicta hæreticorum superstitionibus iter habuerunt. cum interea darent operam procurationi animarum. sacerdos Sacramenta ministrabat. socius Catechismum explicabat. magna in rusticis, quos in itinere tractabant, ferunt inuenisse argumẽta pietatis. Cum, ut hoc tangatur unum, liturgiam audiant, a sacerdotis introitu usque ad missionem populi, supplicibus manibus, & (quod in his locis, ubi omnia occupauit hæresis, uix obseruatur, cũ Eucharistiam pro uertice tendit Sacerdos) genuflexi Deũ uenerentur.

MOLSEMIENSE. COLLEGIVM

BELLVM ac tumultus inimicus otio urbano, nostrorum operam in externa loca distraxit. Descripserunt præcipua oppida huius diœceseos, et fere in singula bini cum pallio & baculo profecti. in eorum plerisque fides Catholica vel adoleuit, vel reuiruit. etsi in vrbe suus quoque extitit fructus. Duo viri magni nominis, sacris meditationibus eruditi. Argentinenses inter, nostrosq. magna religionis cõmercia

mercia. et quidem duo apud illos visuntur Collegia virginum, tanta obseruatione pietatis ac disciplinæ: vt earum precibus meritisq. videãtur stare parietes vrbis, in tam præcipiti rerum inclinatione. Haganoa oppidum est in Alsaciæ finibus: illinc, non paruo locorum interuallo, viri honesti complures paruas ad nos thecas mittunt argenteas, vt in illas includantur particulæ ceræ consecratæ: quam vtilem arbitrantur (nec vana fides) ad veneficarum assultus, ad terrores nocturnos, ad morbos denique propulsandos. Scholastici, vt in hac difficultate & confusione temporum, pauci quidem, sed animi viuidi. Puer vnus non metu virgarum, nec longo cruciatu adduci vmquam potuit, vt carnibus alieno tempore vesceretur. alter cum reuertisset in patriam, auctor fuit, vt sacellum domesticum, quod abolitum erat obliuione hominũ & contemptu, rite instauratum, veterem veneration nem haberet. Congregatio Partheniâ, vt alijs retro annis, his quoque duobus fuit Christiani officij diligentissima. Sed iam venio ad posteriorem annum & fructus externos. Pons Sarnix, Sabrurgũ hodie indigitãt, vrbs est Ducis Lotaringij. Ipse Dux, vt lapsam hic erigeret fidem, quod in alijs fecit oppidis ditionis suæ, petijt e nostris aliquot sibi concedi. concessi duo Quadragesimæ ieiunijs: quorum vnus quater hebdomada concionando, Catholicæ alter doctrinæ rudimẽta quotidie exponendo, suam operam quamplurimis nauarunt. Perampla quædam sacrarum virginum familia, quæ aliqua lababat ex parte, constabilita. anxia multorum pectora, curis soluta. Erat Rinauiæ

(hoc

(hoc est alterius oppidi nomen) spatiosa domus & capax: sed per triennium, infestantibus eam lemuribus, vacua & vasta. Huc, Episcopi ipsius ciuiumq. rogatu, duo missi e nostris, reperiunt, inquirendo a curione oppidani q. qui ceteros ætate anteibant, singulis noctibus & interdiu nonnumquam clara luce conspici laruam ignitæ facis instar celeriter discurrentem. Dabatur hoc famæ, speciem referre œconomi defuncti: dispensatorem credo Principis in illis locis fuisse. addebant plerique, hunc, quisquis erat, principio, quasi id studio sibi haberet, vt proferret horti fines, vicinorum terminos emouisse, eosq. vbi Senatus reposuisset, id facere desisse: sed noctu pererrare domum quiritando. Suspicati sunt cruciari hominis animam, & viuorum suffragia postulare. Itaque aram in media domo statuunt, ceteram lustrali aqua respergunt. Sacerdos cubiculum, vbi intendi tenebris eiulatio, fidēter ingressus, quicquid res ferret opperiri, soc ijs in vicino manentibus. et quidem prima nocte, quale vbique silentium: media, magno fragore concuti postes, & umbra intrare ædes audita, sed præter solitum, sine gemitu. nec penetrat se in conclaue, ubi sacerdos erat intentus. hoc animaduerso, preces pro mortuorum animis fundi solitas, rite persoluunt. cum prima luce Prætor Senatusq. fit certior: cōuenit confusa multitudo prælucentibus pueris. lustratur religiose domus tota: nec omittuntur penetralia. expiandi cærimonia, quā Rituales docent, adhibita. fit a nostro pro defuncti anima. nox insequēs pacata et silēs. postridie a templo ad easdem ædes indicitur supplicatio

catio. concio habetur tempori ac rei peraccommoda. docetur populus cur hæc a Deo interdum permittantur. atque ita demum nostri, liberatæ domus Dei beneficio titulum tulerunt: et actæ gratiæ Episcopo a Senatu: ab Episcopo nobis. apud quem cum res adhuc recenti memoria, vt fit, varijs iactaretur sermonibus: quidam, cui ab ætate & moribus fides, ita loqui orsus. Et hoc quidem alijs affirmantibus credo: illud affirmare alijs posum. Adolescens in vicino pago custodiebam equorum armentum. vna noctium, nouem viri feminæq. quos sciebã præmortuos (facile enim vnumquemque agnoui ex aspectu) mihi se obtulerunt, quasi multo flammante igne collucentes. oberrabant circa cuiusdam agri terminos. Cum stetissem trepidus admirationis & metus, ad me adeunt, amicis dictis animũ firmant. Tũ: Nos (inquit vnus, qui pro cunctis loquebatur) quod cum essemus inter vos, vltra proximorum limites insiluimus, reulsis agri terminis, hac iusta afficimur pœna. elucere tum maxime visus ignis: et animum subijt misericordia. Hac vt liberemur aliquãdo pergit dicere, per te, si qua est nostri miseratio, per Deum vltorem scelerum, obsecramus: age cum magistratu, vt in veteri confinio reponantur. Da nobis fidem, facturum. Cum Cunctarer, nec vltra manũ porrigerem, vstionẽ timens. Contingе iam dexteram, inquit: impune erit: tu modo aude. Tandẽ ego dissimulato magis, quam finito metu non ita multum protenta manu, fidem do, hausturum mandata. nec calidum vaporem sensi. nigra tantum fauilla manus aspersa.

quam

quam cum subinde aspicerẽ & ostentarẽ nigricantem: quippe lucem dabat eorum flamma accensa: quasi ad id responderet, quod quærebam mente, non voce, quã formido consumpserat. Istum colorem, excipit, non elues prius quã termini restituantur. responsum non fefellit euentus. terminis enim suo redditis loco, deleta fuligo statim euanuit, id cum audisset Episcopus, eum ipsum misit ad nostros, qui ea, quæ supra memorauimus, sibi accidisse narrauit. Digna res visa est, quã, etsi ea nihil ad nos pertinuit, vt nonnulla eius extaret memoria, hisce Annalibus committeremus. Nũc, quoniam ad aliquod tempus Melsemio cessimus, repetendum hoc paucis videtur, vt non tantum casus euẽtusq. rei, sed ratio etiam causæq. noscantur. Iam diu hæretici bellum in Catholicos moliebantur. vires iungebant & robora exercitus: occulta agitabant consilia. nec fefellere Episcopum hostium secreta rimantem. ergo cum eam molem prouideret impendentem, nec satis virium ad inhibendam: satis putabat futurum, si, vt minima de malis, studeret vt quam minimam casu ruinam daret. nec tamen interea non se ad defensionem parabat. Itaque, quoniam nulla est tuta ciuitas, quãuis opum valida ac virium, nisi Deus tuetur: ad eum propitiandum erectus, vt pro meliore staret causa, supplicationem decernit: quam ipse, licet longa & difficili via, ægro corpore, nec molli cælo prosecutus, omnes incitauit: cũ turpe duceret quisque, non sequi Principis exemplum. Missis deinde quoquo versum certis viris, vt periclitaretur animos multorum, cum sibi nihil esse spei in alienis opibus intelligeret,

telligeret, suas vires vtcumque intendit: arces præsidijs munit, stationibus interdiu, excubitoribus noctu dispositis: certas cuique partes ad custodiam vrbis attribuit. nullum omittit magnanimi Ducis & sapientissimi Principis officium. angebat ingentis animi virum de nostris solicitudo: neque eos obiectare in discrimen ullum volebat. monet commodum, uti iuniores periculo subtrahantur: etsi tunc quidem scholas claudendas non putabat, ne aut hostibus irrisui, aut ciuibus terrori essemus. nobili interim uiro, quo utebatur arcanorum arbitro, mandat, ut in omnem partem animo excubet, captet omnes rumores et momenta temporum: ne quid improuiso nostris accidat mali. auctor deinde ijsdem fuit, ut sacram omnem supellectilem sanctasq. reliquias eo transferrent, ubi in tutissimo essent: ne uncas harpyiæ immitterent manus, & fœdarent contactu. maxime autem timebat Cruci inter ceteras memorandæ. nec sine causa: est enim artificio iuxta, æuoq. uenerabilis. longa pedes duodecim: lamellis tota argenteis & inauratis, quibus incisæ minutæ effigies pulcherrimæ, uarijsq. gemmis magni pretij obtegitur. multæ intus conditæ Sanctorum reliquiæ putantur. eam ferunt a Carolo, cui cognomen Magno, in reditu ab urbe Hierosolymis, ipsius uxori dono datam. Hæc nunc in nostra uisitur æde, summaq. religione celebratur. Huic igitur Cruci maxime timebat. quã tamẽ, si, ut seponeretur, iuberet tolli, uerebatur consternationem animorum uulgi: quasi iam nihil spei superesset, sublato præsidio, et periculo ingruente. His rebus ita compositis,

hinc

Hinc Gallus, Bullonio & Collineo ducibus per Tabernensem agrum populabūdus, illinc Germanus eques facto agmine irruit: augebat tumultum Heluetius hastatus sub signis. ab his omnibus copijs Alsatiam peti constabat: ut ibi haberetur militum delectus. Hisce in angustijs cum diuersas ad curas traheretur Episcopus: ut erat ad unam salutem ciuium totus intentus, plura consilio, quam ui gerens, per legatos conficit cum ducibus hostium, ut sine periculo ingressi, maturent iter per suos fines sine ullo maleficio. promissum id est. sed prorsus hæretica fide. sesqui mensem fulgentes armis uirisq. copiæ, hinc denso agmine, illinc rara manu in ijs locis hæserunt. interea diripiuntur, spoliantur, uastantur omnia, nulla habita iuris humani, nulla Diuini reuerentia. disturbantur tecta, euertuntur aggeres villarum, exhauriuntur horrea, cellæ exinaniuntur: vinum bibitur, uomitur, effunditur: trahuntur graues prædæ, abiguntur armentorum greges, uinciuntur corpora Dominorum, præda e locis omnibus egeritur, moxq. faces in uacuas domos & inania templa iactantur: omnia in speciem iusti belli. Tum magna calamitate propinqua, & facie præsentis periculi nihil territus Princeps, nihil de Catholica constantia remittit, nihil de solita fiducia aduersus Deum. ad iniquas aut turpes conditiones numquam descendit. Semel ad quadraginta millia in Molsemiense irrumpunt: et belli nubes despectare uidebatur urbem, nec situ satis, nec manu munitam. Instigabat furias Collegium Iesuitarum: contra quos odium uetus, non nisi illorum sanguine

satian-

satiandum. quamobrem plurimæ amicorũ ad nostros litteræ, ad se inuitantium, hortantium honestam fugam. at illi, ne hac tempestate infracti deesse viderentur ciuitati in rebus incertis, communem cum ciuibus casum subire malebãt. Gratiæ eis pro hac amoris magnitudine a magistratu actæ: sed consultius visum, vt cederent: ne suspicati hostes se contemni, eorum commoratione acrius incenderentur. Seruiendũ igitur fuit tempori, & necessitati parendum. et adiuuit consilium Deus. nam cum concessissent, duobus tantum qui seruarent domi, relictis, & omnia circumcirca ab aduersarijs tenerentur, ad vnum omnes, quo contendebant, peruenerunt. Duo cum Badena iter facerent, accepti humanissime a Marchione, suoq. cisio a duobus e suo comitatu honoratis viris, Spirã, quo properabant, deduci iussi. nostris digressis, nouisq. accitis præsidijs, magnus animus ciuitati additus, & timor imminutus: et tanto exercitui tam exiguam vrbem tamq. inualidam inuadendi, a Deo videlicet vel voluntas non data est, vel potestas erepta. Augebat spem ciuium vetus quædam opinio iam inde a primis ducta temporibus, & posterorum deinceps omnium firmata consensu, deuotam atque oblatam muneri fuisse vrbem Beatæ Virgini, eiusq. potissimum in omne tempus præsidio tutam stetisse. Addita rei dicitur fides viso vnius, cui conspecta Virgo affirmauit, donum sibi cordi esse, & patrocinium receptæ in clientelam vrbis perpetuum præstituram. nec elusa tẽpore fides. vrbs ipsa in omni bellorum libidine semper intacta. Memorant visam superioribus sæculis cir

cumducto filo mœnia cingentem, & veluti describentem limitem, intra quem nulli aduersarij pedem ferrent. itemq. Georgium, vnum e cœlestibus tutelarem obequitantem muris, quasi propugnator agitaret custodiam. nec desunt, qui nunc quoque vidisse ferunt Dei Matrem cădenti indutam amictu, peruigili cura mœnia obeuntem. Sed his atque alijs, quæ vulgo serebantur, re non inquisita, neque publicam tribuit sua auctoritate, neque priuatam abrogauit Senatus fidē: nec tale quippiam abnuens, nec palam affirmans. Illa certiora. Mulier quædam Argentinensis, ingenio, moribus, religione, inter claras magis, quam inter bonas, cum Molsemio, antequam obsideretur die decimoquarto, discederet, vix muros egressa, eos respexit, brachioq. e rheda conuerso, miseranti simili, vt prope abesset a lacrimis, dixit. Salue & vale extremum mihi Molsemium. numquam te posthac videbo. Cum quæreretur, quid hoc effati esset: Quia, inquit, paucis post diebus cingetur obsidione, & expugnabitur ab hostibus, & in cinere deflagratæ vrbis nihil apparebit præter solitudinem. Hæc vatis in modum dictitans abibat. Aesopea vates, quæ falsum malum caneret alijs, verum suum ipsa non videret. Per eos enim ipsos dies, quos vaticinabatur, Argentinæ, domus filiæ quam habebat, fortuito incendio consumpta est. Huc pertinet & illud: quod cum instaret bellum, vicinus pagus, Argentinensium parens potestati et perfidiæ, petulanter insultabat Molsemiensibus: quod tutus ipse ab omni incursu beneficio litterarum, quas a Dominis acceperat: at Molsemiensibus intuta

omnia

omnia & infida. Sed mutata est ratio. direptus pagus hac credulitate deceptus: eo atrocius, quod nihil vsquam prouisum: et fiducia pacis, belli malo circumuentus: Molsemiensium vrbs timuit potius arma, quã sensit. Ciues porro nostris absentibus res nostras omnes eximias habuerunt. neque enim passi intrari domum a milite, nec hortum a pecore depasci: ipsa licet in vrbe, propter receptam hominum pecudumq. multitudinem, confusa omnia ac permista essent. Discesserunt legiones extremo Augusto. mox reddita securitate, redeuntes nostri magna omnium gratulatione excepti. decreta votiua supplicatio, vt gratiæ Deo agerentur. Episcopus vicina loca sacra, quæ profanus violauerat furor, instaurari, atque iterum dedicari iussit: tum æstimata damna, quantum quisque passus esset, suo sumptu refecit. bonus omnino pastor, et Princeps, qui priuatorum vtilitati consuluit, nec quicquã voluit de publica dignitate deperdi.

COLLEGIVM. CONFLVENtinum.

DVO priore anno, unus altero, excesserunt e vita. ex illis sacerdos, qui quod quintum iam & vigesimum annum in hoc saxeto elaborarat, in summis temporibus Diuino munere suum sibi præsagisse exitum videtur. itaque ad eum se multis ante diebus auide comparabat. Supremo die, sacris, quibus iamdudum propter dolorem capitis abstinuerat, cum se extremum facere diceret, operatus est. tum externos,

domesticosq. comiter consalutans, valere singulos iussit. adiecit, non dubitare se, quin postero die terrori multis & spectaculo foret. ita factum: inter cœnandũ apoplexia correptus, paucis post horis extinctus, elatus postridie, vti prædixerat, admirationi multis, exẽplo omnibus fuit: contemplantibus quam sit fragilis vita humana, quæ tam breui frangitur. Posteriore anno Patrem Bernardum Vinandiũ amisimus. eius exequias cohonestarũt viri feminæq. eo amoris doloriſq. certamine, vt facile appareret, communem patrem lugeri. eodem anno vbi auditum est de morte Patris Michaelis Lauretani, qui Romæ primus Collegij Germanici Rector, & quasi exemplar regendi fuit, non pauci eius alumni, qui hinc non procul absunt, Canonici parochiue, quanta maxima potuerunt declaratione desiderij, & officij significatione, honorarium eius funus sollemni ritu celebrarunt. Archiepiscopus fundator noster pro vetere sua erga nos voluntate templi ornatum auxit, binas campanas donauit sacrauitq. sed & adiectum eidem templo decus incomparabile. Id est, peruetus & multis nobilitatum miraculis simulacrum Deiparæ Virginis, cuius domicilium trecẽtos ante annos, in ea, quã colimus æde. Hoc ipsũ cum Brandeburgicus Albertus nefarium bellum tẽplis sacrisq. imaginibus indicit, in præterfluentem Lagonũ proijcitur: sed mulier, quæ cum fuisset capta pedibus, huc confugiens receperat gressum, beneficij memor, clam extractum, domi honorifice asseruauit: moriens, marito ex Senatorio ordine, licet hæretico, in extremis mandatis diligenter commendat. hoc

etiam

etiam ipse, vxoris respectu, an Dei instinctu attrectare non ausus, in pretio habuit. non sine præmio. tres eius filij ad Catholicam religionem se aggregarunt. hi, quemadmodum nostrorum olim disciplina, ita nūc cōsilio vtuntur. duo sacerdotio præditi: tertius in Galliam a patre missus ad hæreticorum castra: mutato itinere consilioq. vt sub Parmensium Duce mercatur, in Belgium profectus. Hoc igitur decus & tutamen tēplo additum. ex quo effectum, vt maior quam antea fructus manarit in externos. Duo Canonici e primoribus exercitiorum ope ad cæliorem vitam e liberiore conuersi. Duo ad Catholici officij terminos & obsequium Romanum erga Pontificem, quod exuerant. Hebræus adolescens e perfidiæ tenebris ad lucē Christianam. Mulierculæ aliquot e lustrorum cæno ad pudicitiam. Rosariorum, agnorumq. cælestium in consecrata cera, & aquæ piacularis vsus, quam antea celebrior. Tradita multis in locis fidei elementa. e qua mercatura hæc appendix: vel quod excitati parochi, vel quod plerique salutaris impressione signi Catholicam fidem profiteri, quod pudebat olim, hoc tempore gloriantur. Vsus Sacramentorum frequentior. Totius vitæ noxas eluerunt vno anno duodetriginta. Scholastici sexaginta. Magna enim pietas adolescentiū, præsertim e Sodalitio Virginis. religiosam vitam aliquot ex ijs amplexi: multo plures meditantur. Misericordiæ opera nō neglecta. instauratum nosocomiū æuo fluxum: longumq. ad tempus ægrotorum pauperum necessitati subuentum. frequentatus carcer, & adiuti qui capite damnabantur. Tres superiore anno,

posteriore quattuor: quibus omnibus ab hæresi ad fidem traductis, breue mortis supplicium sempiternæ vitæ principium tulit.

SEDES. PADERBORNENSIS

ETSI inter Paderbornenses videtur conuenisse, vt ne nobis se tractandos committant: ita nos fere omnes fugitant & auersantur: fructus tamen in confitentibus communicantibusq. fuit minime spernendus. Generales confessiones exceptæ ad centum. In Catholicam religionem nonnulli adscripti. Virgo Deo dicata e diaboli stutelis erepta. Multi e concubinarum contubernio extracti. Confirmati sacro oleo ab Episcopo Harlemensi (quod quadragesimum ante annum in hac vrbe erat fieri desitum) pæne ducenti. Concio rara & infrequens. Accidit tamen aliquando, vt cum in ea noster inuectus esset in temeritatem frequenter iurãtium, & adiunxisset cautionem: moxq. ij pauci, qui interfuerant, retulißent quæ audierant Consulibus, nec satis expresse: eorum rogatu eadem concio fuerit iterãda: quæ ita probata est, vt temerarij iurisiurandi remedia descripta domum retulerint, quo facilius meminissent. Ergo hæc de ciuibus permistim. De discipulis vero illa. Ii nunc circiter quadringenti. libros hæreticos inflammant. eos, quorum vtuntur hospitio (sunt enim plerique alienigenæ) ad pietatem incendunt. De sacro Eucharistiæ ferculo sollemni pompa per vrbem circumferendo cum agitaretur, vix quisquam repertus e populo (paucis exceptis

Eccle-

Ecclesiasticis) qui saltem annueret : quo magis nostri, vt rem claram expectatamq. facerent, pompam instruendam curarunt ornatu comitatuq. puerorum perillustri. ij fuere ducenti. quorum aliqui miro ordine præferebant Christi excessus & cruciatus insignia. agmen claudebat Musicorum chorus & Tubicinum, ea celebritate & magnificentia, &, quod caput fuit, specie pietatis, vt e multorum oculis, licet inuitorum, lacrimæ excuterentur. Ceterum aliquid accessit ad nostram rem domesticam. Decanus quidē Monasterienſis, idemq. Paderbornensis Canonicus præter quattuordecim talerorum millia Monasterienſi legata Collegio mox futuro, nonnullos nobis annuos fructus, omnemq. eam supellectilem, quam in hac vrbe habebat, moriens testamento reliquit.

PROVINCIA BELGICA

IN BELGIO *socij ducenti sexaginta tres, per tredecim veluti stationes dispositi. earum nomina hæc. Collegium Louanienſe. Antuerpienſe. Audomarenſe. Duacenſe. Leodienſe. Traiectenſe. Burgenſe. Iprenſe. Domus Probationis Tornacenſis. Reſidentia Valencenenſis. Cortracenſis. Gandauenſis. Montenſis. His acceſſit nuper Miſſio Caſtrenſis. Et quoniam longum ſit præfinite affirmare quot in quaque, hoc præſertim duorum ſpatio annorum, fuerint ſtatione commorati: cautius erit, ſuum cuiuſque numerum ſuis locis reponere. Ceterum octo amiſſi morte. Admiſſi in Societatem quadraginta ſex.*

COLLEGIVM. LOVANIENSE cum Miſſione Caſtrenſi.

LOVANII *fuere duo & viginti. Bipartita Deiparæ Virginis Sodalitas, Maiorum videlicet, in quibus cenſentur multi inſignes eruditione, atque auctoritate præſtantes: & Minorum, in quibus externorum trium Collegiorum alumni ſtudioſi Philoſophiæ: etſi recens, eſt tamen ita valida, vt alij nulli fortaſſe concedat. adeo ex ijs quæ nunc conſpiciuntur, apparent ſemina futuri profectus. Spiritua-*

libus

libus commẽtationibus exercitati complures, atque eorum e numero quidam ex religiosorum ordinibus ad nos a suis moderatoribus missi. Desertores ali qui religionum post incestas aliquot annorum nuptias, eq. ijs natos nothos, ad meliorem mentẽ, prioremq. statum reducti. reuocati ab hæresi plures, a voluntaria morte nonnulli. constituta inter inimicos concordia. Catechismi explicatio tribus in locis suscepta. Superioris vitæ omnis labe expiati triginta. actum cum ijs, qui capitis damnati ducebantur ad supplicium, vt pie morerentur. Vni eorum, quoniam videbatur in hæresi obfirmatior, impetrata tridui dilatio: qui tandem extremo ipso tempore, vicinus cum esset patibulo, Catholicam fidem, hæretica abiurata perfidia, professus, alligatumq. habens ad digitum orbiculum piacularem, IESV MARIA suppliciter ingeminans, spiritum efflauit. In Christi Natalitijs atque Exaltationis ab inferis, priore anno in Aulã e nostris missi duo, vt essent a cõfessionibus. nec nihil profectum. Duæ puellæ abductæ a quæstu, quem corpore faciebant. a pellice vnus, quæ multorum eum fecerat liberorum patrem, auulsus. Quattuor Ecclesiæ redditi. Cuidam Diuinam desperanti misericordiam, restemq. cogitanti, spes melior illuxit, et vitæ via ab luce Catholicæ confessionis. Versabatur cum iuuene matrona non ignobilis, magis etiam familiariter, quam pudicam decebat. hanc tam insignem iniuriam illius propinqui minime se laturos clamitabant: iamq. res ad vulnera spectabat & cædem: nisi nostrorum admonitu mulier susceptã con-

suetudinem

ſuetudinem cum legitimo coniugio mutaſſet. Quædã denique anus cum octo iam annos & occultis inſidijs, & apertis aſſultibus infeſtum habuiſſet hoſtem humani generis: victo tandem malis mulicbri pauore, cum perpurgatum confeſſione animum ſpe firmaſſet Diuini præſidij potiendæq victoriæ, venientem ad ſe aduerſarium hominis ſpecie, coſpiritu ac fiducia aggreſſa eſt, vt ad terram afflixerit proſtratumq. inſtiterit pedibus, diuq. preſſerit immane monſtrum: timidum vbi faciem oſtentes: vbi terga verteris, audax: neque elabi paſſa ſit, niſi fide data, num quam in poſterum moleſtum fore: eamq etiam nunc, Deo annuente, perfidioſus licet ac fandi fictor pudore ne, an promiſſi conſtantia ſeruat. Multa ſimiliter ijs temporibus commodo animarum, & rei Catholicæ geſta: quæ nec parua fuerunt, nec Sereniſſimo Duci Parmẽſium ignota. eo igitur expetente inſtituta Miſſio Caſtrenſis, vt ita dicam, ſtationaria: quæ vt dirigeretur ad normam noſtrarum legum, operam dedit ſuo aduentu Pater Prouincialis, pro ea, qua iamdiu multum poteſt gratia apud Principem perinde humanitate ac fortitudine pollentem. Miſſi igitur ad exercitum Octobri extremo ſacerdotes quinque, qui ita inter ſe habent munia diſtributa. Vnus nobilitati, & coborti Aulicæ ſtudet. Quo in munere proceres aliquot allexit ad generalem confeſſionem, eorumq. exemplo ad idem permouit milites gregarios: firmauit pacẽ inter adoleſcentes duos illuſtres, abdicato penitus aleæ luſu, qui eos alienauerat: ſuſtulit ſuperſtitiones plurimas: ægros ſauciosq. in noſocomijs audi-

uit

uit consitentes. In diuersis militum stationibus sacerdotes alij strenue occupantur: et in Anglicæ quidem Hibernæq. nationis, id in primis effectum, vt certo quodam signo æris campani salutationis Angelicæ admoneantur. sublatum præterea inter primores peracre dissidium. bona pars ad confessionem sacramq. communionem adducta: sic, vt vno die aliquando plus centum Diuinorum mysteriorum sint facti participes. septem ab iniusta criminis nota, ac proinde a suspendio liberati. adiuti alij, cum conuicti scelerum, mortiq. addicti, pœnas legibus ac iudicio darent. actum eadem opera cum rusticanis hominibus: iiq. sunt ex agresti feraq. vita, quam induerant diuturnitate bellorum, ad humanum cultum, piumq. deducti. Ab Archiepiscopo Hibernico acceperunt Sacramentum Confirmationis. In Gallicis ordinibus abolitus vsus, qui inoleuerat, passim ac temere iurandi: alterq. suffectus haud paulo melior, ad Dei gloriam omnia referendi. confessiones exceptæ ad septingentas. ad Ecclesiam rediere nonnulli. aliquot abactæ pellices, aut cum amatoribus matrimonio coniugatæ. confirmati multorum animi in morte, corũq. corpora post mortem tradita sepulturæ. Habuerunt & Germanici manipuli sacerdotem suum, & reportauit ex his sacerdos exultans manipulos suos.

DOMVS. PROBATIONIS Tornacensis.

TORNACI priore anno duodequinquaginta, posteriore triginta sex. Hic autem, quoniam

niam qui recentes ad nos veniunt, formantur in mores Societatis: operæ erit, opinor, si aliquorum de ingressu primum, deinde de profectu multorum ea breuiter expediam, quæ sperem non inutilia plerisque, accepta quidem certe ac iucunda omnibus futura. Ac primum de adolescente, qui quod ui precum diu non obtinuerat, Diuino quodam stratagemate potius, quam humano consilio, feliciter extorsit. erat hic Patri Adorno notæ olim pietatis viro cognatione coniunctus: ita Catholicæ veritatis vel a prima pueritia tenax, vt pro ea, domestico cum magistro, quem hæreticum habebat, non citra plagas prælia sustinuerit. Quartumdecimum agebat annum, cum ad Societatem animum applicat, oratq. admitti: nimiũ videlicet crudus. biennium expectare iussus. eius pater interea homo pecuniosus et locuples moritur: hoc puero (erat autem vnicus) herede relicto. Ingreditur in sextumdecimum annum: aperit matri tutoribusq., qui eum Duaco euocauerant, propositum religionis. Indigne ferunt hoc illi: honores pollicẽtur, diuitiasq. ostentant. vbi hæc irrita, puella adducitur meliore forma, quã fama, vt insidietur eius pudicitiæ. Neque hoc procedit. casus enim adolescens violaturum se pernegat templum Spiritus Sancti. ibi tum offertur spes et fumus Aulæ Regiæ. nihilo minus cõtemnitur. opimum sacerdotium ab Episcopo. tantumdem. Decurrit mater ad preces & lacrimas: illa arma muliebria. placat lugentem filius præsenti alloquio. Duacum reuertitur. Hic etiam subdoli cuiusdam fingẽdis virtutibus detexit fraudem inuolutam simu-

latione

latione beneuolentiæ. Vix effluxerat (et numerabantur dies) dicti biennij tempus, orat precarium aditum, quem videbatur sibi, pro debito poscere: iterũ reijcitur. Quid ageret tanta spe deiectus? A costãtia mutuatur cõsilium: statuit ad ædes tyronum Tornacum proficisci per speciem alicuius inuisendi, indeq. si semel admittatur, nolle egredi: donec quod obsecrationibus non datur, extundat pertinacia. cetera enim Deum visurum. E re autem nata contigit, vt tres per illud ferme tempus a Patre Prouinciali deducerẽtur ad Tyrocinium: e quibus vnus arcta cum hoc familiaritate deuinctus. offert se illi socium itineris, Patre Prouinciali nõ abnuente. ipso in itinere iterat preces: Pater bonum habere animum iubet. Interea fit illis obuiam Nouitiorum Præfectus cũ alumnis aliquot suæ disciplinæ: e quibus tres laceram gestabant vestẽ ac sordidam: illa honestamenta Nouitiatus. extinxisset alij cupiditatem tam vilis aspectus: illi magis accendit. Rogat Pater, num ita sit potens sui, vt illam sibi imperet Vestem Nuptialem. Vtinam, inquit ille, ego a te impetrem: ego mihi videlicet imperabo. factum est. reiecto pallio luridam lacernam ac scissilẽ ad mediam vsque suram eleganti sagulo flaui coloris, quod fibulæ distinguebant argenteæ, cæruleisq. femoralibus virgatis item argento, superinijcit. ita veluti candidatus Societatis exilit lætitia. Hic visus locus explorandi an eo vestitu stipem in proximo (erat autem pagus) emendicare vellet. Præcurrit ille ingenti cum sui victoria & irrisione puerorum, qui adolescentẽ viderent egregia indole attrita semi

cinctum

cinctum tunicula, interlucente serico atque argento, cibum quæritare ostiatim. ita, ut sanæ egens mentis ostentui erat. ipse in sinu gaudere, acceptas q. elecmosynas pauperibus distribuere. Quid plura? eo habitu Tornacum usque perrexit, cum in se conuerteret admiratione oculos animosq. cunctorum. excipitur domi cœna hospitali, ea condicione, ut postridie abeat: iam proinde vestitum Nouitijs reddat. ille vero negare se positurum iam triennio expetiti Nouitiatus insignia: nec vlla ratione extrudendum domo, vbi mauult esse abiectus, quam habitare in tabernaculis peccatorum. adiuuerunt iusta eius vota tyronum omniũ, quibus plerisque erat cognitus, coniũctæ preces. Illis cũ contradicere vix posset Pater Prouincialis (valebat enim causa rogandi, & gratia rogantum) se exorari non ægre est passus. At iuuenis victor facta tandem manendi potestate, lætissimus mansit. Iucundũ hoc igitur auditu. æque illud, quod sequitur: nisi quod plus fortasse habebit admirationis, cum cõstabit quantum valuerit indoles pueri, quem mater sanctis hortatibus instituxerat, vt pæne in incunabulis iaceret fundamenta pietatis. Mater cuidam puero erat nobilitate insignis ac virtute Christiana. Eum hæc iam septem liberorum parens, nouissimum & quasi postumum ediderat: viroq. mortuo tota in eo erat, vt suos educaret Catholicæ religioni. instillabat illis cum lacte odium hæreticorum: quorum speciem quasi ferarum, aut furiarum potius, teneris substituebat animis, amicos suos veneno inficientium, & ad Inferos detrudentium, vbi horribilis nox æterniq.

cruciа-

cruciatus: præstare ab illis interfici: sic enim illustris emi palmam Martyrij: quam præferentes, in cælum deducuntur Angelicis stipantibus choris, ad immortalis Dei Virginisq. complexum. afferebantur exẽpla Pancratij, Venantij, Vrsulæ comitumq; Hagnes, puerorum denique puellarumq. innumerabilium, qui virtute firmiores, quam ætate, sanguinis sibi semita ad cælestẽ patriam iter aperuerunt. His vocibus infantium aures personabant. hoc hæreticorum odio rudes per se mentes atque integræ imbuebantur: hoc ardore incendebantur, vitam, antequam plane eius gustassent suauitatem, pro re Catholica profundendi. Hic, de quo loquimur, omnium maxime. sic vt cum aliquando iactari audisset domi, Niuellas occupari ab hæreticis, pueriliter blandiretur matri, vt eo se ire pateretur ad destinati Martyrij votum. Tum mater. Non est fili, quod hunc suscipias laborem itineris, breui ipsi hic aderunt. ergo hac puerulus opinione concepta, totos dies præstolabatur eorum adũentum, e specula assidue prospectans. Matrem interea ea subijt cogitatio, vt experimentum caperet puerilis constantiæ. Quodam die cum esset hic puer cum fratre, qui eũ proxime ætate anteibat, subornat ignotum illis virum, armis militariter opertum, qui truci vultu ac minacibus oculis hæreticum simulãs, securi, quam manu gestabat, vtrique minaretur interitum, nisi clamarent illico. Viuant hæretici (hoc enim mater nefas esse docuerat) Valuit apud maiorem metus: at noster contra nihil perterritus: Immo vero, Viuat Rex, inquit, & Ecclesia Sancta (ita admonuerat

monuerat quondã illa tali in discrimine clamandum) vt ex eo, quod dixit, facile apparuerit, quid facturus esset si tempus tulisset. contigit deinde vt Mecliniam (ibi hæc gerebantur) hæretici introirent, sclopoſq. ingenti strepitu in foro disploderent, vt multiplicarent metum. hic rumor cum accidisset ad aures pueri: rapi ad necem Catholicos existimans, clam omnibus domo egreditur (Origenem diceres) empturus morte, vt postea dixit ipse, Martyrium. sed ad suos cõtinuo retractus. Cum autem cedendum esset vrbe, eaq. victoribus relinquenda, mater vestitu nobilitatem dissimulans, se se periculo exemit: educendi pueri dat alteri mulieri prouinciam. Hic cum ventum esset ad portam obsessam militibus, seq. inter medios hæreticos esse puer intelligeret: vt neminem aspexit intentare mortem, ne amitteret occasionẽ Martyrij, genua flectit. Tum vero ad vnum conuersus, qui videbatur vultu ferocior, et huic muneri magis idoneus: Heus tu hæretice, inquit, stricto gladio iam me paratum interfice, vt fiam Angelus Dei. stetit ille vultu gestuq. formatus ad cædem, manum ad capulum referens. ferio, an ioco: sed eum interea mulier (inuitum licet ac renitentem) immane quantum pauens abstraxerat. Quis credat tantam sitim Martyrij in ea ætatula fuisse? vix dum quintũ annum expleuerat. Magnã e rebus præsentibus concipiebat mater spem futuræ lætitiæ: quæ nec luxuriauit illi, nec vana euasit. cum enim tali puero cum hac indole animi creuisset corpus, grandior natu Patres orat, vt eorum voluntate in Societatẽ ingredi liceat. visus est dignus qui impetra-

petraret. dat litteras proinde ad matrem, eius rei nuntias, simulq. illam inestimabili gaudio complet: quo tamen ne sincero frueretur, effecerunt scrupuli, quos iniecerunt sapientes huius sæculi, qui nodum quærentes in scirpo, admonuerunt viduam, vt semestre tempus ad integram consultationem, adolescentisq. probationem acciperet. At illa, ne videretur eorũ negligere auctoritatem, si secus faceret: aut amorem filij, si naturali matrum cum deseruntur a liberis, sensu non moueretur: adolescentem, Leodium (iam enim illuc conceßerat) vocat. pluribus interrogationibus excutit eius animum: quem vbi firmum in proposito reperit, materna quadam beneuolentia admonet adhuc re integra, vt ne incautior ab iuuenta (cuius inconsulti impetus, cœpta initijs valida, spatio langueſcunt) eo se conijciat, vnde postea eijcere se salua existimatione non possit. nondum esse maturum corpus instituto seuerioris disciplinæ. eius porro rei arbitrium virorum prudentium fore. non recusat adolescens, vt faciunt qui bonam causam habent, quemcumque arbitrum. Sed cum differretur cognitio diutius quam vellet, matrem vrget, orat, obsecrat, vt ne se amplius desiderio tabescere patiatur: Nescire Spiritus Sancti gratiam tarda molimina: neque vllum cunctationi locum esse in eo consilio, in quo periculosior sit mora, quam festinatio. Vbi adolescenti stat sententia, porrigit ei mater legendum testamentum, quod pater in morte condiderat: quo scilicet æquis eum partibus, licet natu minimum, alijs cum fratribus, præter opinionem omnium & communem consuetudinem instituerat he-

redem: attributa etiam ei portione, quam magno opere cupiebat. addiderat testator cautionem, vt nullus pateret aditus ad hereditatem ei, qui in aliquam religiosorum familiam se concluſiſſet. Hic vero viſus eſt gladius quidam in teſtamento reconditus: ita ſe vulnerari ſenſit adoleſcens: quippe nondum plene exuerat rerum omnium affectum. Sed vt erat tamen magno animi robore ſeptus ac pietatis, nihil tanti fuit, vt nihili facientem humana omnia, quo Chriſtum faceret lucri, deijcere potuerit a tam certæ amplitudine voluntatis. Itaque cum benigne dixiſſet paternæ memoriæ, inſtat acrius vt eum mater liberum dimittat, quem pater patrimonij exortem iubet expeditius philoſophari. Non fuit adeo difficile vincere non repugnantem. conceſſit enim illa liberaliter quod rogabatur: orans ſuppliciter vt tam præclarum inceptum proſperaret Deus, beatamq. eo nomine ſe prædicans, quod filium genuiſſet, quem Numini conſecraret. Narrabo nunc velitarem quamdam, vt ita dicam, verborum pugnam, e qua quidam e noſtris tyronibus victor diſceſſit. Hic erat Epiſcopi cuiuſdam ſororis filius, ab eoq. accitus, cum primum de ipſius voluntate cognouit. Ac prima fuit cum viro quodam, quem ipſe ſubmiſerat Epiſcopus, proluſio. Vis fieri Ieſuita? Diſſimulaturum credidit, aut negaturum. Etiam, inquit ille. Quonam proficiſceris? Tornacum, aut Antuerpiam. At longe aliud tuo eſt auunculo de tuæ rationibus vitæ, conſilium. Tum noſter. Alia ſunt Dei conſilia, alia hominum. Et humanis ſæpe aliquid intercidit medium, quod officiat. quod Deus annuit, omnino

nino non fieri non potest. ita quod ego eo auctore uelle incepi, eodem adiutore perficiam. quod vbi erit factum, auunculus, ne Diuinæ repugnet voluntati, aut libenti patietur animo, aut certe æquo. Hic alter. Vide quid agas. Diu delibera quod semel statuere debes. Nihil est in huiusmodi rebus tam inutile, quam celeritas. Sequitur sæpe celer pœnitentia, sed sera post factum. Preme & matura hunc tuum conceptum etiã atque etiam, ne si promas festinãter, facias abortum. Noster denique. Ego vero diu hoc parturij, quod nunc pario: mihiq. eo minus dubitationis datur, quod Deum sequor vocantem. Videant ij, quorum hæc deliberatio est, ne dum mihi obsistere volũt, Numini resistant. Biduo post ipsemet Episcopus cum eo agit, decreturus videlicet quid facto opus foret: & quo liquidius iudicaret de animo iuuenis, tormentum quasi adhibet, virum prouectæ ætatis, qui nostram olim expertus militiam, defecerat intra biennij tyrociniũ. Atque inter cetera auunculus. An te firmiorem futurum hoc putas, cum sis tanto adolescentior tanto seniore, qui mature subduxit collum iugo, quod ferre non posset? At arbores, excepit iuuenis, quas multi durauere Soles, si quam in partem incubuerint, citius frangas, quam flectas. Tum Episcopus. Tenellæ arbores pondere premuntur impositio, & exuberantes tantum foliis, extuberant quisquilijs. Neque ista ætas tam viridis æqua erit animo tam ardua cupienti. tanto impar oneri, aut concides, aut fatisces. Modeste hic quoque adolescens. Animam ponere in Diuino obsequio optandum est. Ego me tradam consilijs Pa-

trum, qui sapienter omnia, Deiq. instinctu moderantur. ij rem totam gubernabunt. mihi tantum, iubentibus vt pro virili obtemperem, curæ erit. quod si ineptus ero ad studia litterarum, verram ædes, coquam cibos, vestes reconcinnabo: in summa agam aliquid, dummodo aliquid agam inter famulos Dei. sic in proposito perseuerauit, ac vicit. Tales iuuenum animos, qui sub nobis mereantur, & tam certa pectora Spiritus Sanctus impellit: talia sunt eorum Tyrocinij rudimenta: quo fit, vt Deo freti, parendiq. virtute, delicati licet, atque ætate tenera, nec morbidorum luem cruftasq. exhorrescãt, nec periculis terreantur. Ibant tyrunculi Christianam tradituri doctrinam (quod faciunt in pagis etiam oppidisq. vicinis) præter ædes quasdam, quibus Elephantiaci attinentur. Vnus ex his eleemosynam petit. Tum quidã e numero nostrorum sistens gradum: Spiritualem, inquit, si vis, tibi possum tribuere. Annuit ille. Hic noster erudire hominem cœpit, & consolari eo ardore mentis, vt ceteri mirarentur. Aduertit ea res deinde omnes, qui in eodem erant valetudinario. Accurrit illico manus hominum miserabilis, monumentum humanæ fragilitatis, non illuuie modo horrida, sed exulcerata etiam macularum labe contecta. vbi tam multos vidit affluxisse adolescentulus, de integro sermonem instituit de duplici lepra, corporis, & animi: hanc ostendit magis esse detestabilem: illam interdum vtilem, patientiæ videlicet, eius virtutis, qua possidemus animas nostras, vel effectricem, vel certe indicem. quin non recusaturum se sanioſa illorum vlcera ore lingere, & abster-

gere

gere lingua, si facta esset ab ijs, in quorum manu erat, potestas. ita efficax fuit adolescentis oratio, tantoq. pronuntiata cum sensu, vt, cum inter audiendum, illi multas funderent vbertim lacrimas, crebroq. manus attollerent cælo, gratias agentes: promptam eius voluntatem videatur Deus, scrutator cordium, pro facto remetiri voluisse. Euocabatur alius festine a Præposito Prouinciali Antuerpiã: it confestim suis pedibus, comitem non requirens (neque vllus se offerebat) per viam, quam nouerat. Medio in itinere immanem videt lupum ex insidijs prædæ inhiantem: subsistit primum repẽtino pauore ictus: tum cogitans vim obedientiæ, tantum fiduciæ cepit, vt cum Crucis signum feræ obiecisset, eam viderit, quasi viso perterritam, concito cursu fugientem. Idem Antuerpia rediens naui, vim prædonum, qui infestam ratibus eamdem habebant oram, admirabiliter effugit. Vir enim obediens ac cælum modo spectans, non terra superatur, non mari: sed Diuinis septus armis, proximam quamque victoriam, instrumentum sequentis putat. Nec mirum: cum se ipse primum vicerit, quæ est victoria longe pulcherrima. quam ad rem nostri exercẽtur, vt alijs deinde opem ferant. Ea occasio duobus quoque ex eodem Tyrocinio oblata est, cum redeuntes e Catechismo, virum quemdam visum in flumine, qui vorticoso rapiebatur gurgite, antequam penitus hauriretur, semiuiuum extraxerunt. Narrabat ille postea nostris adolescentibus, conseruatoribus, vt dicebat, vitæ suæ, eo se deiectum quattuor impulsu latronum, quos haud dubie dæmones asseuerabat. Age iam

veniamus ad veteranos, qui Tornaci versantur cum tyronibus in eodem cõtubernio. horum enim fructus minime contemnendus: in componẽdis litibus discordijsq. multorũ: in reducendis hæreticis ad Ecclesiam: in muliere vna reuocanda ad religiosam vitam, quam erat professa: in visitandis ægris uinctisq: in instruendis pagis ad Dominorum obsequium, ad piam vitam, & Christiano nomine dignam: in tradenda ratione spiritualium meditationum, ipsis etiam viris primoribus, atque adeo Præfectis Cœnobiorũ: quæ cursim omnia strictimq. satis habui verbo attingere: in responsis denique præbendis, ijs, qui consulerent, & auribus, ijs, qui noxas confiterentur. Quo in munere separatim contigerunt quædam, quæ narrari videantur posse sine suspicione offensæ. Vir quidam impellẽte dæmone in Aethiopis forma truculenti, & stimulante conscientia, miseram vitam statuerat morte finire. Sed, Deo tandem aspirante, spe veniæ concepta, vnius bono confessionis, et exuit consilium insanum, nec mortiferum monstrum amplius aspexit. Mulier erat paupercula cum viro liberisq. parce ac duriter vitam agens: sensit ea aliquando, illam sibi manum, cuius industria victum quæritabat, deincepsq. brachium a malo dæmone insideri: ita, vt & præmortuũ illud videretur, & ipsa interdum mente emota, cum corpore affligeretur ad terram. verebatur igitur, ne a brachio inuisa illa pestis aditum sibi aperiret ad reliquum corpus. venit ad nos, cum marito, remediũ mali exposcens. admoniti, animum expiant confessione peccatorum, sacramq. Eucharistiam accipiunt: isben-

iubentur præterea id singulis mensibus iterare: obsessam deinde manum signo Crucis imprimere, et aspergere aqua lustrali: faciunt imperata: redeunt post tertium mensem: narrat se mulier ita leuatam impor tuno malo, vt pro liberata haberi possit. Alia etiam mulier hæretica, cum & puderet vitæ superioris, quam non probabat, & pigeret nouæ, quam instituere difficile uidebatur: varia agitabatur & incerta. hoc in curarum æstu assedit ad Scalden, qua Tornacum præuehitur, in ripa, magis fluctuans mente, quã illud ipsum flumen, quod intuebatur. offert se illi species viri vestitu rubicundo. eam, si salua vult esse, se sequi iubet. illam interea pia quædam conspicatur mulier, & ab aspectu ipsius silentioq. suspicata id, quod erat, blande appellat, ægramq. animi, ab eo loco in proximum abducit. Neque diu abfuit monstrum furiale promptum insidijs: pollicitationibus eam iterum minisq. aggreditur: non esse hunc locum, vbi secura viuat, religione prægrauante: aperturum proinde (ne recuset) effugij viam. Hæc dicens, auellere etiam atque etiam molitur e complexu, quem gestabat mater infantem. hærebat misera, consilij prorsus expers, atque ignara auxilij. In hac confusione inopiaq. mentis, vox nescio vnde redditur, ad aures missa. Vade ad Iesuitas: illi consilio te, atque ope iuuabunt. Distulit tum quidem non absimili specie vlceroforum auersantium medicum formidine ferri, aut ignis. Paucis tamen post diebus alterius hortatu mulieris, cum qua rem communicarat, nostris vnum e sacerdotibus conuenit, & multum licet oblucta-

te dæmone, obstrepente, vocem eripiente, longiorem moram increpante, permolestam animi perturbationem costanti confessione placauit. Sequitur aliud quiddam in muliercula, quod recte dixeris miraculū. Festo hac Visitationis Beatæ Virginis die, ab oppido, quod quattuor leucis abest, Tornacum venit, matureq. confectis negotijs domum reuertitur. In itinere circumsistunt solam tres lupi valentes, nulloq. labore prosternunt: appetunt morsu tenuiculam vestem, dentibus trahunt lacerantq: corpus non attingunt. eam postremo præcipitem in desertum raptant locū, quem aqua oppleuerat. et actum esset penitus de misella, ni accessisset mulier eximia pulchritudine, quæ vt eā videntem manifesto exemit periculo, ex oculis elapsa est. Atque hæc Tornaci. Quæ quo solutiore animo deinceps fiant ad animarum vtilitatem, Deus suam causam suscipiens, exoluit nostros alijs curis, quibus implicabantur. Nam & Sacellum exædificatum auctumq. sacra supellectili, & ædium possessio a Parmensium Duce olim concessa, quæ aliquam videbatur habere cōtrouersiam, antiquo Domino non satis bona fide agente, adiudicata nobis iterum est: vbi non expectatis ipse iacuit testibus, & veritas, quæ male tegebatur, suis indicijs emanauit.

COLLEGIVM. AVDOMARENSE

AVDOMARI triginta. Habitæ conciones Dominicis festisq. diebus ternæ. Gallica lingua Flandricaq. multorum commodis vtilitatiq. seruie-

seruierunt. cum audisset quidam de Villico iniquitatis, ita permotus est facti imagine, vt debitorē suum, quem habebat in carcere, vltro laxauerit, laxiorēq. ei constituerit diem ad reliquum soluendum, aureorum fere centum summa remissa. Contractas omni vita maculas eluerunt confessione ducenti. pacificata hominum paria duodecim. sex mulierculæ e cæno libidinum emersæ. superstitiosus schedularum vsus, quæ flexuosis inscriptæ notis, aptæq. e collo, morbū auertere, aut fascinum dicebātur, expulsus. Medicamentum efficax abigendo partui interceptum: ab exitio voluntario & desperatione nonnulli reuocati ad spem vitæ melioris. Puella quædam, ætate sexuq. improuida, facilis q. inanibus, formidolosis liberata dæmonum præstigijs. restitutum æs non modicum, quod fuerat male quæsitum. collecta sæpe hominum pietate, liberalis eleemosyna, & nongentorum aliquando florenorum, transmissa ad vicinam vrbem, egenorū subsidio. hæretici aliquot ad fidem traducti, adiuti in lectulo morientes, damnatiq. excursum in pagos, & Societatis munia vsurpata cum fructu. Congregatio Deiparæ, & pietate crescit, & numero. ex hac octo, anno proximo in diuersos religiosorum ordines adscripti. Non ignota hæc ciuibus, qui suam erga nos beneuolentiam, re etiam ipsa, non tantum sermone testantur. ornatum est templum aureorum octingentorum, auctum Collegium florenorum termillium impensa.

COL-

COLLEGIVM. DVACENSE

DVACI, vt plurimum vndequadraginta. interdum triginta sex. scholastici, vt excipias Theologiæ studiosos, quingenti. Decurso Philosophiæ stadio, tres sui specimen dedere profectus, frequenti in cœtu plausuq. nobilium. fuit vni eorum Atrebatensis Episcopus: qui paulo ante trecenorum florenorũ munere nostri promouerat templi ædificationẽ. ex illis autem tribus adolescentibus, vnus inter nos cooptatus. Scholastici etiam ceteri in tragœdia dãda, spectati probatiq. Mirum est, quam sint fere omnes pij ac religionis colentes: ij maxime, qui se ab alijs in Congregationem Beatæ Virginis, quasi segregarunt. Videas pueros non duodecimũ egressos annũ, magno impetu animi ita præcurrentes ætatem in supplicijs corporis, & sanctorum frequentatione mysteriorum, vt relictum dicas iri grandiores, nisi ipsi iam spatia corripuissent. etsi enim vna est Sodalitas, quæ sibi præscripsit nomen Dei Matris: ex ea tamen tres veluti Coloniæ propagantur. vna ab Sanctæ Crucis, altera a Sanctorum Omnium nobilitata cognomine: est & tertia, ijs tantum patens, qui in multis religiosorũ familijs arctiorem profitentur viuendi disciplinam. Has porro familias ita auxerunt ea Sodalitia, vt earum quædam quasi plantaria censeantur. in varias trolati triginta. excepimus & nos nostram veluti partem, viginti quattuor. Alij vel suorum veniam, vel tempus expectãt. vnus præcipue adolescentulus,

aut

aut potius puer: eius in adiuuandis proximis is est ardor mentis atque amoris in Deum, vt quantum supereſt otij a rebus ſcholaſticis, totum id collocet in obeundis vicis ab vrbe remotioribus, & in ruſticis hominibus, rudioribusq. pueris inſtituendis, quos pijs etiam munuſculis allectat. Cum quæreret ab eo quiſpiam cur in tantis opibus cum eſſet, aſperiore veſtitu vteretur: Vt vel iam nunc (reſpondit) aſſuefcam mori Ieſuitarum. Habet hic ſocios ſuos, annis ſtudijsq. æquales. quorum purioris vitæ æmulationem acceptam eſſe ſibi, hoc facto Deus, vt videtur, oſtendit. cum enim in templo eſſent aliquando conferti, uoluntate confitendi, nec longe abeſſent a ſede, ubi erat ſacerdos, ſubito laxſu ſuggeſtum uaſta mole corruit, nullius offenſa, multorum metu. Alium quemdam febris lecto affixerat: dum æſtu torretur uehementi, iubet ſibi afferri aquam ex fonte Beati Morunti, quē hæc urbs ſuum ueretur cuſtodem ac præſidem: eo apud Deum deprecatore uſus, allatam ubi exhauſit, febris extincta eſt. Nec uero pueri tantum nobis dant operam, aut Duacenſes: externi etiam, atque ætate prouecta. e quibus unus eſt quadragenarius. quippe uxore amiſſa ſe attulit nobis, filiumq. & fratrem germanum adduxit, litteris imbuendos. quamquam ipſe etiam maiora molitur, &, cum Deo uolente, cogitat Societatem. Adiuti piorum eleemoſynis, qui ſe propter inopiam tueri, aut incepta ſtudia perſequi non poſſunt. atque in his magni animi adoleſcens: qui amplis licet honeſtisq. parentibus, quia tamen hæreticis, mauult in alienis terris patiē-

tia

tia paupertatis ornatus, corporis incommoda, quam suis in ædibus omni rerum copia abundans, animæ periculum subire. Sed et tripartita illa, de qua supra diximus Sodalitas, sacrosanctæ Eucharistiæ cultum honoremq. iam sibi proprium ac peculiarem adsciuit: siue cum passim ad ægros: siue cum in singulos annos recurrente celebritate: defertur per vrbem: inumbrante carbaseo velo, quod ipsi vicissim subeuntes, sublatis adminiculis intendunt: longoq. agmine, illuminantibus pompam cereis facibus, quas gemino præferunt ordine, modico interuallo dispositi: eæ superiore anno numeratæ ducentæ quinquaginta. Augetur propterea nostris animus ad labores, proximorũ vtilitati intentus. Naufragi quinque fide Catholica, in portum reducti. recollecta multorum discidia, quæ in certamen exceßerant. Cœnobium virginum, quod rupta veluti Sacramenti reuerentia, neglectaq. Antistita, corpus quoddam sine spiritu iacebat, reuixisse iam videtur, obstrictis fere omnibus religione parendi, obstructaq. fenestra comperta flagitij. Vna quædã ex ijs desperatione Diuinæ misericordiæ, flammisq. curarum incensa ardentibus, constituerat inflãmare domum, vt cum sui deflagratione, omnĩ sequeretur incendium. obuersabatur ei malus ante oculos dæmõ cum tæda funesta. Interea, mortalium more, quorum animos etsi cupiditas vitæ præsentis, non omnino tamen futuræ cura deseruit, cum diuersæ orirentur solicitudinum formæ, spesq. veniæ a Deo impetrandæ affulsisset, concepti sceleris atrocitatem pœnitẽtia discussit. Nec defuerunt aliæ mulierculæ, quarum im-

prouidas,

prouidas mentes ac molles, ludificatus hostis, vetus fallendi, in errorem egerat ac tædium vitæ. Puella quædam admissi pudore flagitij, mortis consilium ceperat. genus quærebat. ferro, an laqueo. Vtrumque tētauerat: sed reuocāte voce, qua per aures sentiebat verberari animum, absliterat cœpto. nihilo magis abscedente cura, accurrit ad flumen, vt miseram animam extinguat. hic etiam visu in vndis flammæ ardescentis, differt propositum. Incidit tandem aliquando, ingressa templum, in concionatorem inuehentem in eorum pernicioſam verecundiam, qui inter confitendum, scelera silentio transmittunt: aperientem vere grauiterq. quæ esset postea ijs mentis trepidatio, quæ ærumna vitæ, qui angor, quod telum obstrepentis conscientiæ: quæ denique alia iræ signa cælestis. Dici hæc sibi credidit. Itaque cū feciſſet quod a Deo monebatur, quieuit. Alia falso insimulata criminis, cum firmi animi & constantis contra aduersum rumorem esse non posset, durius vitæ suæ consulere statuerat. it cubitum mærore prostrata: non Deo se, non Cælitibus commendat, suprema agitans: deuouet potius caput dæmoni magno, eiusq. satellitibus. visi adesse per noctem, et inopem consilij circumsistere: quæ tandem externata malo, vt ex his emergeret monstris, quibus se sponte subiecerat, sapiētiora respexit. Quamquam & militem quemdam similis furor inuasit. Detinebatur hic in carcere multa furtorum fama: quæ cum inficiari non posset, expectabat mortē haud dubiam: ergo eam occupare constituit, metuens ignominiæ. inediam firmat iure iurando. nec satis hoc. dia

bolum

bolum inclamat, horrendum, vt deuotam animam extrahat e corpore. His auditis, conterritus custos carceris, refert ad Senatum quæ vinctum agitent intemperiæ. Noster illico mittitur sacerdos. Omnia, quæ ad hominem deleniendum, castigandumq. videbantur apta, principio dicta factaq. Persistebat obstinatus ille & peruicax amentiæ. Dei demum benignitate, nostriq. constantia sacerdotis, quemadmodum hastilis curuationem paulatim dirigit subiectus ignis, sic ipsius peruersitatem animi sensim correxerunt propositæ ad contemplandum vltrices flammæ Inferorum. Post confessionem mira sequuta tranquillitas, tantaq. criminum detectatio, vt plurimum se debere accusatoribus fateretur, quorum beneficio, compeditum cum corpus esset, animus fuisset peccatorum vinculis exolutus. Pœnam deinde dictam fustuarij atque exilij ita accepit libens, vt procumbens ad Iudicum pedes, gratias ultro ageret, quod minorē multo irrogassent pœnam, quam quantam ipse commeruisset. Vxor etiam, exulem, quod primo recusarat, sequuta: nostrorum scilicet hortatu, ac sanctitate matrimonij: cuius ea vis est, vt miseræ interdum mulieres feros virorum mores perferre cogantur. Sed aspicit eas Deus plerumque, & iustas preces oppressarum exaudit. Non longe abiero. Ex harum numero, quas maritorum torquet vesania, erat vna collocata homini, qui super ebrietatem, neque continentiam linguæ, neque Diuini honorem Numinis pensi habebat. Quid agat hic vxor prudens & proba? aut quid consilij captet? admoneat? operam perdet. reprehendat?

accendet

accendet acrius. uerba ingerat? excipiet uerbera. ad Deum conuersa est supplicatio. nec nihil actum. Sollemni quodã die uir largius operatus uino, obrutusq. epulis, ante focum edormiscebat crapulam, sonorum proflans somnum e graui pectore: sed, ut accidit onustis potu ciboq. eo sæpius interrupto ac repetito, languenti iacebat, quam dormienti similior. Hoc tempore minax facies semisomno offertur, ac si dilatam ulterius moraretur confessionem, cædem intentat. Discussit soporem incertum non ambiguo metu, clamoreq. ingenti, In crastinum In crastinum. accurrenti uxori, & quid hoc rei esset quærenti, uisum exponit. postero die promissum exoluit. Longe alia ratione, specieq. mitiore, sui alius officij commonitus. Ex antiqua is erat familia ac locupleti. Laudi hoc sibi ducebat ac pietatis studio, ut multarum lustraret prouinciarũ urbes, atque in earum tẽplis illustrioribus, Sanctorum uiseret reliquias, coleretq. Cũ hoc igitur ageret, quodã die obuium habuit hominẽ ignotũ: quẽ, perbenigne ab eo salutatus, uix resalutãs, præterijt: ut erat suspensus animi, atque itineri intẽtus. Reuocatus deinde ab illo, compresso vestigio. Num quid me vis? inquit. Cadent, ait ille, hi tibi omnes in irritum labores: neque enim vmquam Deum propitiabis, aut tuos apud eum Cælites habebis aduocatos, nisi tale peccatum (et diserte explicabat quale esset) sacerdoti aperias. Stetit stupore defixus, terram intuens: pudor mentem oppresserat: cogitans interea qua is via ad facti abstrusi atque abditi peruenisset cognitionem, vt respicit iterum, nullum videt.

Tum

Tum uero ueluti emersus ab admiratione, Angelum arbitratus tutelarem, quem propterea studiosius uenerari instituit, fecit, ut ne illa admiratio frustra esset. Nauata est etiam opera pagis sub urbem: sacris virginibus ueluti formandis: conglutinando curione Dominoq. quorum uterque distractus ab altero, suã trahebat partem: cõfessionibus accipiendis imbuendis pietate animis, & mysterijs disciplinæ Christianæ. Quo in opere cum simplex anicula, de pueris, qui interrogabantur in templo, didicisset, ligneam Beatæ Virginis effigiem, quæ erat in altari, non ipsam esse Dei Matrem, quam colimus, cũ ipsa migrarit in cælum, sed eius imaginem: tanto perfusa est gaudio, ubi se tam crasso liberatam errore animaduertit, ut non temperauerit, quin fausta acclamatione Catechistien, claraq. gratulatione prosequeretur hoc sæculum, cuius uel prima pueritia docere posset caniciem superioris.

COLLEGIVM. ANTVERpiense.

ANTVERPIAE priore anno uiginti quinque: e quibus mortem obierunt duo: posteriore septemdecim: imminutum credo numerum rerum inopia: quæ etsi magna est in hac urbe, olim opulentissima: non obliuiscuntur tamen eius ciues sacræ supellectilis: instruxerunt enim templum, ornarunt q. Nitet purpureum circa altare conopeum: laxo amictu cultuq. magnifico: æstimatur florenis quadrin-

quadringẽtis. Sed maior acceſſit ornatus ueneratioq. ex Sancti Gulielmi capite, & compluribus Vrſulæ comitum, aliorumq. Cælitum reliquijs. Magnus hinc ad ſacram Synaxim, maior ad exhomologeſim accedentium numerus. Generalem exprompſerunt, plus minus, ducenti: fructu non reticendo. Nempe, mulier vna ab amentia, altera atque altera a procuratione aborſus: Monialis ab inceſtu una, altera a periculo maioris apoſtaſiæ: mulier itẽ vna ab adulterio: a meretricio plus decem: quædã denique a laqueo: ab eadẽq. deliberatione vir, ſe receperunt. Proſpecta interim alimẽta proli non legitimæ, ne exponeretur a genitore, ſed educaretur domi tamquam iuſta. Quamquã nõnulli etiam dæmon ſuas tetendit inſidias. Eius vexationes ſpecieſq. nocturnas vir vnus magno obſtrictus ſcelere, inuocatione nominis IESV: quædã virgo Magicis addicta artibus, ſacrati agni geſtatione fugauit. Fidem reſpexerunt familiæ nonnullæ. Separatim homines ſeptem ac triginta. inter hos vnus, qui vel a puero famialiter cum Caluino vixerat, adfuerat etiam animam eijcienti: particeps olim illius perfidiæ ac miniſter. Eiurauit hæreſim publice noſtro in templo: nec cauſas tacuit: aperuit periuria, cædes, rapinas, aliaq. ſcelera aduerſariorum, quæ occulta veluti adyta patere nolunt niſi ſectatoribus ſuis: vt illis plus ſit in tenebris licentiæ, & ceteri quaſi profani, ingreſſu arceantur. Neque vero hoc dixit ille tantum, ſcripſit etiam libellum, atque edidit, quo res plurium eſſet conſcientia famaq. teſtatior. Viſus hac myſteriorum enuntiatione in hac vrbe cornicum oculos configere.

ita hæreticorum inclinata res est. admouetur ad eam prosternendam machina e loco superiore. In aula Collegij, quam ampliorem fecimus, cum alterius diruto pariete, e duabus vna est facta, vnus e nostris, pleno virorum consessu, non pauciorum sexcentis, falsitatē labefactat Augustanæ Confessionis, & veritatem asserit Catholicam, non perpetua solum oratione, sed prolatione etiam locorum, e libris, quibus circumfusus sedet, vtriusque partis: vt vtrumque confirmet, aduersumq. ipsos religionem ementientes sua ipsorū volumina reuoluat. Quærit deinde, si quisquam ad ea. Aut oratione agat, aut stylo: se responsurū continuo profitetur. Nemo adhuc quicquam obiecit. Neque enim veritas habet argumentationem. Scripta interdum contra offeruntur occulte, eademq. postea, in publico, vt facile est falsa conuincere, viua voce refelluntur. Rem etiam adiuuerunt Catholicam sermones ad populum frequentes. diebus enim sacri Aduentus maioriſque ieiunij, terni habiti tribus in locis, Gallice, Teutonice, Hispanice: nec defuit qui Dominicis diebus idem faceret Italice. Sexta quaque feria verba facta, in Quadragesima, de Christi Domini excessu. Tribus in locis toto anno explicatus Catechismus. Et sane in uitiorū extirpatione, insitione virtutum, apparet opus. repressa multorum odia: in his, fratrum duorum germanorum, orta, vt fit, in bonorum diuisione. tres virgines addictæ Cœnobijs. Procaces multorum manus oculiq. quod religioni alias non erat, exposita Dei lege, coerciti. adempta tandem multis prauа consuetudo, quod maioris operis videbatur,

quam

quam vt posset perfici, vagæ inambulationis, profanæq. negotiationis, in templo maximo. typographorum, qui improbos euulgabant libros cum periculo proborum, infracta in præsens licentia, oppressa in posterum audacia. In nosocomijs, brephotrophijs, xenodochijs exceptæ confessiones, habitæ cohortationes, secreti agni ab hædis: expulsis hæreticis, orthodoxi suffecti. Datum est & aliquid temporis publico carceri. Quinque capitali afficiendi supplicio (re frustra ab alijs tentata) adducti, vt æquo animo ac placato graderentur ad mortem. Duo nautæ similiter plectendi, nostrorum precibus condonati, vt rebus fidei, quarũ erant rudes penitus, instituerentur. Nostrorum etiam trium precibus (cum iter facientes aliquando, in eum incidissent articulum temporis) milites duo e patibulo, quod iam iamq. conscensuri erant, erepti, permittente Duce, causamq. veniæ per præconem pronuntiari iubente. Suus quoque fructus extitit Patris Nostri Ignatij exercitijs: ea tradita adolescentibus duobus. quorum alter relicta mercatura, Ecclesiasticam vitam ingressus, alter petit nostram Societatem. In hanc cooptatus Hispanus miles viginti stipendiorum, bellica laude fideq. excellens, eamq. ob rem, & Duci, & ipsi etiam Philippo Regi egregie carus. Hic cum cerneret fidei causam in Belgio spe sua longius duci, non tam pertæsus sæcularis militiæ, quam appetẽs melioris, cum militaribus suis omnibus ornamentis, auro gemmisq. clarus, conspiciendus torque, quem octies in gyrum actum circum dederat collo, ad Patrem Prouincialem Antuerpiam

venit, admitti flagitat. reijcitur semel, iterum, ac sæpius: sed cum semper firmasset animum aduersum repulsam, multaq. afferret iusta ad impetrandum, obtinuit quod rogabat Sed, vt aliud ex alio. Reddam nunc quod proxime fugerat, de habitis in templo nostro supplicationibus. Fæ præcipue fuerunt duæ. Sed earũ vna celebrata ab hominibus, qui acriter flagris in terga sua sæuiebant: primum quidem Antuerpiensium insectorum ad tale spectaculum, terrore, qui deinde conuersus est in religionem, gratamq memoriam Nostri Liberatoris, in cuius venerationem exemptus laqueo reus capitalis maleficij: mouit animos atque ora visentium: iucundus etiam fuit in ea pompa Patrum Capuccinorum aspectus. Horum enim aduentu, accituq. nostrorum extinctus est sermo de vtriusque ordinis alienatione animorum falso dissipatus. Altera fuit supplicatio, edicta obsecratione horarum quadraginta, causa victoriæ. ea dum procedit, ne tota effusa ciuitate, inconditi agminis confusio nasceretur, utq. recessu priorum daretur accessus sequentibus, una assignata ad introitum ianua, altera ad exitum: cautũ, ut cunctæ religiosorum familiæ, magistratuum ordines, urbicæ Sodalitates, mercatorum peregrinorum nationes, opificum Collegia suam singillatim obirent uicem, simulq breui exciperentur conciũcula, lociſq. propositis ad meditandum: sic ut & templum facile admitteret ingruentem multitudinem, nec impediret turba selectum. Et uisus est Deus audire preces tam continenter fusas, tam multorum hominum, unum atque idem una mente ac propemodum uoce poscentium.

tium. Biduo post, expugnatum a Catholicis oppidum, cui Nussio nomẽ, natura loci inexpugnabile munitissimum. Vtriusque deinde supplicationis sese cædentium verbere, sacramq. Eucharistiam venerantium, reddita species anno posteriore, Quadragesima extrema ad Christi Domini sepulcrum. Nunc pauca dicamus de scholis. Eæ sunt in quattuor classes tributæ, nec minus in pietate proficiũt quã in litteris. hoc ostẽderũt habitis dialogis orationibusq. magno applausu celebriq. magnificentia. at ea declaratur maxime propẽsione animi, qua se permulti in Sanctissimæ Virginis Sodalitatem tutelamq. contulerunt. manat etiam in proximos. eorum opera atque exemplo cẽlo hæretici ad sanitatem: centum ad Scholam doctrinæ Christianæ: plus quinquaginta ad morum vitæq. emendationem impulsi. leue hoc erit, quod subjiciam, sed pronis, vt spero, auribus accipietur. Hollandum puerum annorum non plus vndecim, quia procul abest a patria, suisq. opibus, causa religionis, mater coacta egestate domum remittere cogitabat. alia mens puero, ne ratione illa ad hæreticorum mores adigeretur. inflat mater, addit verborum sæuitiam. ad multo mitiorem confugit puer Matrem Orphanorum, in Sacellum Sodalitatis: ei rem totam prouolutus in genua exponit: orat, inopi matri subsidium mittat. ad eam mox redit animo tranquilliore, quod spem attulerit Dei Mater (ita enim dictitabat) in posterum alimẽti. It recta ad nos mulier, scitatur ecquid filio Deipara responderit? mirari tam simplicem interrogationem nostri: neque erat interpretatio facilis. Res

interea percrebuit, peruenitq. ad aures sodalium pueri atque æqualium: qui iam ita inter se habent diuisas curas, vt de ientaculo demendo sibi alij, alij de merenda, omnes paruulo negotio vnius sodalis sustentent inopiam. Sed et hæc Sodalitas bipartita est, Minorum, Maiorumq. Quinquaginta constat discipulis nostris, centum præterea e Senatorio, Plebeioq. ordine ciuitatis. Horum omnium cum toto anni tempore elucet religio, tum maxime Quadragesima. conueniunt diebus singulis vesperi, perinde ad exposcendam pacem a Deo, implorandamq. Cælitum opem, quos inuocant ordinatim: quam ad pios sermones diligenter audiendos. Fauet illi Senatus Episcopusq. eorumq. cœtum persæpe magno studio ac dignitate celebrarunt. Verum, vt de his multa sileantur, hoc vnum attingam. Vrbs Antuerpia sub Mariæ Dei Matris patrocinio fere nata olim, creuitq. Et extabat argumentum in Prætoriæ Domus pariete, collocata ipsius effigies e marmore. Quam auctu deinde rerum virumq. noua extructa domo, cum sustulissent architecti, aut obliuione reliquerunt, aut contemptu. Colossus pro ea positus informi magnitudine. Gigantem appellabant: anilem nescio quam fabulam comminiscentes. Ex eo omnia in peius ruere visa huic vrbi. Nunc, Diuina tandem ope restituta Antuerpia veteri religioni, Antuerpiæ Collegio nostro, ornato demum Collegio tam honesta piorum Sodalitate: consilium cœptum, Deo adspirante, ac probante Senatu, exturbato monstro, in priorem suam sedem Cæli Reginæ restituendæ. Eius statua facta est

sodalium

sodalium impẽsa pedum quattuordecim altitudine. Hæc cum ipso die Annuntiationis, Regali corona, sceptroq. insignis, triumphali esset thensa e templo nostro educenda: visum est increbrescente pluuia cælum inhorrescere. Exultare certatim gaudio hæretici, per confertam uolitare multitudinem, quæ ad pompam confluxerat, illicere plebem ad superstitiones, Idololatriam Iesuitarum damnari cali voce iactantes. Sed non est semper, nec diu felix iniquitas. Vt omnem sibi ignarum vulgus exemptum scrupulum putaret, eo ipso temporis vestigio, quo efferebatur, ex turbido die, cum serena lux & tranquilla rediisset, adstructus est fauor Diuini Numinis, & insanus maledicorum furor obstructus. Hæc Antuerpiæ. Simili successu itum est aliquoties Bruxellas: ea vrbs est vicina, Regio nobilis cõsilio hominumq. frequentia: auditæ confessiones Aulicorum plurimæ: concubinæ non paucis ereptæ: hæretici duo: schismaticus vnus Ecclesiæ restituti.

COLLEGIVM. LEODIENSE

LEODII fere triginta sex. Prior annus quo difficilior fuit, eo nostros vehementius exercuit. Tres in Domino requierunt. Plures humana destituti ope, Diuinam expetierunt. Traiectum enim (vicinum hoc est oppidum) religionis causa contendentes, seruati ab interitu, epota aqua Sancti Seruatij, nomine ac patrocinio salutari. Altero anno sacerdos vnus est mortuus. Mortuus est etiam Collegij nostri, quã-

diu hic fuit, tempIiq. adiutor & fautor egregius, Episcopus Vercellensis, Nuntius Apostolicus, ita pie ac religiose, vt vitæ responderit, eodem tenore transactæ. Vixdum sesquimensis abierat, ex quo, vt se compararet diligentius ad Christi Domini natalem diem, aut, vt res ipsa indicauit, ad suum mortualem, a conuentu se hominum, suaq. familia seducens, fuerat apud nos in rerum cælestium commentatione versatus: cum postridie Nonas Februarij in morbum incidit, qui ei fuit supremus. Patrem Rectorem vocari iubet: ab eo confessionis communioniſq. percipit Sacramenta: sibiq. instare mortem non tam vi morbi, quam Dei voluntate, confirmat: magnaq. significatione pietatis ac lætitiæ initium illud Dauidici Psalmi identidē repetit: LAETATVS sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domū Domini ibimus. De Cardinali vero Borromæo cū aliquādo incidisset sermo, perquamdiu in alta cogitatione defixus, vocem tandem rumpit, non se tenentibus lacrimis. Sequar te Sancte Cardinalis, atque heros inuicte, sequar te lōgo interuallo: quamquam non ea spoliorum specie & copia, quibus tu insignis, cælū inuectus, pulcherrimū duxisti triumphum. Huic quasi spei nondum tempestiuæ auertendæ, obiiciebant aliqui debitum longioris vitæ, & solatium recipiendæ salutis. at ille, Martini, non verborum magis, quam factorum æmulator: Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua. Recitari sibi voluit testamentum coram Tabulario Apostolico, septemq. de more testibus: perlegi deinde

ijsdem præsentibus Catholicæ Fidei Professionem, ex Decreto Concilij Tridentini. Ad sanctionem ipsam ac iurisiurandi formulam cum ventum esset, eam ipse, iterum ac tertio, clara, vt poterat, voce, magnoq. sēsu pronuntiauit. Sic me Deus adiuuet, & (religiosissime interea librum exosculabatur) hæc sancta Dei Euangelia. erat tunc sollemne ieiunium dierum quadraginta: ne ouis quidem voluit, ne dum carnibus, vesci. extrema præmunitus vnctione, sanctitatem spirans ac Deum inhians, eripitur rebus humanis. Lautum eius cadauer a nostris, plumboq. inclusum, conditum in templo: memoria in animis omnium. Parem prope experti sumus beneuolentiam Cardinalis Vademōtij, qui hic aliquandiu Legatum egit Apostolicum. par idem reliquit alibi moriens Societati nostræ desiderium. Sed hoc ad alteram prouinciam. Redeamus Leodium. Septem in hac vrbe locis datur opera Catechismo. Latina concio, quæ in gymnasio habebatur, communicata cum populo, in tēplo proximo, rogatu nobilium. Totius vitæ criminibus ab oluti quinquaginta. Hæretici nouem dedocti. eorum contage liberati Spadani fontes, conferentes auxilia morborum: inde enim excluſi: ne qui illuc irēt curatum corpora, haud paulo perniciosiorem hauirent pestem animorum. Curatum vt mulieres aliquot religiosam vitā professæ, quas nec pudor in Cœnobio, nec pudicitia in voto continuerat, se nouo eximentes periculo veteriq. infamiæ, redirent vnde discesserant. Errantes aliæ, aut quærentes diuerticula, earum exemplo condocefactæ. sacerdos a concubina distractus. vterque

generali

generali confessione perpurgatus. ergo hæc sacerdotis amica, e morte animæ: altera etiã e corporis erepta. hac via. Erat grauida: imminente partu, obstetricem accersit, probam & antiqui moris feminam. ea dum imperat quæ facto opus erit puerperæ, intellexit, fetui, antequam nascceretur, necem parari. exanimata exit præpropere, de nostris quærit, quid agendum. baptizandum infantem, vbi primum erit editus, censent. redit. miseram offendit semiuiuam, de trabe pendentem, e qua se ipsa, desertam videlicet rata, & peccati conscientia, laqueo facto, e conscisso velo, quod erat circum lectum, suspẽderat. opportune subuentum. Neque hæc solum: aliæ etiam huiusmodi flagitij atque adulterij culpam pœnitentia correxerunt. Infamis quædam mulier, suiq. per triginta annos prodiga corporis, veneficijs nuntium remisit, dæmonisq. consuetudini. Mater filiaq. item germani duo, odio inter se flagrantes iamdiu implacabili, in concordiam reducti. Pugna in nuptijs excitata, iamq. in duas scissa factiones, cum stricti increpuissent vtrinque gladij, sacerdotis auctoritate compressa. Militum multorum, illisq. famulantium animi ad pietatem instituti. Mulierculæ furtum ingentis pretij ab honesto viro remissum. Duobus nauata opera, qui vltimo destinati erant supplicio, Catholico, atque hæretico. illi a Iudicibus sepultura: huic a Deo, vt sperare videmur, venia, quam ipse demum insigni cõuersione petijt, impetrata. Idem officium præstitum militi cuidam, quem multorum maleficiorum reum, Iudices viuum flammis addixerant. Hic enim tridui spatio no

strorum

stirorum sermonibus ita instructus est, adductusq. ad pœnitentiam scelerum, vt inediam propterea sibi pœnasq. graviores sponte indiceret, neque ad supplicij locum milliari distantem, curru vehi, sed pedes incedere voluerit: vt hac saltem in re, Christum imitaretur: quem cum Matre Virgine non ipso tantum in itinere habuit assidue in ore, sed eo ipso puncto temporis, cum conijceretur in ignem. Non defuimus etiam naturali morte migrantibus. E febri quidam inciderat in phreneſim: iamq. ad exitum properabat. Insanæ menti, suorum exoratus precibus, tria videtur Deus dediſſe, quaſi ex compoſito, interualla ita confeſſus: Eucharistia refectus: ſacro delibutus oleo, naturæ debitum exoluit. Sæuo alius morbo corporis, grauiq. animi ſolicitudine affectus, vnum vocauit e noſtris. Hic vt erigeret iacentem, confirmat fore, vt illum non in altera tantum vita conſoletur Deus, ſed in hac etiam ante deceſſum. Non vana prædictio. Vix ægrum reliquerat, cum teſtatur ille, Diuina ſpecie puerum ſibi eſſe ante oculos, cuius aſpectu mirifice recreetur. Suauitas interea odoris, quo perfundebatur locus, fidem ui ſi circumſtantibus fecit. De adoleſcentium cœtu, qui ſe Dei Genitrici conſecrarunt, nihil dicam pro tempore: quod e rebus ſuperioris anni, coniecturam facere liceat de præſentibus. niſi quod ei quoque cœtui, quemadmodum & ſcholis maior quotidie ſit acceſſio & multitudinis, & pietatis. Extitit in hac etiã vrbe pretium ſollemni iam inſtituto luſtrandi pagos, in quibus, ne communia recenſeantur, repreſſa quæ inualuerat conſuetudo veſpertinorum conuentuum, ac tripudiorum

diorum rusticanorum. Sed non deest hominum genus, qui falsum Iesuitarum sibi nomen vsurpantes, vicos ambiũt, falluntq. incautos, certum pro defunctis præscribunt Missarum numerum, cereosq. exigunt ad pondus. hoc dolo emungunt argento simplices rusticorum greges, animosq. illaqueant opinione hariolandi: quam aucupantur (vt quidam retulerunt) præterita magis quibusdam crimina, quãquam occultissima (indice dæmone) detegentes, cum stupore imperitorum, quam futura præsagientes.

COLLEGIVM. TRAIECTENSE

TRAIECTI circiter viginti. Priore anno tentati morbo plures: duo absumpti. Posterior annus illustrior fuit multo conuenarum affluxu ad festos dies festos (quattuordecim ij sunt) qui septimo quoque anno celebrantur. Quo frequẽtiores enim aduenæ, religionis causa, eo maior oblata nobis occasio pro eorum salute laborãdi. Dei verbum disseminatum in vrbe, locis pluribus: Catechismus etiã explanatus magno cõcursu puerorum, adultorumq profusoq. studio patrum familias qui si de suis absit quispiam, magno id sibi dedecori putant. Neutrum sine fructu. Dicerem de adductis multis ad vota soluenda: ad odia deponenda: ad male parta reddenda: ad peccata abijcienda: sed hæc vsitata. Quattuor sunt in hac vrbe curiæ. Sed hæ erant olim ita permistæ confusæq. vt curialis & curio æque esset ignarus ignotusq. iam ea descriptio regionum familiarumq. facta est, vt quadri

partitus

partitus grex vocem pastoris sui, & pastor faciem gregis agnoscat. A corruptis opinionibus ad sanam doctrinam conuersi duodeuiginti. Maiorem partem nostrorum industriæ tulerunt milites, quibus commissa vobis custodia. nec pœnitet. periuria interdicta: execrationes coercitæ impudicæ mulierculæ facessere iussæ: animi compositi præceptis Euangelij: vt milites iã Christianos appelles. id quanti sit, indicauit quiddam, quod prope habuit vim miraculi. Miles vnus e cohortibus Hispanorum, negotij causa rus ibat, incidit in latronum manus, qui, quod etiam hæretici essent, contumeliosis principio vocibus, tum pugnis calcibusq. ad extremum vulneribus eum male acceperunt, ijsq. tot, & tam crudelibus, vt vitam arbitrarentur exhaustam. ea duo & quinquaginta fuerunt. guttur transfixum: apertum pectus: ceruix confossa. ita obrutus ille & truncus, suo volutabatur in sanguine, morti (quam eius tantum depulerat opinione) proximus. Deum interea, Sanctissimamq. eius Parentem intimis orabat precibus, vt ne se sine Sacramentorum perceptione obire paterentur. plus etiam quam petierat impetrauit. vbi enim eum hostes tam multis conc ssum ferri ictibus, debilitato prorsus et contrucidato corpore, defatigatione credo, atque errore, cædere desiterũt: ipse autem vix tandem compos est factus sui: manibus, vt poterat pedibusq. innixus perrexit ad vicinam primum pastoris casam: inde ad pagum deuctus: ibiq. præter opinionem omnium, sed non suam spem, quam in Diuino præsidio repositam habebat,

conua-

conualuit, intraq. mensem incolumis, Deo votum in nostro Sacello soluit: quod in mortis periculo nuncuparat. Quamquam in alijs etiam militibus, qui ex Italia Germaniaq. huc primum appellebantur (est enim hic primus in Belgium introitus) collocanda pro tempore opera fuit. ita egentes plerique accedebant, affectaq. valetudine. Et affuit quidem illis Prætoris vrbis Senatusq. liberalitas in commeatu tribuendo: sed omnem superanti opem multorum inopiæ, publicas priuatasq. corrogando eleemosynas subuenerunt nostri: allata cibaria, fomenta, mediciq. passim præbiti: nihil omissum, quod opus esset firmandis corporibus, animisq. curandis. adiuti moribundi: mortui sepulti. Similia constiterunt officia in eos, qui nosocomijs detinebantur, aut carcere. et si his rebus fere omnibus adiutores sociosq. sese adiũxerunt adolescẽtes e Sodalitio Beatæ Virginis. quod priore anno, postquam recitatæ sunt litteræ Pontificiæ, auctum primoribus plurimis (ex ijs vniuersæ vitæ maculas confessione deterserunt quadraginta) posteriore anno superueniente multitudine bipartitũ fuit. sed tamen incredibilis est sodalium adolescentulorum religio ac pietas. ab ijs enim pauperes subleuantur: ægroti inuisuntur: valetudinaria purgantur: libri digni flammis offeruntur: ad confessionem multi adducuntur: inambulantes in templis vt abstineant, genu flexo admonentur: eaq. ab re, conuitijs interdum, aut verberibus non deterrentur. Has ob res mirifica in nos omnium beneuolentia: sic vt inter se officijs certent. Primas tenet ordinis Teuto-

nici

nici Commendator, vt vocant, Prouincialis: cuius humanitas vsque eo progressa est, vt ad templum extruendum lateres fieri iusserit: pecuniam spoponderit: futuri formam ædificij ad Reuerendum Patrē Nostrum Generalem transmiserit: Seminaria iuuenum pluribus in locis instituere decreuerit. Secundas, Præfectus vrbis cum vxore, femina spectatissima: qui & nos communibus studijs, & rem Catholicam magnopere iuuant. Longum nunc esset qua erga nos sit Decanus Sancti Seruatij Senatusq. obseruantia, scribendo persequi. quibus Catechismi explicationem officijs promoueant: ad eumq. multorū animos muneribus alliciant. Vbi audierunt, augescente numero discipulorum, quartam classem adiectam, alium nobis aptiorem ad hoc muneris locum dare cō stituerunt. nec desunt ciues reliqui, quorum impensa emptum solum templi quinque florenorum millibus, sacraq. aucta supellex. Nobilis quædam moriens bonam partem suburbanæ villæ Collegio legauit. eius reditus centenis aureis anno æstimantur.

COLLEGIA. BRVGENSE Iprense, Cortracense.

BRVGIS decem. pauci videlicet: sed maior fere quam pro numero fructus. concludetur paucis. Priore anno sexaginta nouam exorsi vitam, vetere omni per confessionem retexta. Virgines duæ se castitatis voto: tres etiam religionis obstrinxere. Vnus hæresi laborans persanatus est. Vincti qui erant, adiuti con-

ti conquisitis eleemosynis. Mulieres quædam, quæ comprehensæ a militibus tamquam de prodenda vrbe coniurassent, tradebãtur ad necem, nostrorum precibus remissæ. Sodalitas Beatæ Virginis nuper sata Patris Prouincialis manu, Diuino irrigata imbre roboratur in dies magis. Posteriore anno excurrentibus assidue hostibus, lateq. omnia vastantibus, cum summa rerũ inopia laboraretur, nostris, Diuino prorsus beneficio, nihil defuit. Supplicationes decretæ propitiandi Numinis, precesq. susceptæ. Incesta coniugia rescissa. pacati discordantes. persuasum hæreticis, vt recta saperent, nonnullis. vni, ut in templo palam ex Decreto Tridentinæ Synodi falsa dogmata retractaret. Huic, cum captus esset iure belli, promissa erat libertas a Sereniſſimo Parmensium Duce, si hæresim abiuraret. abnuit primo, & obduruit diu: flexus tamen Deo volente, gratum præbuit vrbi spectaculum. In vicinis præsidijs refecti milites concionibus Sacramentisq. Ereptæ nõ nullis concubinæ, eæq. honeste collocatæ. e nostris denique frater vnus phthisi extinctus.

IPKIS Doctrina Christiana traditur Dominicis festisq. diebus, & quarta quaque feria magno concursu: pœna addita docẽtibus pueros puellasq. ni suo quisque cum grege adsit. inter patrem filiumq. pax composita instituta consuetudo, ut qui sunt capite plectendi. opportune Eucharistiam præcipiant: ac nonnulli similes excitati confirmatiq. ut Christiane moreretur. artium Magicarum instrumenta disiecta. nosocomium sæpe uisitatum, actumq. cum eius magistro,

gistro, vt qui admittuntur, ab ipsa peccatorum confessione auspicentur. falsæ aliquot criminationes reprehensæ: pagi non sine fructu decursi: pecunia ex iniustis possessoribus ad veros dominos retracta. Catholicorum numerus maior factus. auctus ornatus templi sacra veste, reliquijs q. Sanctorum, quas a Patre Prouinciali transmissas, ipsemet Episcopus, suarum confirmatas testimonio litterarum, religiose collocauit. Quattuor, qui hic sunt Mendicantium ordines, ita erga nos sunt affecti, vt in communi conuētu sanxerint, ne cui liceat Societatem nostram impune verbis obterere. Assiduos inter bellorū strepitus, personuerūt tamen scholæ vocibus magistrorum, in discipulorum cœtu, non magno quidem illo, sed & pio & nobili: excellunt ij maxime, qui in Sanctissimæ Congregationem Virginis adscripti.

CORTRACI superiore anno, quo erat Residentia, septem. Proximo, quo Collegium vocari cœptum, vndecim. Duplicatum vectigal domesticum, ad annuam florenorum summam millenorum & duceno rum excreuit. Societatem auxit vnus. A fundamentis gymnasium extructum. conciones varijs in locis habitæ quinæ. tribus in locis tradita fidei rudimenta. Idem factum sex septem in pagis haud procul ab vrbe. Hæretici aliquot sapientiores effecti. Sodalitas Augustissimæ Dei Matris Augusto proximo instituta, suas iam nunc primitias dedit. Quinque Sancti Francisci ordinem ingressi. Vni ex ijs, cui sanguinis fluxus vitam ademptum ibat, salus videtur reddita suscepto voto restituendæ domi suæ imaginis Deipa-

ræ, in veterem locum, vnde ab Iconomachis fuerat deiecta. Carcer aditus: aliquibus salus impetrata, firmata prius fide virtutis amplectendæ. Deducti aliquot ad supplicium: vnus eorum ea pietate flagrans supremo tempore, ut sacram Crucifixi imaginem, quã subinde respiciens osculabatur, numquam sibi euelli pateretur e manibus: donec tandẽ ijs morte laxatis, in saxeum solum e sublimi decidit, ac (quod mirum visum est omnibus) infirmissima licet materia, sustinuit ictum.

RESIDENTIAE. GANDAVENsis & Valencenensis Missioq. Montensis.

GANDAVI septem. Datur enim opera a magistratu: vt quos reditus Societati annuos assignauit ciuitas: ij ad nos sine vllo labore perferantur. ita liberiore animo in salutem proximorum incumbimus. a scelere flagitioq. abducti permulti: a consilio etiam voluntariæ mortis vna, quod ipsum testata est prolato laqueo, quem sibi parauerat. Multa coniugũ finita litigia, interruptaq. diuortia. Reperta absolutio innocenti cuidam, qui falsi damnatus crimi nis, ducendus erat ad necem. ad Ecclesiam fugitiuos aliquot pœnitẽtia reduxit. procurata res pauperum ac peregrinorum, vt utrisque locus esset ac cibus, quem sæpe piorum liberalitate collegimus: quin & manci captiq. pedibus, conductis carris in xenodochium inuecti. Vnus eorum, qui apud nostros confiteri soliti, inciderat in noxam: affirmauit postea se insequenti

quenti nocte e cubili extractum, ad fenestram q. adductum, ibi solicitatum ad ruinam a dæmone, quem cum agnouisset, Dei implorata clementia, periculum effugit. Catechismus in templo nostro explicatus, & alijs præterea in locis quattuor. quamquam mendicorum etiam greges Christianam doctrinam edocti ad limina potentiorum, a quibus stipem opperiebantur. Vix certus iniri eorum numerus queat, qui omnem retro egerunt confessione vitam, & emendarunt culpam. Sed eius tamen hoc argumentum: quod priore anno sacerdos tantum vnus audiuit centum: posteriore auditi, tantum biduo, viginti. Sed in his tria accide runt digna, quæ scribantur. Mulier quædam omni iam exuerat religione animum ob turpem peccandi licentiam: ita corpori tantum & voluptatibus seruiens, iamdiu perdiderat animam. Hanc eius exorauit consobrina, vt audiret semel vnum e nostris ad populum verba facientem. incidit in sermonem de extremo iudicio. Intremuit illa primum post hoc quasi fulmen attonita: deinde vero redijt ad cor: & lætante consobrina salutem confessione quæsiuit. Caluinum secuta erat alia, mortiq. proxima, per eius vestigia ruebat in Tartarum: sed persuaderi sibi tandem passa ab vno sacerdote, vt vel in ipso fine meliorem respiceret viam, iter auersata superius, Catholicoq. instructa viatico, migrauit e vita. Infestabatur denique virgo visis per noctem horrendis, nullamq. corpore capiebat, aut animo quietem: peruellebatur etiam conscientiæ stimulis ingentibus: venit ad vnum e nostris. Hic cum multa versasset, sagaciter inquisiuit, quibus orta

parentibus: audiuit Anabaptistis. percussit hic sermo animum: atque ex obscuris primo, tum deinde clarioribus vestigijs eo peruenit, vt eam intelligeret nondũ sacrosancta aqua tinctam. Vbi lustrata est, omnis penitus horror & stimulus abscessit. Dominicanorum familia perstudiosa nostri ordinis frequentibus cotuit, vt ne eorum quisquam nostram Societatem verbo lædere audeat.

VALENCENIS septẽ. Nihil fere omissum e muneribus Societatis. Quadragesima tota reliquoq. anno diebus festis de Diuinis rebus sermo habitus in templo. elementa item Christianæ fidei tradita pueris puellisq. plus mille quingentis. addita piorum Sodalitas ad opus promouendum: in quam ipse Archiepiscopus & Abbates tres, magno populi applausu, nomina dederunt. sedatæ rixæ inter multos, quidã, qui vxore viuente concubinam superduxerat vxoris loco, litteris nostrorum admonitus restituit se priori coniugio, adulterino dimisso. Constituta pax inter aliquot coniugum paria, qui cum discidio voluntarium videbantur feciſse diuortium. Male parta, bene reddita. Xenodochium perseuerat in instituto menstruæ confessionis. Confessiones in vrbe frequentes: generales fere centum. Inter has, vnius mulieris, quæ hoc remedio corpus etiam videtur e dæmonis arbitrio eripuisse. Non neglecti qui erant in publica custodia. vnus ex his, innutritus bello, odioq. religionis, itaq. alte immersus in hæreseos cœno, vt liturgiæ palam spurcissimo ore malediceret: cum capitis esset damnatus, etsi principio non congressum modo sacerdotis nostri,

stri, sed etiam conspectum vitauit: opportuna tamen importunaq. eius perseuerantia dedit manus, priuataq. facta & publica exhomologesi, tarde quidem, sed non sero satisfecit Catholicæ religioni. Mens eadem iniecta alijs quattuor, qui eã coram multitudine in templo professi. complures quoque falsarum pertæsi opinionum, veritatem amarunt. labentes etiam cadentesq. fulti nonnulli: iacentes erecti. Quam vero magnus sit, quam certus erga nos ciuium amor, incerta res quædam facili negotio demonstrauit. Celebrabantur forte in urbe, anniuersario ritu, ludi sollemnes: vniuerso populo ad spectaculum effuso. Nuntiatur interea, sacerdotem vnum e nostris cum comite venisse in grassatorum manus. Nihil grauius venire poterat ad aures ciuitatis: ita quasi nebula serenum infuscauerat diem. Proripiunt se primores e spectaculo: conferuntur capita. nec mora. exitur ex vrbe: longe discurritur: armati milites ad varia mittuntur loca: obsidentur viæ, atque earum diuortia: admonentur oppida finitimorum. non potuit clarius ostendi publicæ caritatis argumentum. redintegrata postea auctaq. lætitia est, vbi Sol nubem discussit: nostriq. exuti quidem pallijs, sed salui atque incolumes reuerterunt.

IN MONTENSI Missione sex. Non in ipsa tantum vrbe, sed in pagis etiam, ad quos excurritur nonnumquam, adiuti quamplurimi. In vno vir segregatus a pellice, cum qua diu consueuerat. In alijs vetus quædam deleta cõsuetudo, quæ rusticano quidem more, sed indecoro, in cærimonias sacras irrepserat. Pauperum familiæ: carcer: Xenodochia: externis sæpe

recreata opibus, interniſq. Confeſſiones multæ paganorum exceptæ. Totius vitæ vnus vno anno audiuit quinquaginta.

PROVINCIA FRANCIA

SEDES noſtrorũ in Prouincia Francia ſeptẽ: Socij quaſi ducenti quinquaginta tres. In Domo Profeſſa Pariſienſi viginti. In Collegio duodeſeptuaginta. In Muſſipontano ſexaginta ſeptem In Viridunẽſi quadraginta duo. In Biturigenſi ſex & viginti. Octodecim in Niuernenſi. In Augenſi tredecim. Obijt, quod ſane quam admirabile fuit calamitoſis hiſce temporibus, vnus. Societatem ingreſſi viginti quattuor.

DOMVS. PROFESSA. PARIſienſis.

PROFESSORVM Domus Pariſienſis magnam erga ſe Dei clementiam prouidentiamq. experta eſt, cum in ea difficultate annonæ, qua maiorem nullam meminere Pariſienſes, ea maxime tempeſtate, qua principes viri amici noſtri extra vrbem diſtinebantur bello, graui item graſſante morbo, nihil defuerit ipſi ad vitã tuendam, nec e noſtris quiſpiam

piam decesserit. Templi ædificatio absoluta est, ipsiusq. altaria consecrata. Ad aram maximam conuestiendam insignis accessit ornatus, cum sacerdotis casula, Reginæ ipsius non donum modo, sed etiã opus. Ipsa porro Regina Sancti Ludouici festo ac sollemni die venit ad templum, Sanctamq. Eucharistiam de manu Fratris sui germani Cardinalis accepit. Inuisit etiam templum aliquando Regina mater cum Borbonio Cardinale Regemq. Filium, qui tunc erat ad exercitum, vt Deo commendaremus, proprie atque enixe rogauit. Neque enim paruam, aut obscuram habet erga nos vtraque Regina propensionem voluntatis. nec minor est ciuium caritas & benevolentia ipsiq. vicissim a nobis adiuuantur. Cõplures enim aggressi sunt ad arcem pietatis excitandam, exercitiorũ ante spiritualium, generaliq. confessionis iacto fundamento. æris restitutiones factæ & multæ, & magnæ, siue propter pecuniam iniuste partam, siue propter Ecclesiastica beneficia male possessa: quæ etiam abdicarunt: nonnulli, quod fraude ad ea peruenissent, ceteri quod præter ius fasq. haberent multiplicia. leuata eleemosynis permultorum paupertas, visitati ægri, instructiq. morientes. aditum ad orphanotrophia & carcerem: et vtrobique tum erudiendis animis, tum e peccatorum gurgite extrahendis, opera impensa. quin etiam eodem euentu prosecuti nostri non paucos, qui agebantur ad mortem. quod tũ denique, vt faciant, rogantur a Iudicibus, cum vel magna est atrocitas supplicij, vel dignitas personæ: vt eorũ præsentia afferre reis aliquid possit, vel ad firmitudi-

nem animi, vel ad solatium. Conciones habitæ in templis præcipuis, nec mediocres vtilitates consecutæ. confessiones auditæ, & vniuersæ quidem vitæ quamplurimæ: hæc est enim omnium fere opinio & oratio, tum denique satis eorum fieri conscientiæ, cum apud nos confitentur. quam ob rem nonnemo septuaginta milliarium suscepit viam, vt audiretur a nostris. Aliquot fuere præterea viri magnæ auctoritatis & doctrinæ, qui libris cum abundarent ex eorum genere, quos habere Catholicorum lege prohibebantur, eos vel combusserunt ipsi, vel attulerunt nobis ad comburendum. Nec vero nihil profectum cum altero sexu, seu declinationē quæras a malo, seu in bono perseuerantiam. sed hæc cōmunia. illud fortasse proprium. quod Catechismus bis quothebdomadis in templo nostro explicatur, eo fructu studioq. puerorum, vt ad illud exemplum Episcopus in omnibus paræcijs doceri iusserit: pueris nimirum puellisq. ex editiore loco aduerso, sese inuicem interrogantibus. quam rationem probant mirifice Parisienses, in eaq. maximā spem reponunt pietatis reuocandæ, fideiq. retinendæ. Nec tamen in vrbe solum nostrorum industria spectata est, sed extra vrbem pluribus in locis. Quadragesima enim, Aduentusq. tempore, exierunt ad Biturigas, Turonenses, Metas in Lotaringiam, Rhedonas in Britanniam, vbi cogitatur de fundando Collegio. quamquam idem quoque Turones meditantur & Lemouices, & aliæ ciuitates Galliæ nobilissimæ. Missus est etiam sacerdos ille, qui Catechisten agit, Bogentium (hoc nomen est oppidi in Aurelianensi) et

magno

magno opere ciues ad Dei cultum excitauit, tum quotidianis publicis comprecationibus, tum assiduitate introducta Sacramentorũ, tum Catechismi vsu ad pueros instituendos: qui auidissime exceptus, ne vllo vmquam tempore intercideret, descriptus scite ac litterate, affixusq. est in templo, statutumq. vt singulis mensibus prima die Dominica, de eo publice haberetur a pueris disputatio. multaq. eiusmodi in eo oppido perfecta. Sed illud illustre. Archidiaconus simultates habebat cum, fratris ne, an sororis, filio: itaq. se difficilem asperumq. in ea re præbebat, vt eum ne dignaretur quidem aspectu. Inuitauit ad prandium hunc nostrum, quem iam diximus Catechisten. plenum erat conuiuium ac frequens: conuenerant enim alij etiam inuitati viri nobiles. Vescentibus alijs, solus noster nondum explicato mantili, cibum non capere. Quod cum esset animaduersum, actumq. cum eo ab omnibus, vt comesset quicquid esset appositum: Mihi vero, inquit ille, certum est tãdiu ex hisce rebus nihil degustare, quoad in hac mensa Archidiaconi fratris filium non videbo. Demisit hic vocem & oculos conuinator Archidiaconus. Verum cum idem rogarent alij, ne conuiuis esset molestus, non vetuit illum vocari: qui in patrui conspectum complexumq. cum venisset, quasi soluta nube simultatis vtrinque lacrimarum imber consecutus est, index futuræ in posterum serenitatis. Iam antequam discedo e Parisiensi Professorum Domo, illud adscribam, quod erit, opinor, omnibus auditu iucundissimum. Est in ea vicinia honestus vir quidam ætate pro-

te prouecta: cuius magna in primis erga Patrẽ Franciscum Xauerium veneratio: tum quod multa de sanctitate ipsius, fama & auditione cognouit: tum propter quoddam, quod habet in ore, acceptum ab eo beneficium. Narrat enim vxorem sibi esse, cui cum adesset olim partus, nec ad pariendum satis esset virium, eo ipso quo vita & mors distinguitur momento, eam admonuit, Xauerium Patrem decessisse (tunc enim primum de eius obitu rumor percrebuerat) virum sanctum, Deoq acceptum: proinde eius se apud Deum precibus meritisq. commendaret. Fecit illa quod admonebatur: et intermortuis vocibus: O bone Xaueri, inquit, fer opem mihi. Hoc dicto, rem miram, fetum incolumem incolumis puerpera edidit.

COLLEGIVM PARISIENSE

PARISIENSE Collegium præter quam quas secum affert vtilitates cura instituendæ iuuentutis, non dimittit etiã ea officia, quæ Professorum Domui magis propria videntur. Nam (vt de his primum dicam) non adolescentes modo, qui ad nos veniunt, siue ij sint de Conuictorum familia, siue e Seminario Regio, siue in Sodalitatem Dei Matris adscripti (de quibus postea) sed & alij promiscue frequentant Collegij ædem, vt per sacrem confessionem noxas expient, & per Eucharistiam Deo reconciliẽtur. nec defuere nonnulli, qui falsarum exuti errore opinionum, rectissimã mentem induerunt. reuocatus ad salutem, quam desperauerat quidam, propter Magicæ

gicæ artis, qua infernas umbras carminibus eliciebat, vsum, Christianis legibus interdictum: alter, a conscisenda sibi morte deterritus: alius cũ esset vi morbi mente non satis valida, sic vt se diceret iam mortuum, & Gehennæ ignibus addictũ, omnemq. asperna retur animi corporisq. medicinam, ad confessionẽ allectus, & in vtroque homine persanatus est. Fugitiuus quidam Maurus natione, mãdatu Episcopi apud nos rite præmunitus, Christiana sacra suscepit. Vnus item atque alter non iisdem temporibus, cum dãnatos sceleris eam pœnam sequi oporteret, vt laqueo vitam finirent: etsi obduruerant primo, vt neminem audire vellent: paulatim tamen, ne soluta corporis naue facerent animæ naufragiũ, subremigantibus nostris, ac leni obsecundante aura Spiritus, in Pœnitentiæ portũ se contulere. Impeditæ beneficiorum Ecclesiasticorũ nundinationes, & iniquæ permutationes permultæ. Magnus eorum numerus, qui ad nos exercitationum causa spiritualium aduenium, e quibus vnus ad Societatem animum adiecit: maior quam vt commode exequi possim, eorũ qui generalis causa confessionis. Denique, vt hoc primum absoluam, quibus in rebus opera posita est ab Professorum Domo, in iisdem est ab Collegio quoque pro virili parte laboratum. hoc fortaße studiosius, quod duobus in Lotaringia Collegijs, pestis metu belliq. labentibus, tam multi conuenerunt, vt explerint numerum centenarium. Ad hæc, addita est illa, quæ est Collegij propria, scholarũ, & quidem bis senarum, procuratio. in illis quippe Theologia & Philosophia explicatur a magistris

ternis

ternis: in his posterioribus, adolescentuli in Grammaticæ studijs, atque Humanitatis versãtur. Vtroque anno e gymnasij vmbraculis, producta ab auditoribus in solem ac dimicationem, ex Diuina Humanaq. Sapientia problemata nonnulla: eaq. res spectata & probata magno theatro eruditissimorum uirorum hominumq. perillustrium. Quod ipsum facit, vt magna sint nostri apud omnes opinione doctrinæ: & hæreticis oculi doleant: excidant etiam verba, vt mos est iratorum, quæ sunt nostra cum laude coniuncta. Illorum quidem insipiens doctor, & forticulus, vt sibi videtur, in disputando, Beza, hac in re non parum vidit aliquando, cum apud suos in sermone quodam familiari testatus est (Balaamum alterum diceres) nulla se in Francia vitæ Christianæ & integritatis vestigia, nisi in Iesuitis intueri. emergunt quidam interdum nescio vnde extracti, qui si verbis imminuant aliquid de nostra existimatione, ex eo se crescere arbitrãtur. Ex horum numero fuit vnus, qui adolescentulos docebat mercede. Hic multis in locis, vt fit, propositis veluti edictis, professus est se ad certam diem suarum initio scholarum, quid sentiret de ijs, qui nomen Iesu profitentur, esse dicturum. admonuit hominẽ Gymnasiarcha, et Prætor vrbis, vti videret, quid ageret, ne se in periculum, quod nollet, spõte conijceret. nihilo sanior ille, hærebat in proposito. Dicta die cathedram conscendit pleno auditorio, magnaq. multorum expectatione. sed tamen cum obsoletum quoddam suum, iamq. vsu contritum explicasset exordium, progredi noluit vlterius, propterea

quod

quod de qua re statuerat, ea de re verba facere non posset: cum indictum sibi metueret (ita enim loquebatur) a Prætore silentium. Quod cum fracto animo abiectoq. exposuisset, tantus cum fremitu risus dicitur ortus, vt cum irrisione etiam tacere cogeretur. adeo inflatus visus est in pollicendo, & in dicendo ieiunus. Mille quingenti sunt, & plus eo, qui nobis dant operam, & plerique e Galliæ primoribus: quã ad rem non minimũ momentum attulit, tum Reginæ ipsius frater germanus, tum etiam Caroli Regis præmortui filius, quem vt discentem videret cum alijs aliquando, Regina Mater accessit. quamquam Principes etiam viri et Cardinales ad Collegium persæpe venerunt, vt & gymnasium inuiserent, & Sacellum, eo præsertim tempore, quo Eucharistia propalam proposita piacularis supplicatio instituta est Diuinæ pacis exposcendæ. Sed vt veniam ad Sodalitatem Beatæ Virgini dicatam: ea nunc stat ijs adolescentibus ac virtutibus, vt in cælum multorum laudibus feratur, et præclarum sane extat testimonium viri nobilis & honorati, cuius filius qui vnus erat e sodalibus decessit: tanta cum ægrotaret, & cum moreretur, æquitate animi, & significatione pietatis, ut eius pater, illam ipsam, quam perceperat in luctu voluptatem, per litteras cum sodalium Præfecto communicarit: superstitemq. alterum, quem habet filium Societati destinarit. Neque vero sodales sunt sua tantum ipsorum salute contenti, habent proximam aliorum. ea prudentia, & dexteritate, vt ab vno eorum iam duobus ad fidem traductis, eadem in alijs traducendis opera ponatur.

natur. Adhuc suam illam retinent ad coercendas libidines animi aptissimam castigationem corporis atque in pauperes liberalitatem. etsi multos cōperimus similiter ex ijs, qui celebrant nostrum gymnasium, in hac inopia & fame, de qua diximus, voluntarium sibi indixisse ieiunium, ut quem sibi deducebant cibum de quotidiano demenso, illic ad alendos miseros egentesq. transmitteretur. ex Congregatione porro, minimum decem, varijs religiosorum familijs se se dediderunt, vt alijs soluti rebus omnibus, Deo deseruirēt. eorum ad nos etiam aliqua particula peruenit: sed, vt fit, cum rixa, ac pæne iurgijs parentum. Verum ex his pauca narrentur. Receptus erat adolescens patre inuito, atque ita indignante, vt rē iudicio experiri vellet. Hoc dum molitur, expertus est iudicium erga se Dei: qui enim natum foris vnum a nobis repetebat, is alterum domi amisit, nec opina morte præreptum. Alterum eadem vrebat cura adolescentem: cumq. res inibi esset vt conficeretur, euocatur a patre, qui morbo laborabat. obtemperat filius vocanti: nec ita multo post consilium aperit: exardescit hac oratione uehementius pater, quam febri: ingeminat preces adolescens: ille perstare in recusando: adhibetur interea parochus ad confessionem: post quam, hominem admonet, vt nato se exorabilem præbeat, ne Sancto diutius Spiritui obsistat. Mira res: vbi ad leniorem mentem flecti cœptus pater, eodem pæne momento leuior est factus morbus: ita vt breui conualescceret. Ceterum alius quidam e Conuictorum contubernio, cum apud Iosephum celebrem scriptorem belli Iudaici legisset

relictum

relictum ab Angelis, quod tuebantur Hierosolymorum templum, diu in ea cogitatione defixus, visus est persæpe mediæ noctis silentio audire vocem, quæ eũ excitabat. Surge, eamus hinc, iam tempus est. quam rem cum aperuisset aliquando anxius sacerdoti apud quem confitebatur, eiusq. admonitu, alter veluti Samuel respõdisset [Loquere domine, quia audit seruus tuus] vocem quidem nullam præterea audiuit, sed se adeo immutatum animo sensit, vt aliud nihil, nisi cælum & cælestia cogitaret. Perpolitus deinde institutionibus spiritualibus, videbatur audire identidem loquentem in aurem [Qui non odit patrem] nostis reliqua. Itaque relictis rebus omnibus, nostramq. ingressus religionem, feciſſe se re ipsa ostendit, quæ vox illa missa diuinitus imperauit.

COLLEGIVM. MVSSIPONTANVM.

MVSSIPONTI idem qui Parisijs scholarum numerus, discipuli pauciores, videlicet nongenti: quorum nunc est maior industria & pietas, ex quo Pontifex Maximus trãsmisso huc diplomate ostendit sibi placere, vt qui nostri esset Collegij Rector, vniuersæ idẽ esset Academiæ moderator: ægre ferentibus licet quibusdam, qui discessum ab vrbe præoptauerunt disciplinæ. ergo his, qui superfuerunt, opera impenditur: nec sane inutilis. septem in Societatem admissi: quindecim ab hæresi reuocati: plurimorum totius anteactæ vitæ confessiones exceptæ.

Vnus

Vnus ex his fuit, cuius cum pudicitiã procax femina precibus primum muneribusq. dein blandicijs & lacrimis oppugnaret, nec delenitus donis, nec victus illecebris, omnes hostiles machinas constantissime refutauit. Ita prætulit voluptati virtutem. Ad quam alter quidam haud paulo deteriore fama excitatus est: quod vidisset se in quiete a dæmone e lecto deturbari, mox in orbem circumuolui, atque in nihilum redigi. qua quidẽ re perterritus, admonente amico, cui somnium narrauerat, nihil prius habuit, quam ut confessione una se eximeret ab culpa omniũ scelerum, quæ admisisset in uita. Melior species obiecta dormienti alteri, qui cũ ancipiti distraheretur cõsilio, daret ne Societati nomen, ad quam se uidebat impelli, an opimo Ecclesiastico beneficio, quod ei offerebatur, opitulatum iret suis, uidit iuuenem eximia dignitate oris (Angelum credidit) a quo primũ dubitans castigatus est, deinde uero ita confirmatus in meliore proposito, ut omnis recusatio fuerit adẽpta. ea scilicet fuerunt dormientium somnia: at hæc duo, quæ sequuntur, visa vigilantium. Magno erat natu mulier, morbisq. confecta iam in exitu vitæ, quam cum laude traduxerat. Parat se ad extremum certamen Ecclesiæ Sacramentis: adest subito magna hostium caterua excita ab inferis, quos a se uideri dictitabat nullo trepidationis signo dato: quod cælestibus munita armis, sub umbra Diuini lateret auxilij. itaque omnis illa monstrorum turba, cum haberetur ludibrio, euanuit. Quod & fratri cuidam nostro accidit, qui cum iter faceret cum comite externo, vt ad

proximum

proximum pagum diuerteretur, & nox euntes oppreſsisset, narrat ase ſex ſeptem cacodæmonas aſpectos fuliginoſæ in ſpeciem caliginis, cui ater ſublucebat ignis, forma moloſſorum, quales ſæpe in ijs locis conſpici dicuntur uiantibus nocturno tẽpore, ut aberrare cogantur. Gnarum id fratri. itaque hæc ſpectra procul intuitus, confeſtim ſacrã reſticulam globulorum, quibus Orationem Dominicam Angelicamq. Salutationem diſtinguere & numerare ſolitus, in manum accipit: dat alteri pyxidulam, in qua aliquot e cera conſecrata agni cæleſtis imagines: nec mora: quæ ferarum ſimulacra contra ferebantur, retrocedere uiſa, dum tandem ad fluuium, qui erat pago proximus, apparere deſierunt. Magna hæc ſunt, nec miraculis abſimilia: quemadmodum & illud alterum. Agebat puella octauum annum, ſed iam quartum, deuotionibus, ut ferebatur, obſtricta, ita duxerat, ut nihil eloquẽs intelligẽter, aſſiduo ſingultu gemituq. e materno pẽdens collo, nõ auditu minus eſſet, quã uiſu miſerabilis. hanc exorciſando ſacerdos unus e noſtris, ciboſq. ei apponẽdo, quibus ipſe benedixerat, Deo bene iuuante, eo rem deduxit, ut ea non ita multo poſt uegeto corpore perrexerit ad templum, expeditaq. lingua, apud ſacerdotem, Deo, ipſiq. ſacerdoti propter Deum, gratias egerit, a quo ſe beneficium accepiſſe lætabatur. Nec minor ſpectata Dei clemẽtia in altera puella, quæ cum per duos annos recidiua quartana laboraſſet, rogaſsetq. e noſtris unum (habet enim domum noſtris ædibus proximam) an alligaret ſibi ad collum amuleti ratione quaſdam preça-

tiones rite descriptas, illudq. responsum absoluisset, præstare coram Sanctissimo Sacramento, vbi Deus verus est medicus, procumbentem orare, vt si foret hoc ad ipsius Dei gloriam, reciperet sanitatem: fecissetq. quod iussa fuerat, in ipso horrore, incipiente febre, ita se alleuatam sensit, vt ex incommoda illa valetudine penitus emerserit. Ceterum ad templi ornatū, bina accesserunt candelabra ex argento magni ponderis, binæq. hamulæ eiusdem materiæ, cum sacerdotis planeta serica, argentoq. intertexta: viri cuiusdam dono, qui ea cum ad nos misisset, nomen suum latere voluit. Additum est etiam non parum ad frequētiam, Sereniſſimæ Ducis Braunſuicenſis exemplo: quæ cum iam confiteatur noſtris in omnium conſpectu, auctor fuit ceteris illuſtriſſimis feminis idem præſtandi, quæ antea pudore impediebantur. Nec ſua uiris virtus, aut pietatis gloria defuit: e quibus vni perſuaſum, vt abijceret conſilium cædis, quam inimico moliebatur. Alter vero, qui alias aliud nihil dicebat eſſe dulcius vltione, quærenti cuidam an æquo eſſet animo laturus iniurias, ſi ſibi imponerentur: Ego vero, inquit, propter Deum non æquo tantum, ſed libenti etiā perferrem. Sic Deus immutare ſolet hominum voluntates. Quod & factum in mercatore Scotico, eodemq. hæreſi corrupto: qui cum huc veniſſet ægrotus, Scoticorum opera alumnorum, qui verſantur in Seminario, noſtrorumq. hortatu hæreſim eiurauit, moxq. munitus Sacramentis, inter recitandam orationem Dominicam, animam Deo reddidit. Denique in latrone nobili: qui damnatus capitis, cū ageretur in rotam, Cruci

fixi

fixi memoria, suorumq. recordatione peccatorum, quorum pœnas luebat, ita obfirmauerat animum, vt ad singulos ictus IESV nomen vsurpans, superante pietate dolores, in acerbissima morte, lætantis speciem præbuerit. Atque hæc in vrbe Mussiponti. vnde, quoniam timore belli, hostiumq. aduentu discedere coacti sumus, nostrarũ operarum labor in uaria oppida castellaq. (ea fuere plus duodecim) manauit. Lõgum esset nunc omnia persequi: ibitur per capita. Hæretici, quorum Ministri, imperitiæ (vt videbatur) conscientia, nostrorum vitauerant colloquium, ducenti circiter ac septuaginta ad fidem conuersi. auditæ confessiones plurimorum: pax inter multos composita: adiuti morientes, et qui trahebantur ad supplicii: tradita pueris elemẽta religionis: multa denique præclara non in rem modo præsentem, sed in spem etiam futuri temporis vtilia. Quibus effectum, Deo iuuante, vt ille secessus, qui fuit propemodum necessarius, hisce populis, quo nostri commigrarunt ad tempus, optabilis fuisse videatur.

COLLEGIVM. VIRIDVNENSE

VIRIDVNI illustrauit nostrorum caritatem annonæ caritas, qua, ea est in vrbe laboratum: nam & centenos vicenos diebus singulis cibo sustentabant, & cum Cardinalis Vademontanus ac Viridunensis Episcopus ad portas confluentibus turbis, panem, vinum, opsonium apportari quotidie iubebant: quorum corpora reficiebantur, eorum expolien

dis animis expiandisq. operam ponebant. Consecuta famem, vt fit plerumque, morborum contagio: nec no strorum quoque hoc tempore cura desiderata est. et suus constitit labori fructus ac solatiū: multis pie decedentibus, nonnullis ab ipsa statim confessione febri liberatis. etsi Cardinalis beneficentia propemodum Rege digna, non vrbanis contenta terminis, se latius explicauit. in singulis enim oppidis ditionis suæ certos constituit viros, qui cibaria distribuerent pauperibus: ne aliunde petere cogerentur. Accendit ea res priuatos etiam homines: ex his multos, qui vitæ studio perfectioris templum nostrum frequentant. Itaque potentiores alij per trimestre spatium duo millia pauperum publice aluerunt: tenuiores alij, quod ope non poterant, in inuisendis ægrotis, eisq. curandis, assiduitate præstabant. Quibus in muneribus, quoniam ita emicuit virtus trium feminarum, vt reddiderint fere priscas illas mulieres, quæ vires ac facultates suas in pauperum salute consumpserunt, non ab re fuerit, de ijs aliquid in has litteras referre. Earum per se vnaquæque officia exercebat caritatis, tum in omnes, tum in muliebrem præcipue sexum, qui erat coniunctior similitudine, et periculo propior: ita sarcientes in alijs pudicitiæ naufragium, detorquentes aliarum naues a scopulis, ne frangerentur, apud se primo in portum recipiebant: postmodum vero, uel pijs commendabant matronis & nobilibus, uel conquisitis eleemosynis, in matrimonio collocabant. nulli pauperi, nulli ægrotanti fides earum (quantum uires ac pudor patiebantur) nulli opera defuit, nulli

res familiaris. Quamquam, Deo prouidente, fiebat, ut etsi seorsum in eodem opere singulæ laborabãt, unius tamen opera maxime enitesceret. quæubi quasi defuncta esset cursu, in eodem curriculo, ardentem eamdem facem alteri dabat. Ea quæ primæ successit, virum habebat pudicum & pium: sic ut post prolem susceptam, mutuo consensu obstrinxerint se uoto castitatis: quod per nouem ipsos annos, ut unam celarent ancillam (neque enim erant amplissimis copijs) in eodem lecto cubabant. similem igitur continentiæ dedit eis Deus in pauperes uoluntatem. Constiterat inter ipsos, ut neminem, qui ad fores accederet stipem quæritans, inanem abire paterentur. De quo proposito cũ sacerdos e nostris pro eorum tenuitate remittendum putaret aliquid causa filiorum, respondit uir præsenti animo: Præstat nostram omnem quantulamcumque distrahi supellectilem, quam Christum fame confici. Mirum quiddam de ijs narratur, quod ego acceptum e capitibus, quæ transmissa sunt, cum fide repræsentabo. Die quodam cum iam adueperasceret, ad eos mẽdicus quidam magna oris modestia et morum probitate diuertit. quem cum sueta illa sua erga pauperes liberalitate excepissent, deinde in interiorem seduxissent partem ædium, ut ibi pernoctaret: obserato ostio, ne cuiquam ad eum pateret aditus, neque uero abitus illi, ipsis nescientibus: mane postridie ubi ad conclaue uenerunt, ut eum educerent, si ita uideretur, neminem intus repererunt. an quia mendicorum parens, mendici speciem sumpserat, ut eo indicio se quoque cum tam multi exciperentur pauperes, hospitio declara-

ret exceptum. Aliud æque mirabile eidem mulieri perhibent contigisse: vt vni cuidam, quem præ morbi magnitudine vox pariter et spiritus defecerat, ad eius preces, visus redire: & oratio: ne sine salutari confessione moreretur. Hanc ergo cum uocasset etiam Deus ad præmium, totum onus in tertiam iucubuit: quæ ad simile officium, virginitatis afferens ornamentum, hoc studiosius versatur in opere, quo in vnum illud omnis cura contrahitur. Huic etiam fama est se obtulisse Christum forma pauperis, domiq. acceptum cerni desisse: eodē prorsus modo, quo alteri: vt æquo eas dignaretur beneficio, quæ eum pari venerabantur obsequio. Nox autem illa consecuta erat diem, quo virgo hospitalissima binos erogauerat aureos pœnæ nomine, quod pauperem hospitata quemdam, commisisset contra præsentem legem, quæ (ea scilicet tempestate, qua vulgabantur morbi, vt ciues conseruarentur incolumes) e conuenis quemcumque hospitio excipi prohibebat. Hæc eadem virgo inter meditationes rerum Diuinarum, quibus sæpe tribuit binas horas aut ternas, abstrahitur a sensu mentis, & habet sæpe in suis actionibus dæmonem infestum. Hæc vnum aliquando iuuenem in extremo spiritu nihil pro sano loquentem suis precibus a Deo impetrauit, vt ad se reuertens, peccata confiteretur. Et recte. Vsu enim compertum est, non elui tantum animorum maculas Pœnitentiæ fonte, sed ex eo interdum effluere aliquid, quod ægrotationes corporis abstergat. Id probatū est adhuc alijs duobus vel tribus exemplis. Etenim mulieres duæ:

altera

altera diutino morbo, qui humanis nullis artibus, nulla magistra arte vincebatur: altera difficultate spirandi (asthma Medici appellant) vsque eo contumaci, vt sono vocis, atque anhelatione, motuq. totius corporis energumenam referret: post confessionem ita alleuari cœptæ sunt, vt videretur illis Deus (id quod re vera fuit) fecisse medicinam. vir denique vnus, qui graui impeditus egestate, tricisq. liuium, quarum erat insolens, afficiebatur errore mentis, ob id præcipue, quod nocturnam exaudiebat ex occulto vocem, per alternas vices nunc surgere iubentis e lectulo, nunc rursus ioculari quadam & desultoria leuitate reuocantis iussa & surgere prohibentis: sic vt attonito similis trepiduſq. ad omnia, suam ipse vmbram timeret. Huic igitur viro, postquam facta confessione exoluit peccatorum vinculis conscientiam, eodem tempore omnis solicitudo & inopia consilij: inuisa illa & importuna vox: timor denique omnis abscessit. Quid enim puram mentem atque integram terreat? quæ nullam, quoad eius fieri possit, in suo sinu ac recessu, non modo culpam, quin aperiat, sed ne cogitationem quidem rei illicitæ paulo morosiorem hærere patiatur? Atque hoc est alterum ex ijs, quod hæreticum quemdam Geneuensem, qui huc se cum vxore receperat, ad sanitatem conuertit. Quamquam hoc ipsum paulo altius repetendum. Ministrum hic agebat Geneuæ, inductuſq. ab alijs, imponebat populo, cæcus ad omnia, et quid ageret ignarus: imperitia enim peccabat ipse, nec erat qui regere posset. Itaque cum, Deo aspirante, paulisper aperuisset oculos, offensus

primum insolentia hominum, & impotentia irarum, quibus flagrant hæretici qui ostentant sapientiam, si quando vident plebem minus obsequentem & effusam in scelera, quã ipsi vellent: admiratus deinde Lutherianorum contentiones Caluinistarumq. inter sese nullo fine disidentium: pertæsus denique incõstantis eorum doctrinæ, Viridunum cum vxore comite venit, incertus veritatis, sed cupidus sciendæ. Dat e publico diuersorio ad Patrem Rectorem litteras, quibus causam exponit aduentus. Accedit Rector, humane complectitur hominem, benigneq. alloquitur, atque erigit in spem salutis. surrexit eius rei fama, peruenitq. ad aures Cardinalis, qui vt erat ad eiusmodi omnia attentissimus, uxore eius pudicæ cuidam commendata feminæ, virum ad nos in Collegiũ deduci iubet. vbi per dies viginti edoctus atque instructus, duo sibi dictitabat præcipue, in illa quasi noua luce, admirabilia videri: alterum, quod e Sanctorum monumentis Patrum, quæ sibi peruolutanda offerebantur, didicisset, Catholicam religionẽ ijsdem adhuc, quibus inædificata fuerat, stare fundamentis: alterum quod ad obrussam noni decimiq. præcepti, exigeretur castitas animi omnino singularis: cum oporteat non solum intactum corpus libidine, sed etiam oculos habere continentes. quam rẽ vtramque Geneuensium magistelli ita eludunt atque effugiunt, vt eam miro artificio conentur vel dissimulatione tegere, vel taciturnitate celare. Adductus est, Deo propitio, ad verum ritum cultumq. religionis, incredibili cum voluptate Cardinalis, qui tamen Cardinalis (vt est magna

gna fragilitas & imbecillitas humani generis) paucis post an diebus an mensibus, diem obiit extremũ: tanto nostri cum mœrore Collegij, quantum summa eius erga nos benevolentia postulabat: etsi eximia eius virtus certissimum hoc attulit solatium, quod spe deducimur ad eam cogitationem, vt (Deo nimirum duce atque auctore) Illustrissimo Carolo a Lotaringia Vademontano Cardinali suprema vita fuerit ad cælum via, vbi Beati sempiterno ævo fruũtur. Eodem prorsus anno excesserat Antonius eius frater non minus pietate, quam cognatione germanus: qui per Lotaringiorũ decurrens vestigia, fratri præcesserat minor, vt maiori locũ pararet. Quid ni enim de Antonio quoque sperare optima debeamus: qui, vel quia cum quartumdecimum ageret annum, non se immersérat rebus terrestribus, vel quia in illa sese ætatula ad imitationem cælestium erexerat, in cælum videtur evolasse? Ipse quidem pridie quam abiret, videre se dixit columbam candoris eximij, cuius aspectu ita lætatus est, vt de ea loquens assidue, faceret omnes participes lætitiæ suæ. Horum propterea germanorum narrata est mors gemina, quod cum vterque nostræ esset Societatis studiosissimus, atque alumnus disciplinæ, quibus vsi sunt doctoribus in vita, eosdem habere quasi deductores in morte voluerunt. Obiit etiam sacerdos vnus e nostris septimodecimo post anno ab ingressu, vir spiritu feruens, deq. suis virtutibus sentiens humiliter: qui in supremis nihil aliud fere habebat in ore, nisi quam re ipsa semper ostenderat, quaq. salua, nihil esse asseuerabat cuiquam e nostris

stris in morte desperandum, parendi diligentiam. Quã uidelicet cum cupiditate salutis proximorum, æmulati sunt alij ex eodem Collegio. Quoniam enim iam armis & apparatu bellico strepebant omnia, nec procul aberat hostis instructus, tabesq. serpebat in dies longius, quæ fœdabat corpora: uisum est ut discessione quæreretur fuga periculorum. Itaque Nouitijs Lutetiam profectis, reliqui, terni quaterni dilapsi alio atque alio, ijs apud quos uersantur, pro temporarijs spiritualia reddentes, tantam collegerunt apud omnes existimationem, ut Menechildenses, Catalaunenses, Rhemenses quasi certum datum illis esset habitandi, non commorandi diuersorium, iniquo animo eos ab se discedere patiantur.

COLLEGIVM. BITVRIGENSE

NEC MINOR Bituricibus, quam Viriduni morborum lues, & frugum inopia fuit: parq. nostrorum studium in formandis hominum animis, fouendisq corporibus. Primum enim cautum est, vt qui de suo non possent, viuerent de alieno: & quibus nulla erat domus, per alienas tribuerentur. Itaque nobis viginti capita & plus eo obtigerant alenda. Sed cum ne hac quidem ratione (confluente maiore in dies multitudine e vicinis locis) satisfieri omnibus posset, ne receptis in vrbem alijs, alij se quererentur exclusos: parari placuit passim cibaria, afferriq. ad omnes portas, vt conferti pauperes vescerentur. At cum glisceret quotidie pestis, vulgoq. multi morerentur

rentur, nec noſtra intacta eſſet morbo vicinia, inte r-miſſis ſcholis, clauſoq. templo, ad menſem ceſſimus, extra vrbem tutiora quærentes. Quo tempore (momento enim noſtrorum abſentiã ſenſere mendici) tantus ad nos concurſus factus eſt, quæritantium cibos, & quiritantium, vt illud fere vnum perfugium paupertas haberet. vrbs interea deſiderium noſtri ferre non potuit. itaque reuocati nos: & ſcholæ ſuperiores eodem tempore reſtitutæ: inferiores paulo ſerius: auditores omnino quadringenti. elucet pietas omnium, eorum magis, qui ex Patris Ignatij exercitiorum libro, quaſi ex ſilice, abſtruſa Diuini ignis ſemina extundentes, ſuſceperunt ignem pectoribus, vt magis ardeſcerent. Deuouerunt ſe Deo in varias abditi religioſorum virorum familias ex horum numero ſex: quattuor in noſtram. Abſterriti permulti ab eſu carniũ non legitimo. Non pauci pueri a Libertinis, vt vocãt, parentibus, Quadrageſimæ tẽpore nulla ratione adduci potuerunt, vt carnes attingerent. libri complures Catholicis prohibiti ſanctionibus, incenſi. reſtinctæ multorum inimicitiæ, & cupiditates, ſeu lucri, ſeu libidinum, iniuſtæ. Excitati beneficiarij clerici ad ſtatas preces Deo perſoluendas. Nonnulli, quod id facere neglexiſſent, damnati pecunia inopiæ ſubleuandæ. ſuus enim apparuit a confeſſionibus & a concionibus fructus, ea maxime tempeſtate, qua promulgatum erat ab Rege edictũ de hæreticis, qui ad Eccleſiã redire nollent, e Regno pellendis. Eorũ porro, qui reſipiſcerent, ſuſcipiendorum cura, mandatu Archiepiſcopi & Patriarchæ Biturigenſis commiſſa eſt tribus ſacerdotibus

cerdotibus nostris, vrbana vni, Prouincialis, vt ita dicam, duobus offensi his de causis aduersarij, quod Catholica religio per nos stare uideretur: ut patefacta coniuratione, quam inierant sceleſti quidam homines ac perditi prodendæ urbis, compertum sit nostram domum inter primas designatam irruptioni fuisse. Itum est igitur ad Sacrum Cæsaris (nomen est ciuitatis ad Ligerim) eodemq. tempore ab altero Issodunum. et utrobique reducti multi errãtes ad Christi gregem. nauata suprema opera morientibus. Doctrinæ Christianæ tradita pueris & rudioribus elementa. Dierum sacrorum & negotiosorum ratio, quæ a plerisque contemnebatur, explicata diligentius. Impacta securis siue iniquæ, siue superstitiosæ consuetudini non uni, quæ a uetustate robur acceperat. in his quædam erat, qua per Epiphaniorum ferias cursitãtes per urbem Clerici, et obuium quemque uerberãtes, referebãt Lupercos. Nihil denique prætermisũ, quod pertineat vel ad falsam religionem euertendã, vel ad veram restituendam: adiuuante nimirum Deo consilia nostrorum, cuius ad laudem eorum studia omnia factaq. referuntur.

COLLEGIVM. NIVERNENSE

IAM VERO quæ de Niuerno scribẽtur, partim erunt vrbi propria, partim illi cum finitimorum oppidis communia: etsi de his quoque attexentur paucula separatim. Propria igitur hæc. Episcopus, quæ eius est humanitas, nostros amare pergit, eorumq.

eorumq. vti opera in populo instituendo. clara itidem ciuium erga nos beneuolentia: enituit autem superiore anno illustrius, quod Collegij nostri reditus, quantum vellemus, auxerunt: non denegaturi dare plura, si rogati essent. Ceterũ in subleuandis sontibus, cum persoluerent supplicia, vtiles visi sumus. Discipuli in quinque distributi classes, circiter quadringẽti. Magna eorum virtus & industria: hoc præcipue tempore, quo addita Sodalitate Sãctissimæ Matris Dei, ingens ad pietatem stimulus accessit. Duo e sodalibus quasi primitiæ sese Deo in Cœnobijs consecrarunt. Aditum nosocomium & publicus carcer: e quo cum se mulier quædam instinctu dæmonis coniecisset in puteum, & interim de more salutaris impressione signi frontem armasset, IESVM implorans, nihil offendit: cum tamen inde extracta vexaretur a diabolo, aduocatus ad eam sacerdos, aspersione lustralis aquæ, & confessione excepta liberauit mulierem ab alienatæ mentis errore, & in integrum restituit. Idem alterius fuit mulieris euentus: quæ a puerperio inciderat in morbum, deplorata spe salutis. Itaque ab ipsis desperationis notis accersitus noster cũ reperisset iam voce defectam, applicat ori illius Crucem, in qua erant inclusæ Sanctorum aliquot reliquiæ, & Sanctissimæ Crucis frustillum: procumbere hortatur adstantes: tum flexis etiam ipse genibus præit voce, inuocans singillatim e libro, Beatorum ordines: eius orationem subsequuntur preces aliorum: hoc officio vix peracto, redit vox moribundæ, Deo gratias agit, ac paucis post diebus belle habuit. Neque

que vero Niuerno pestilentia pepercit, aut fames. Huic vt occurreretur, ostiatim diuisi pauperes bini. quod cum satis non esset, antiquum suum obtinuerũt morem, Antistes, & Dux vterque, vir & vxor: ille enim in vrbe, hi vero in pagis oppidisq. vicinis largam pecuniã distribuendam egẽtibus curarunt. Fuit posterior annus maxime grauis pestilentia: accesserunt ex cæli intemperie alia genera morborum: et nonnullis sane intemperiæ quædam, quibus in furorem agebantur: sic vt asseuerarent se destinatos æternis Inferorũ cruciatibus: illudq. immutabile Decretum reuocari non posse. itaque fuit in his dedocendis omni ratione pugnandum. Atque his duabus de causis, pestis nempe, & famis, factum est, vt alijs alio dimissis, nostrorum numerus in vrbe fuerit minor. Dũ igitur palantur, duobus accidit quiddam mirabile, neque reticendum. Mittebantur certum in locum, qui videbatur salubrior. vitabant de industria viam militarem, quod esset suspecta. Quærentes igitur diuerticula, productoq. itinere, nox simul & imber fœdissimus inuasit. Incerti quid agant, quam insistãt viam, cum omnia deuia peruiaq. eodem numero haberentur, destituti humana ope, ad Diuinam, nimirũ ad MARIAM Stellam ducemq. errantium confugiunt. nec fefellit. statim lux visa intendi aperuit viam. nec paulo post, Crucem conspicati ligneã, inde templum, ædesq. vicinas, vbi comiter excepti. Illa ergo propria vrbis. Communia illi cum suburbijs, nec satis distincta, hæc. Auditi quamplurimi, qui in vnam redegerunt confessionem quicquid in

omni

omni uita deliquissent. Difficile est summam subducere. vnus certe audijt centum: ut ex eo facilis sit coniectura reliquorum. qui ab hæresi se receperunt, triginta numerantur. Ergo hæc communia. De his iam paucis quæ sequentur, nihil urbs sibi decerpit. Varia, ut indicauimus, sunt percursa oppida in hoc nostrorum quasi discidio. in his duo hæreticorum templa expiata: instaurata purgataq. quattuor idem cogitabatur de quattuordecim: iamq. cum fabris de pretio conuenerat. Sed annonæ caritas pecuniam interuertit. ascita in plerisque cõsuetudo, ut quater anno Confessionis & Communionis Sacramenta repetantur.

COLLEGIVM. AVGENSE

TRIPARTITA erit eorum narratio, quæ Augi a nostris, vel eorum suasu ab alijs, ad Dei laudem & honorem gesta esse memorabuntur. Vno namque & eodem tempore est & cum fame, & cum peste, & cum morum corruptela pugnatum. ergo de ijs singillatim: et, quantum fieri poterit, breuissime. ac primum de fame. Consultum est egestate perditis, quorum in hac inopia magna copia fuit. In Collegio quidem nostro quinto quoque die, minimum ducentis tribuebantur alimenta. In reliqua vrbe habita ratio est, vt singulis singulæ diuitiorum domus paterẽt. Habitæ frequentes supplicationes pluuiæ eliciendæ in siccitate maxima: easq. Deo acceptas fuisse, effusus imber largissimus declarauit. Quo tempore sacerdos

e nostris

e nostris pro concione cum multa dixisset de amore erga pauperes, postridie eius diei Augenses mille aureorum collectam, non paruum paupertatis subsidiū, attulerunt. Difficilior autē pestis fuit: quo discrimen ijs vitæ certius, qui opem ferebant. et tamen, quod obseruarunt ciues, & adhuc mirantur, cum promiscue ad omnes nostri se conferrent, res metui propior quam periculo fuit. neminem vis morbi extinxit, sed ne tentauit quidem. eorum exemplum secuti viri aliquot, & mulieres piæ: e quibus est petitus nonnemo, nemo captus. Est in hac vrbe Sodalitium, cuius professio (suscipit cadauerum procurationem: quod cum sedulo faciunt sodales, neminem lædi perhibent, si sit Catholicus. hoc propterea additum, quia cum se in idem officium intrusissent Derpenses quidam hæretici, dederunt pœnas temeritatis suæ. neque enim putauit pestis eos esse eiusdem corporis membra: quod cum eodem capite, ideſt cum Romano Pontifice non iungerentur. In ægrotis porro visitandis, riteq. adiuuandis extitere aliquot exempla, quæ fuerunt prodigijs similia. Hæc ego leuiter, vt quodque se mihi obijciet ante oculos, nullo ordine percurram. Quidam supra biduum carnerat cibo sensuq. sed cum ad eum uenisset unus e nostris, atque hominem inclamasset, quasi excitus esset e somno, rediit uox intercluſa, & facta postmodum confessione, conualuit. Podagra alter laborabat, atque ardebat doloribus acerrimis: eodem remedio sanatus est. Quid? quod multi dum agerent animam, sacro peruncti oleo, pristinam ualetudinem receperunt? Phrenetica quædam mulier, eademq.

demq. horrendis uisis exagitata, in aduentu cuiusdam e nostris ad sese rediit. nec mora. facta confessio & morbo corpus, & animum terrore liberauit. Eodem beneficio confessionis puella una ab se remouit spectra, quibus admirabilem in modum uexabatur, post pudicitiæ naufragium. At alia quædam ui morbi ita insaniens, ut accepto ueru, neminem ad se accedere pateretur, nisi si confodi vellet, sacerdotem tãdem victa multorum precibus accersiit: apud quem cum esset confessa, tranquillissimo animo concessit naturæ. Atqui magnis utitur dæmon, ut est mirus nocendi artifex, quibus infatuet animas atque illaqueet, præstigijs. Huic quoque malo subuenit confessio. Dabat se videndum mercatoris specie cuidam viro in tenui admodum re familiari. hortabatur hominem, ut voluntaria morte effugeret vitæ durioris angustias. sic enim proniorem fore ad Cælites viam. elusit vir prudens veteratoris fallacias, tum quidem inuocatione Diuini Numinis: deinde vero, omnẽ similẽ captionẽ, ne ad se aspirare posset, confessione occupauit. In assiduo mærore erat muliercula, & squalore deformi, tũ quod mors orbauerat eã filio, subsidio senectutis, tũ quod eius uir ære oppressus alieno, quomodo se expli caret nõ habebat: lucẽ tantum fugiẽs, et publicũ, metu carceris, miseræ uxoris aures perpetuo conuicio verberabat. Hæc igitur dolore atrox, omnis expers consilij, nec capax consolationis, iacebat afflicta. In hoc angore animi, cum aliquando quadam in parte domus cum cogitatione defixisset obtutum, conuersis oculis præter ostium, sublatum brachium manumq.

aſpectat tamquam hominis amice inuitantis, vt accederet, ſimulque audit vocem. Huc ades, ac me ſequere: oſtendam tibi filium tuum. Hic illa, vt ſunt creduli in calamitate mortalium animi, habuit fidem ſono vocis incertæ: ſequitur ducem, quem non videt, quo duceretur ignara. Poſt paulo ſe aduertit perductam in ſtabulum. Hic cum dolor et furor ademiſſet omnes partes mentis, religat e trabe reſtem, collum in laqueum inſertat: iamq. corpus ſuſpendio demiſerat. ſed ecce tibi, ſummo Dei beneficio, uir eius in horrendum incidit ſpectaculum: accurrit: complectitur: nodum laxat: ce uicem exoluit: & blande eam conſolatus, acciri ſacerdotem iubet: qui opportunæ primum orationis, tum deinde ſacræ confeſſionis, fomento in illius ædibus, eo die, eoq. qui conſecutus eſt, in templo, ita mitigauit ægram, vt dolorem omnem abſterſerit. Hæc fere de morbis. Iam de corruptis moribus, qui meliores facti noſtrorum medicina, perpauca dicantur. Tres, qui erant inanium opinionum perturbatione decepti, reducti ad fidem. frater a fratre, a patre filius, diſſidentes odijs tæterrimis, reconciliati, hoc maiore omnium gratulatione, quo res erat grauioris periculi, & turpioris exempli. Duo item, quibus iam iamq. erat ex mutua prouocatione ſingulari certamine de uita dimicandum, imminẽtem pugnã pace mutarunt. Aliquot virorum mulierumq. libidines coercitæ. confeſſiones quamplurimæ generales auditæ. Concludam iam de Collegio Augenſi narratione facti quod, præter cetera, vt re ipſa fuit, ita etiam dictu, erit auditu q. mirabile. Nauta quidam ſuſcepto

voto

voto peregrinationis ad duo templa, vim tempestatis effugit. quo adhuc nō reddito, obliuione credo, quod segnius bona homines, quam mala sentimus, excessit e vita, relicta domi vxore, cum filiabus geminis, ac fratre germano. Nec paulo post infestari cœpta domus nocturnis imaginibus: quæ vni primum, deinde alteri puellæ formidine, atque insomnia mortem attulerūt. His extinctis, in fratrem conuersa vis monstri. Hic igitur cum partem nullam caperet nec diurnæ, nec nocturnæ quietis: alieno doctus malo, apud nos confessione purgatus, paneq refectus cælesti, iussus est, si tætra imago se rursus obiecisset, quærere ecquid vellet. fecit quod erat admonitus. respondit larua, duplicis se illius voti religione teneri. Suscipit frater viuus vicariū iter pro fratre defuncto, quem tamen ducem videbatur additum & comitē habere: quin nonnumquam ea mole insidentem in ceruicibus, vt fere opprimeret. quod si itinere fatigatus, fessus onere, madens sudore, subsistisset, abstergi se sentiebat: tum vero stimulari cunctantem. Difficilior fuit peregrinatio posterior, propterea quod & premi validius, & vrgeri grauius visus: vt vel ex eo intelligeret, illum iā extremo proximū termino, quo & voto solueretur, et supplicio: vel pœna torqueri acerbiore, vel vehemētiore cupidine. Peruenit denique eo, quo proficiscebatur sub noctem, ad cauponem diuertit. nondum mane illuxerat, cum magno impetu pandi sentit fenestras cubiculi, foresq. recludi, quæ fratrem admiserunt intrantem: iamq. vt erat minime patiens ad moræ tædium, ad templum ire compellentem. It ad sa-

cram ædem fratre præeunte. adit sacerdotem: pro eo, qui damnatus erat, voti veniam flagitat genuflexus. Interea videt se inter ac presbyterum interiectum fratrem, sanctæq. beneficium indulgentiæ expectantẽ suppliciter, atque humiliter excipientem. Qui solutus tandem, egredienti sese alacer ac lætus visendum offert, grateſq. non semel, sed iterum ac tertio agit: et tum demum se post multorum perpessionem laborum capessere tectatus in cælum uiam, sublimis abijt. Res profecto haud scio an admirationis plus habitura, quam fidei, nisi accepta fuisset a nostris. qua ostendisse uisus Deus, non esse sibi gratam negligentiam soluendi uota, quæ ab hominibus nuncupantur. Nunc discedam a Francia: sed addã prius hæc paucula, quæ, quoniam accepimus pro accessione, in extremum locum conijcienda fuere. Tres missi sacerdotes in Scotiam cum uno candidato Societatis: ut aliquid laboris in eam conferrent. De quibus hæc narrauit Episcopus Hibernensis: eorum hortatu effectum ut ad Sacramẽtum. Confirmationis accesserint mille. Alius uir nobilis, Sacrum quod fiebat, concelebratum ab auditoribus nobilibus quadringentis. Ad Principẽ porro ipsum parabat unus uiam, euocatus ab illis, qui adsunt ei arcanorũ participes: sed motus bellici impedierunt profectionem. In Angliam postremo hoc anno nemo contendit, ut caueretur Catholicis, quibus capitalis pœna est, si Iesuitam non solum recipiant tecto, sed diguentur congressu, atque adeo consalutatione: quæ uel ignoto redditur. Duobus e nostris, qui comprehensi tenentur in carcere, per nouam quotidie tentationem

perse-

perseuerantiæ, maior additur materia patientiæ, & causa gloriæ. Tertius adhuc ad necem & vincula omni ratione perquiritur.

PROVINCIA LVGDVNENSIS

SEPTEM Collegia continet Lugdunensis Prouincia. eam incolunt nostræ Societatis homines centum octoginta septem. Turnonense incoluerunt superiore anno sex & triginta. Altero triginta tres. Auenionense nunc vnus & triginta: paulo ante triginta nouem. Dinionense & Dolanum viceni. Camberiense dudum tredecim: postmodum viginti. Lugdunensis, & Billomensis numerum auxerunt minueruntq. Nouitij, siue accedentes, siue recedētes. Anno enim priore, quo Billomi erant, Collegium incolebant triginta sex: iam vero, sex & viginti. Anno posteriore Lugdunum translati, effecerunt numerum septem & triginta: cū antea incolerent Lugdunense viginti tres. Desiderati toto hoc tempore octodecim. Additi viginti quattuor.

COLLEGIVM. LVGDVNENSE

QVO TEMPORE LVGDVNI pestilentia multos hausit mortalium, etsi acciti a

quamplurimis nostri, nulli vnquam defuere: omnes tamen Diuino illos protegente Numine, prospera vsi valetudine: vnus tantum diutina febricula, quæ vires paulatim attenuabat, absumptus. Magnum ille in supremis sermonibus præferebat gaudium, gratulans Deo, quod cum hæreticis natus esset parentibus, in IESV Societate moreretur. Nouitiorum, vt sæpe fit, constantia variis probata argumentis: hoc illustrius, quo acrioribus oppressi prælijs, non passi sunt se loco moueri. Narrabimus, exempli causa, vnius victoriam. Fuerat nomen nostræ militiæ adolescens honesta familia. Accurrit ad nos ictus pater hoc tam graui nuntio, cum aliquot comitatu propinquorum, filium repetens. exorat liceat sibi eum aspicere & alloqui, sed, ne clam nostris moderatoribus. Blande appellat principio filium, spem atque adminiculum senectutis dictitans, obortis lacrimis: quibus aliquid moturum ratus, preces immiscet. Tum paterno eum iure a nostris reposcit. quibus affirmantibus neque inuitum retinere, neque nolentem dimittere: obsecrationes duplicat & lamenta: neque vllum relinquit, vt vel vi flectat, vel blandicijs, firmum adolescentis animum, artificij locum. Breuiter filius & grauiter. Cælesti magis Patri obtẽperandum. At Deo deseruire etiam potes sine religione Iesuitarum. Alium tibi quemcumque locum, quamlibet remotum, vbi des operam litteris, opta: non erit frustra. At possis ne perpeti, ait filius, si a te absimi diutius? Quid si interea moriar? Et patiar, inquit, te quocumque in loco esse, vel in sepulcro, dũ

ne

ne audias, Iesuita: vbiubi eris, etiam si esse desieris, æquiore animo desiderium tui tolerabo. Hic conclusit sermonem cum pia quadam seueritate adolescens. Ego vero eum non agnosco patrem, qui vt moriatur magis optat filius, quam vt obsequatur Deo. Et multa salute dicta discessit. obruit parentem illico, hominem senem, ira dolorq. sic, vt maledictis & execrationibus prosequeretur abeuntem. Nec vicit animū diu. Post mensem egit cum sacrorum Antistite, vt per occiduū seduceretur fugitiuus vt dicebat, filius, apud sequestrem aliquem, vt nostris sine arbitris, exploratum eius animum haberet. Quod cum impetrasset, omnesq. irriti detonuissent impetus hostium domesticorum aduersus nostrum tyronem, victorem eum pronuntiauit Antistes: hortatusq. his verbis. Macte virtute, ac pietatis gloria in Cælestem Patrē esto adolescens: perge iam, ac boni Iesuitæ nomen, Deo iuuante, præsta. remisit ad nostros: perpetuumq. indixit patri silentium. Nec longior tamen quies aut pax securior fuit. Paucis post diebus ad tentandam vltimam spem, missa est mater: quæ cū mollibus primum dictis nihil proficeret, luctui deinde atque eiulationi indulgens, eo plura profudit, quo vt erat imbecilliore animo, miserabilia magis dolenti mæror subijciebat. victa denique a filij perseuerantia, eo erupit, vt lamentatione in iram, ira in rabiē versa, manus intendēs (quiduis aliud quam matrem diceres) non conuicijs modo & contumelijs, sed pugnis etiam atque vnguibus impetitura eum videretur: nisi ille se mature ab mulieris aspectu furentis

abstraxisset. Muliebrem hanc pertinaciam quæ se tamen amoris magnitudine defendit, aliarum egregia feminarum facta pensarunt. Quarum vna, præter quam quod nota insignis pietate, etiam ætate venerabilis in publico nosocomio dedicauit se ægrotantiũ obsequio, & Diuina vt sequeretur consilia, molesti satis ministerij subijt voluntarium iugum. Altera vi morbi oppressa, cum properaret ad mortem, eoq. ipso momento adesset illi euocatus sacerdos noster, qui erat a concionibus: grauissime se dicebat omnibus audientibus ferre, quod reprehendentem comptos capillos, & cincinnorum flexiones, minus cupide audisset. tum conuersa ad circumstantes feminas (conuenerãt enim causa officij e primoribus permultæ) orare atque obsecrare, deponere pergerent propexum vtilantemq. crinem, & curam calamistri, quo in opere tam longus consumeretur & inutilis labor. Hoc enim egit in publicis sermonibus noster ille concionator, hoc inculcauit mulieribus, in hac etiam vrbe cupidioribus, quam par est, cirrorum, & componendi capitis, vt honesto quodam & simplici contenta cultu, rebus operam melioribus impenderent. Ad quam quidem disciplinam tam multas habuit dociles e prima nobilitate, vt spes sit, omnem aliquando a muliebri veste cultuq. onerãtem ornatũ, & decolorem fucum expulsum iri. Adiuti iuxta etiã viri, et ad pietatem inflammati eiusdem concionibus. compressum in pluribus fenebre malum, iniustaq. mercatura. Vnus fuit in recto benefactorum cursu ita despiciens gloriæ, vt vel eos, qui hoc profitentur,

in

in æmulationem possit adducere. Dederat hic (vt erat abundans & locuples) alimentarijs pauperibus certam vim pecuniæ: sed, ante salutem rumores non ponens, quam potuit occultissime: eamq. se ad rem in omni vita per syngrapham obligauerat. hanc ipsam syngraphan in supremo morbo, qui vitam exhausit, cum auide popoſciſſet, concerpſit, ne eius rei fama manaret ad posteros. frustra videlicet. Virtus enim lucet in tenebris, & Christianæ decus pietatis quãuis premitur, emergit. ita vir bonus contemnendo potius, quam appetendo gloriam veram habuit: tum vero cum admisisset amicos ac familiares, cohortatus omnes ad amorẽ rerum cælestiũ, caducarũq. contemptũ, admirabili prorsus oratione & ratione Christianũ in morem philosophandi extremum diem morte confecit. Atque hic habebat in matrimonio piam illã feminã, cuius de sermone, quem habuit in morte, paulo ante memorauimus. Clarum par coniugum, & propositum multis ad imitandum exemplum. Alius etiam vir fuit, qui cum in supremo die uniuersas totius uitæ noxas confessione abolesset, remisissetq. iniurias inimicis, a quibus diffidebat odio capitali, cõ sequenti nocte mortuus est. Confessione etiam liberata est mulier ab insania, quæ eã stolido prorsus consilio adegerat ad interitum. Huius rei series, quoniã nõ caruit miraculo, uidetur distinctius explicãda. Ortũ est aliquando, ut fere fit, inter hãc et uirũ præferuidiac trucis hominẽ ingenij, a satis leui principio litigium, inde iurgium, postremo certamen: maritus scilicet vxori ferrum mortemq. minabatur. Quin ego,

inquit

inquit illa, ne des vxoricidij pœnas præueniam morte consilium tuum. et cum hoc dicto, vt erant ædes ad Rhodanum pertinētes, sese in illū, de muro maximo saltu, cum Deum tamen prius, eiusq. Matrem clarissime appellasset, præcipitem dedit. Narrat iam ipsa, vt delapsa est in flumen, sustineri se sensisse a quodā in summa aqua, ne mergeretur: tum vero apprehensam humeris euolutam ad nauem quadragenorum passuū interuallo: in eamq. admirabiliter impositam. Aduertit cadentis clamor, & percussi absultus fluminis ex illa vicinia nonnullos: qui accurrentes extemplo, eam in proximam domum abduxerunt. quo aduocatus sacerdos, accepti illam commonens per Beatam Virginem beneficij, audijt, vt diximus, confitentem, &, magno licet negotio, cum marito res eā sibi suas habere iubente, in gratiam reduxit. Rhodanum item & mortem cogitabat puella fanatica: sed furibundum consilium sacra confessione præuertit. Alius quidam, cum relinquendæ certus vitæ, indidisset ceruicem in laqueum, & corporis pōdere connisus, luctantem excutere conaretur spiritum, in ipso vestigio temporis deprehensus, perductus est ad templum, ad vitæq. (et quidem melioris) cupidinem, facta confessione reuocatus. Magna est alioqui confitentium confluentiumq. e locis distantibus copia: sic vt diebus celebrioribus, octo, aut etiā nouem e nostris, satis omnibus facere non possint. At quanto putas, plures venirent ad templum, si aliquanto esset capacius? Confessi etiam de criminibus plurimi, quæ se vmquam committere meminissent. Neque fraudandi

sunt

sunt sua laude scholastici: quorum tum religio spectata est in afferendis ad ignem libris inconcessis, tum industria in actitandis pijs Dramatis: in quibus magnopere placuerunt.

COLLEGIVM. TVRNONENSE

TVRNONE quoque priore anno pestilētiæ tempestas desæuijt, & grauitas annonæ: posteriore intermisit. Vtroque tamen euenere nonnulla, Annalibus, vt opinamur, non indigna. De illo prius. Leuata, quantum per nos fieri potuit, pauperum inopia, Collegij facultatibus. Et quamquam ciues opulentiores ad similis facti laudem oratione, multo tamen magis excitauimus exemplo. Eadem extitit caritas in peste affectos. cuius ne afflaret quemquam contagio, vtq. pluribus adiumento esse possemus, fiebat, vt de fenestra confessiones audirentur. etsi vi tādem maiore ingruente, relictis aliquot ad auxilium solatiūq. ciuitatis, cedēdum e Collegio pluribus fuit. In eo discessu, pestifera vnus lue, febri alter continua consumptus est. Aditum in exitu Quadragesimæ ad oppidū, cui a Sancto Antonio nomen, vbi aliquid est, Dei ope qui adest laborantibus, effectum. Ad Ecclesiæ gremium reducti ferme quinquaginta. eleemosynis sustentata egestas mendicantium. Alio quodam in oppido hæresim abiurauere viginti. Eorum Minister cum disputationem non detrectasset, nō de pugna modo, victus, sed etiam de oppido discessit. Cuidā contigit e nostris vt in quādam domū diuerteretur,

in qua

in qua est perhonorifice susceptus a matrona nobili, cui erant filij duo, eorumq. minor præditus sacerdotio. Dat mnemosynon maiori discedens librum DE CONSOLATIONE AFFLICTORVM. quem hic cum legeret attentius, hocq. interim spatio minorem exaudiret fratrem cum matre altercãtem, coniecto sibi in pectus libro, ad rixantes accurrit: minorem germanum natu maior obiurgat, quod sacris initiatus, cum matre præter ius fasq. contenderet. Hic ille, vt erat impotens iræ, impatiensq. reprehensionis, arreptum calenti impetu cultrum, alte desigit in alterius pectus. sed, Deo volẽte, factum est, vt interiectus ille, quem diximus codex, in quem primo incidit ferrum, & petenti, moræ fuerit, & petito, saluti. fidem fecit quod inuentum est volumẽ pæne totum traiectum, vt parum abfuerit quin cutis per ipsum stringeretur. Ita compertum est, piorum libellorum vsum non animis modo vtilem esse, sed interdũ etiam corporibus salutarem. De scholis quod dicam hoc tempore, nihil fere habeo, dilapsis nempe in discessione nostrorum. nisi forte hoc, de quodam auditore, quod videatur simile prodigio. Erat adolescẽs hæreticæ prauitatis, cui erat pessime innutritus, apprime tenax: quam tamen maternis instructus dolis, alte premebat. Visus hic est sibi nocte quadam secundum quietem in cælum ferri, sed arceri ab Angelis, quasi submotoribus ingressu: addita causa. Nemini patere aditum sine tessera confessionis. expergiscitur ambiguus consilij & metus. iterum grauatum animi anxietate corpus opprimit somnus: videt sorores geminas

minas suas sempiternis torreri ad Inferos ignibus, quod hæreticis addictæ superstitionibus, sine confessione decessissent. Tum vero perterritus, omniq. sopore discusso, cum conferret vtrumque somnium, nihil prolatandũ ratus, ad sacrosanctam peccatorum cõfessionem, dudumq. dissimulatam detestationem hæresis festinus accessit. Atque hæc de anno priore. Posterio re autem, quo corporum lues magis desierat, quam redierat salubritas cæli, rediere nostri: nec reuocatæ solum scholæ, sed auctæ tribus doctoribus: quorum duo in Theologicis quæstionibus operam ponunt, tertius in Bibliis explicandis. Referunt se ad eas paulatim auditores: e quibus vnus in Societatem adlectus. Additæ sunt ædes vicinæ, prædium præterea & vinea facultatibus Collegij. Sed hoc loco res videtur poscere, vt paucis repetam quid vni acciderit e nostris, quod affirmauit Dei prouidentiam. Est in Collegio vnus ex ijs, qui domestica administrant negocia, permultos iam annos spectatæ pietatis atque obedientiæ. Ierat in oppidum, trium quattuor milliariorum via Turnone distans, vt ligna, quæ erant cõparata ad vsũ Collegij, curaret subuehenda. sed exorta subita tempestate, nauicularij imperitia remigumq. cũ cursum nauis tenere non posset, prærapidi celeritate fluminis hausta est secumq. nautas omnes fratremq. nostrum præcipites traxit. ex his duo, quamquam nandi scientes, superãte arte vi fluctuũ, absorpti. At noster cum diu hæsisset in profundo, emi nere tandem in summo visus, cum quadam trabe, quã in casu ipso arreptam manu, numquam dimiserat. hac

ipse

ipse ferebatur in altum, in medio lignorum fluitantiũ: plus scilicet spei capiens ex Christi IESV, eiusq. Matris, quam identidem inuocabat, auxilio, quam metus ex fragore aspectuq. fluminis irati. nec fuit irrita. cum enim per horæ sextantem ita vectus ac vexatus esset, vt prope videretur mergendus, occursu nauis Lugdunensis exceptus a vectoribus, & in continentem adductus est. cum illis rei exitum mirantibus, gratias ipse ageret Deo, cuius summo beneficio nouam quasi vitam, quæ tam prope abfuerat a morte, referebat acceptam. Hoc etiam anno in vicinis multis oppidis, quo nostri se contulerunt, tum multa constabilita emendataq. in hominibus Catholicis, tum in hæreticis pluribus facta insignis animorum studiorumq. commutatio: in illo maxime memoranda, qui antea si quem Catholicum, Iesuitam præcipue, dedisset morti illud vero glorioſum sibi ac palmarium putabat. Hic enim cũ summo suo bono veniſſet in Catholicorũ manus, esſetq. expertus multo illos mitiores, quam fuisset ipse: nostrorum adiutus ope consilioq. reuertit ad fidem. Fuit id factum, tum omnibus, qui hominem nouerant, tum Domino in primis Turnonio, qui hoc adnitebatur maxime, gratissimum.

COLLEGIVM. BILLOMENSE

REM BILLOMENSEM quattuor concludemus capitibus, quam fieri poterit breuissime. Dicemus de adolescentibus, qui a nostris instituuntur. De Nouitijs, qui cum Auenionem contenderent

rent, præcluso ab hæreticis aditu, sunt Billomi commorati. De excursione, rei Catholicæ causa, in aliquot pagos. De ipso postremo Collegio. Sic enim quominus confusa erunt singula, erunt omnia clariora. Adolescentes igitur, qui ad nos ventitant prope sexcenti, tam incitato feruntur ad virtutẽ cursu, vt sit potius cur eos coerceas freno, quam cur addas calcaria. Nec abest ab ijs Diuina benignitas. vnus, quã agebat animam, salutari fretus confessione, retinuit. Longa alter afflictus infirmitate corporis, contra eius vim grauitatemq. contendit, vt perreptaret ad templum. mirum dictu, vt expiauit confessione, muniuitq. Eucharistia animum, domum sanus reuertit. Et fuit, cui sacer agnus e cera appensus ad collum, febrim, æstũq. depulit, quo iactabatur. Quid multa? quamquam frumenti inopiam subsecuta peste, magno cum mærore ciuium, non intermitti non potuerunt scholæ (quæ nunc sunt restitutæ) vt sustineretur tamen Collegium, nec defluueret, adolescentulorum obsecrationibus præcipue factum arbitramur: qui statis quotidie horis ad ædem nostram, cum cantu precibusq. (ea erant piacula Numinis placandi) confluebant. Nunc abeamus ad tyrones: illis nihilominus relictis, quæ quoniã contrita sunt, iam pro vulgatis habentur. Placuit Patribus, vt adolescens, qui Societatem expetebat, esset cũ matre vidua per annum: quo peracto, haberet liberum ingressum: vt esset id veluti experimentum eius constantiæ. Fecit quod erat iussus: cum interea occurrerent multa, quæ illius virtutem, ne obtorpesceret, haberent exercitam. Lapso anno, opportune matrem

admonet

admonet annui temporis, quod habebat emeritum, & condicionis acceptæ. Durius accipere hoc visa est mulier: tantumq. abest vt faceret potestatem abeundi, abstulit se ipsa silens & male dissimulans lacrimas, ab eius aspectu. Hic adolescens suo iam defunctus munere, ne quid nouæ iniiceretur moræ, sumpto ad celeritatem iumento, omni ad nos festinatione contendit. assequuntur iam exolutum vinculis domestici, reditum orant, pollicentur de retentione ne verbum quidem esse facturos: vestitum tantum dignitatis causa mutet: ne discessio videatur similis fugæ. Verum erecto animo iuuenis. An me ad conuiuium ire censetis, non ad Crucem? Pleno anno atque integro molesti mihi atque importuni fuistis: nunc honori meo consulitis scilicet. hæc effatus, admisso equo sese eorum ab complexu proripit, atque ad nos properat egregius exul. etsi matrem nunc aiunt non tantum a luctu requiesse, verum etiam nullum esse præmium tam amplum, quod mereri uelit, ut filius, noster esse desinat. Multo clementiore matre vsus est alius, patre natus pio & nobili: quem Senatorem in Belgio, Regiq. Catholico gratiosum hæretici interfecerant. Dederat hic operam studijs litterarum, laureamq. erat assecutus. Et quamquam, vt erat natura factus atque institutus ad pietatem, sua sponte ad religiosæ cupiditatem vitæ erat incensus, accedentibus tamen quotidianis a matre cohortationibus, vt omnia quæ infra lunam sunt, leuia vilioq. haberet, anteponeret illis obsequium Dei: ita inflammatus est, vt non desiderit vmquam

cum

cum Præposito Prouinciali agere, donec peruicerit. Non ita alij duo: quorum vnius, parentum sororisq. obtestatione & lacrimis, alterius vero intentu minarum, & arctiore custodia, magnarum denique sponsione opum perseuerantia tentata est. Ab hisce ducta initijs nostrorum tyronum virtus, quotidie fit melior atque auctior: quam, tum domi inter demissiora ministeria, tum foris inter peregrinandum, spectata patientia, multorumq. animarum conuersione, demonstrarũt. Excurrerunt enim, vt dicebamus, nostri, multorum vocatu, ad pagos, mirum quanto cum fructu gaudioq. eorum, qui neminem vnquam e nostris audierant concionantem. Quorum scilicet tum promouendæ Catholicæ religionis studium laudabant, tũ vero omnem reijci mercedem ita suspiciebant, vt satis laudare non possent. In hac percursione auditi multi, qui vt nouæ ordirentur initium vitæ, superiorẽ omnem confitendo retexuerunt. Nunc restat, vt persoluam quod reliquum est promissi, dicamq. aliquid de Collegio. Illud uero perfugium visum est quoddam calamitosis, hac difficultate temporum tam acerba: tanta sociorum fuit tum in tribuenda cogendaq. eleemosyna sedulitas: tum in interuisendis ægris assiduitas: tum in omni officiorum genere caritas & diligentia. Posset hic etiam adscribi numerus eorum, qui vniuersæ peccatorum vitæ veniam confessione petierunt: qui pecuniam interuersam dominis restituerunt: qui ne fraudarent animam cælestibus, de terrestribus opibus cedere maluerunt. Sed harum rerum commemorationem omnium obruit recordatio trium

nostrorum sacerdotum, qui migrãtes e vita, magnum reliquerunt Collegio exemplum, & ciuitati desiderium. Primus fuit Pater Iustinus Lescotius Rector, qui ad Clavomontanum Episcopum, qui non procul aberat, profectus, vt ad excitandam Billomensium pietatem aliquid impertiretur eis indulgentiæ spiritualis, plus etiam obtinuit. Episcopus enim, quæ eius est cupiditas Diuini nominis amplificãdi, ipse quoque Billomum, & in nostrum Collegium venit. Læta erat vrbs cum Domini aduentu, tum eius liberalitate, cuius fructum vberrimum capiebat. Iam tenuerat oculos supplicatio celeberrima, iam compleuerat aures concio plenissima spiritus, iam laxati erant animi noxarum vinculis, Christiq. Corpore refecti. Magna voluptate perfundebatur Antistes optimus: quam auxerat gratulatio discipulorum, qui eum dialogo exceperant, & versibus. Postridie eius diei, vt semper extrema gaudij luctus occupat, Pater Rector, cum grauis quædã distillatio humoris obstruxisset fauces, paucarum spatio horarum extinctus est spiritu intercluso. Vir profecto, qui supremo hoc tempore, perpetuo illo suo labore sollemniq. studio, salutem alijs, sibi mortem quærere visus est. Hunc deinde, vt raro incidit solitaria calamitas, consecuti alij duo. Pater Thomas Februarius, prope columen huius Collegij: vbi e triginta, quos vixit in Societate, duodeuiginti annos ita laborioſe posuit ac fructuose, siue in procuratione templi, siue in auditione confitentium, siue in catechesi paruulorum (e quibus horis, quicquid supererat temporis, minimum corpori, plurimum animo, rerũq.

Diuina-

Diuinarum meditationi dabat) vt, quamquam mors immatura eius non fuit, nec inopina (erat enim septuaginta annorum, tenuiq. ualetudine) longiorem tamen conceſſam illi vitam cupiſſent omnes, quibus ſe totum impendens, viuebat potius, quam ſibi. Alius fuit Pater Gulielmus Sardeus: qui etſi dudum cum afflicta ſanitate corporis, mentis etiam aliquantulum habebat imminutam, extremo tamen tempore ita ad ſe rediit Diuino beneficio, vt ad præfinitam horam, qua ſibi adeſſe ſacerdotem concupierat (interea enim ipſe ſe per vnius diei noctiſq. ſpatium ad meditandũ collegerat) peccata rite confeſſus, cum crebra IESV inuocatione nominis expirarit.

COLLEGIVM. AVENIONENSE

VEREOR, NE moleſta vobis ſit, dum Galliæ Prouincias eximus, peſtis, annuæ caritatis, bellicorum tumultuum (et quod omnium iſtorum caput eſt) hæreſeos, iiſdem ſæpius verbis (cum iam ſiqua ſunt alia, conſumpſerimus) toties repetita commemoratio. Quo facilior exiſtimatio eſt, quæ mẽs fuerit noſtrorum, qui ea mala tamdiu ſunt paſſi, vel timuerunt, quorum nomina aures vix ferre poſſunt. Sed hæc ſunt nobis quoniam hoc agimus, quomodocumque dicenda: vobis autem vel cum eorum miſeratione, qui adhuc in iiſdem verſantur periculis, vel cũ gratulatione eorum, qui euaſerunt, gratis animis audienda.

ET AVENIO igitur, in quam vrbem nunc

ingredimur, Gallici Regni calamitate immunis non fuit. Tulerunt eam nostri, & adiutores fuerunt alijs dum ferrent, & hortatores ad magno animo perferendam. ita, quantum in ipsis fuit, ægrotis consilio, famelicis auxilio, vti isque solatio & saluti fuerunt. Tres hoc tempore excesserunt e vita, sed proprio potius morbo, quam aliunde contracto. Neque discipulorum frequentia defuit, in quibus discendi cupiditas cum pietate certaret: in his præcipue, qui de Sodalitio Beatæ Virginis. Quod etiam hoc triplex declarabit exemplum. Vnus ex ijs per sacrorum ordinum gradus peruenerat ad Sacerdotium. it in patriam, vt inter suos sacrificandi faciat initium. Iam sacra erat amictus veste: iam eum aliqui in templo præstolabantur: magno interea impetu conatuq. irruunt hæretici, qui ad hoc se comparauerant, omnibusq. digressis formidine, sacerdotem circumstant. Rosarium, quod rumore excitus in manum acceperat, vi auellunt, in ignemq. conijciunt. tum quærunt cui se se dederet. respondit. Ego me iãdiu CHRISTO IESV, eiusq. Matri Sanctissimæ dedi. Quæ cum dixisset, magno animo, ita vti erat sacra veste indutus, mirifice ex eorum manibus elapsus, abdidit se quemdam in locum, ubi per decem horarum spatium delituit, repertus a nemine, quæsitus a cunctis: quasi obfusis undique tenebris eorum oculi tenerentur. Postridie quietus sacrificauit: et quo nihil deesset ad sinceram lætitiam, integrum Rosarium repertum in igne. Alius quidam ex eodem cœtu cum iter faceret, inumbrante nocte recepit se in diuersorium, quod postea intellexit a latronibus

nibus obsideri.it cubitum, Deum orat ex consuetudine, Matremq. adhibet aduocatam, vt se uolens propitiusq. tueatur. nec uana precatio. Nocte enim adulta, quamquã irrũpere conati sunt homines malefici in cubiculum, quod patulum erat, neque una ex parte peruium: numquam tamen aditum inuenire potuerunt. Alius denique, ne congeram plura, cum esset remissior paulo in persoluendis precibus, conspecto, per tres dies diuersos, igne, qui mitti uidebatur e cælo, priorem indiligentiam intermissi officij, quotidiana persolutione curaq. attentiore pensauit. Iam vero omittenda non est breuis eorum recensio, quibus obuiam itum, ne se perditum irent. Duo enim virorum fuerunt paria, qui ex mutua prouocatione dimicationi erant vltimæ instructi intentiq. cum his mature actum est, vt positis armis redirent in concordiam. Statuerat mulier vitam abstinentia finire: nostris auctoribus mutauit propositum. Vir erat vxori (vt acerrima fere sunt odia proximorum) ita infensus infestusq. vt res spectaret ad diuortium. vterque vtrique reconciliatus est Composita pax inter multos, inter quos odium vetus & implacabile. Mulier fuit nupta vni, proposita alteri per annos quattuordecim, e quo susceperat liberos: neque huius rei vlla religio, quod eam opinionem animo imbiberat, volenti non fieri iniuriam. nunc autem ea desententia detrusa, ad legitimum torum reuertit. Altera se, ab amico quo cum alterum iam agebat annum (cui & homicidij causa extiterat et exilij) a turpiq. flagitio penitus abstraxit. regressi ad sinum Ecclesiæ

tres. vnus propter maleficia morte multandus, etsi prius durissimo id ferebat animo, posterius tamen cõfessione, ac recordatione peccatorum ita emollitus est, vt liberiore ac libentiore animo noxium caput morti offerret. Diebus festis, ac primis præcipue diebus Dominicis quotquot mensibus sacra obeuntium mysteria numerus maior, quam vnquam antea. Nec vero in ciuibus tantum adiuuandis nostrorum opera stetit, ea etiam Episcopi duo vti voluerunt, in exercitijs spiritualibus & generali confessione: qui deinde impetrarunt, vt aliqui similem eorum gregibus opem ferrent. Ipse quoque Archiepiscopus, qui & Legati uicem in his partibus gerit, duos secum eduxit e nostris, quorum in suis obeundis ac lustrãdis Ecclesiis, ope consilioq. vteretur. cuius præcipue muneris, vt reliqua taceantur, hic fructus extitit. Ex placito Tridentinæ synodi inchoatum est Clericorum Seminariũ, quod difficile factu videbatur, nec propterea tentandum, quia supra spẽ euentus esset. Pari causa exituq. elaboratum, vt virgines Deo dicatæ arceantur Cœnobiorum egressu. Quod & Cabilione effectum: vbi etiã restitutæ aliquot sodalitates, & nosocomia refecta. Missi præterea nostri Cadarocam (ea est urbs, quattuor leucis Auenione distans) Tarascum (oppidum est Narbonensis Prouinciæ Sanctæ Marthæ reliquijs insigne) in aliud etiam oppidum, cui a Sancto Remigio nomen, sacri Aduentus, & maioris ieiunij tempore. Multus sim, si singillatim enumerem omnia: de auditis confessionibus vitæ omnis anteactæ: interceptis vsuris: odijsq. restinctis. Tarasci quinque hæresim

agno-

agnouerunt. In Sancti Remigij tanta facta est morum commutatio (hæreticis præsertim quibusdam, qui se in disputationem obtulerant, fractis, magnaq. contentione abiectis: ex quo hæreticæ mulieres duæ resipuerunt) vt magna iam videatur peregrinæ arbori, nec frugiferæ, securis iniecta. Vna præterea res iucundissimum habuit spectaculum, quam non erit alienum referre. Extrema concione discessurus noster hortabatur omnes ad animorum coniunctionem mutuam q. concordiam. magnopere erat auctor ad deponendas simultates, cõdonandas iniurias, finiendas iras, pestes illas humanarũ Societatium. pacem esse, quã hominibus bonæ voluntatis attulit Deus delapsus in terras: pacem esse, quam reliquit idem suis alumnis regressus in cælum: hanc ab ipso notam vnam, & signũ appositum, quo sui qui essent discipuli, ab alienis facile internoscerentur. Magno cum assensu auditus est, & vt Verbum Domini est malleus conterens petras, tantus incessit spiritus per emollita pectora singulorum, vt certatim viri feminæq. odio laborantes aut inuidia, accurrerent ad ædes, vbi erat Pater, & suum quisque inimicum aut æmulum, veniam petendo dandoq. amice consalutaret. nec mora: pax, quam immotam fore pollicebantur in posterum, mutuo alloquio complexuq. non multis sine lacrimis, facta inter omnes gratulatione, firmata.

COLLEGIVM. CAMBERIENSE

A CAMBERIENSI Collegio aliquid etiam gestum Domi foriſq. Domi quod geſtū eſt, eius tripartita erit narratio: de ciuibus: de diſciplinis: de noſtris. Ciuium quidem omnium magna erga nos beneuolentia, ſpectata maxime in rebus aduerſis. Nec minor quorumdam, vt Lambertinorum, beneficentia: quam, vt cetera omittam, teſtatur Prioratus, de quo perſcriptum eſt alias, & annuo vectigali, & (quod multo eſt amplius) Sancti Philippi, a quo nomen accepit, capite inſignis. in integram eius poſſeſſionem poſteriore anno pedem intulimus. Abbatis Auxenſis e Lambertinorum familia donum: qui in noſtris ædibus fere eſt mortuus. Cum enim in Collegium principes ex vniuerſa Sabaudia viri conueniſſent, litis cuiuſdam componendæ, inter hos Abbas ſubito mentis & corporis ſtupore ita correptus eſt, vt attonito ſimilis, feſtinantium famulorum manibus in cubiculum quoddam fuerit inferendus. hic cum vi fomentorum paulum in proſtrato corpore ſe mens erexiſſet, Confeſſionis, Euchariſtiæ, Extremæ Vnctionis Sacramenta ſuſcepit. Tum ſubleuari viſus aliquantulum, ſuam deductus eſt domum, quæ erat noſtræ proxima: vbi finem vitæ impleuit. Lambertinorum ergo, vt ſuperiora prætereantur, beneficentiā teſtatur Prioratus ab Auxenſi Abbate. Teſtatur etiam Epiſcopi Maurianenſis aureorum duum millium quingentorum munus, quibus propinquam

ementes

ementes domum, quæ Abbatis fuerat, necessariam adiunximus habitationem ædibus nostris. vt maior quædam necessitas videatur imposita diligentiæ: quã numerus in templo nostro confitentium communicantiumq. demonstrat. etsi mors quoque matronæ cuiusdam nobilis alicui rei fuit ad pietatem in mulieribus augendam. Delectabatur hæc dum viueret amœniore cultu quam decebat. admonebat eam frequenter sacerdos noster, vt meliori daret operam ornatui, quo placeret Deo. respondebat mulier, vt erat liberiore ingenio, serium videlicet sermonem eludens ioco familiari, illã sibi curam relinqueret, vnum hoc orare, vt in extremo vitæ tempore adesset morienti. Et is quidem adfuit, sed illa aberat: morbus enim miseræ abstulerat vsum audiendi. Ita iusto Dei iudicio factum videtur, vt quæ salutaria sacerdotis monita exaudire noluit, cum potuit, nec audire quidem posset, cũ velle debuit. Mortua igitur est tacens, sed nunc etiam viuit exemplo: & clamat ceteris, vt sint in corporis cultu moderatiores. Hæc pauca de ciuibus. Discipuli autem, hoc enim nunc sequitur, magnos cũ in litteris, tum etiam in pietate processus habent. Lasciuiores libros, corruptores morum, & hæreticorum volumina, semina impietatum, etiamsi id se facere intelligerent, parentibus (vbi id resciscent) indigne laturis, ad nos attulerunt (id quod factum est) igni mandandos. Adiuuat eorum pietatem, et confirmat fidem interdum Deus, etiam rebus, quæ vim obtinent miraculi. e quibus pauca seligentur. Vnus ipsorum (cuius aliquando interuentu duorum com-

pressus

preſſus erat furor inter ſe pugnis dimicantium, diuturna tenebatur febri, etſi intermittente nonnumquam: ſic vt domo exeundi facultas eſſet. audijt magiſtrum de vi luſtralis aquæ verba facientem: tali oratione inſpem erectus morbi abigendi, cum peccata primum confeſſus ex ea cibibiſſet, conualuit. Alter cum in proſequenda ſupplicatione recitaret preces intentior, quam vt pedem vbi poneret, inſpiceret ſatis, pronus cadens, faciem ad terram afflixit: exq. eo caſu ſanguis e naribus, atque in vultu tumor. verum hic reſedit, ille conſtitit, vno vterque remedio aquæ luſtralis. Matri alius ægrotanti, nullamq. partem quietis nocte capienti, ſacrum Dei agnum e cera, quem quaſi ſoporiferum obtulerat, cum videret ſperni, clam ſubiecit capiti: bono dolo: nam & conſequenti nocte ſucceſſit ſomnus, & paucis poſt diebus ægrotæ melius eſt factum. Quidam denique erat puer, qui nec præceptoribus in ſchola ſatisfaciebat ſtudio, nec domi parentibus obſequio: ita vtrobique vapulabat, maiore ſenſu doloris, quam fructu dolentis. Hic igitur puer metu virgarū, ſuadente aliquo, quaternas Cruces e vitiū ſarmentis inter tunicam ſagumq. geſtabat interiectas, terq. caput ſuum in ſcholarum ingreſſu cacodæmoni deuouebat. Hanc rem ſubodorati noſtri, mitius tractare adoleſcentulum cœperunt, admonitis parentibus, vt eodem conſilio domi vterentur: ei deinde perſuaſerunt vt de peccatis confeſſus, illis in poſterum ſuperſtitionibus ac deuotionibus abſtineret. Quo facto, ſic immutatus eſt, vt quod ad vitam ingeniumq. pertinet, non tam facile

le agnoscas eumdem esse. Iam superest vt de nostris aliquid dicatur. Superiore anno quinque e socijs peste contacti sunt. itaque mira communiter omnium fere ciuium, proprie Maurianensis Episcopi liberalitas, in eis omni opera opeq. adiuuandis enituit: tã multa necessaria conferebant: quibus adiuti etiam in vrbe multi, eadem tabe confecti. Sed quo animo sustinuerunt ipsi acerbitatem morbi mortisq.? quam se mutua pietate orationeq. iuuabant? cum inter se certantes officijs, de socijs vnusquisque, quam de se, magis videretur esse solicitus: atque in supremis necessitatibus, decedente omnibus spe vitæ, mortisq. formidine, omnis animi affectio in aliorum esset versa misericordiam: Felices, qui ita mortui sunt, vt in tãta significatione fraternæ caritatis, cum subleuati pariter subleuantesq. caderent, talem prope causam mortis lætarentur inuentam. Posteriore anno, mense Iulio, recruduit in vrbe pestilẽtia: ita munera Societatis interrupta: tribusq. sacerdotibus cum laicis totidem opportunitati ciuium relictis, reliqui se ad Sancti Philippi receperunt Prioratum, eum, quem diximus, quo salubri vsi sunt ac libero a peste, quæ omnem circumcirca regionem fœde populabatur. etsi sex fuere ex illis febre tentati. ita cum externo omni carerent auxilio, quinque ferme mensibus, (tot enim sunt ibi diuersati) non defuit occasio exercendæ caritatis & patientiæ. Peruagabatur interea in vrbe lues, nec quiescebat, duobus millibus mortalium plus minus absumptis. Inter hos sacerdos vnus e nostris, dum confessionibus audiendis assidue in templo dat operã,

morbi

morbi contagione correptus & nobis ereptus est, Ecclesiasticis Sacramentis rite perceptis. Qua in re illud nō sine causa visum est nostris admirabile, quod cum eum sine respectu vllo passim inuiserent, sæpeq. apud hominem assiderent, quasi familiari quodam morbo ægrotātem (erat enim natura valetudinarius) ad neminem permanauit contagio, sed ne suspicio quidem. quadraginta tamen dies domo inclusi publico caruerunt. quo tempore omne ijs officium tributum a ciuitate, ut nihil deesset. Post diem quadragesimum cū essemus laxati, & immunes malo, quod nihilominus in vrbe sæuiebat, venit in Collegium primus Sabaudiæ Præses (is est gradus in Sabaudia dignitatis a summo proximus) seuocat quemdam e nostris, exponit ei, publicum extra vrbem edictum esse concilium, vt videant ecquod remedium statui possit calamitati ingruenti: eum orat vt velit interesse. Hic porro cum multa essent sapienter constituta, rogatur postremo noster sententiā suā: qui mali Diuinitus immissi finem exposcendum a Numine ratus, censuit ter quotidie certo in templo, mane scilicet, cum fieret pro populo, meridie Litanys recitandis, vesperi denique campanæ admonitu fundendas preces, ad Deum placandum. Cum deinde feciſſet mentionem ieiunij, ab loquentis ore excepit vocem Præses maximus, & per dies ipsos quadraginta, in vrbe locisq. suburbanis indixit ieiunium. hac ratione, vt singulis hebdomadis terni essent dies selecti, quibus homines sūmi, medij, infimi, quantum cuiusque ætas sexusue patiebatur, ieiunarent, simplici tātum pane & aqua contenti. Post

cuius

cuius lapsum temporis, exactamq. precationis ac ieiunij obseruationem, & Præses ipse Angelorum pane recreatus, & remitti cœpta pestilentia. Nos etiam paulo ante Natalitias ferias in Collegium postliminio reuertimus. Atque illa vt diximus, domi.foris autẽ hæc.multa enim a nostris vtroque anno percursa oppida. quod eorum officium, breuitatis studio videtur coniũgendum: sic tamen, ut si quod sit eximium, suo loco reddatur. Et primo quidem anno conuersi ad rectum iter qui aberrabant a fide octoginta: alio uero anno aliquanto pauciores.in illis, miles quidã Equestri(ut uocant) dignitate insignis, hoc uidelicet impulsu: quod sacerdotem nostrum offendisset in agro persoluentem preces diurnas. Mulier quædam eodem errore imbuta, quæ derisui habebat alterius pietatem, Rosarium assidue recitantis, ubi sinceræ lucem religionis aspexit, idem sibi Rosarium dari petijt obnixe, ut eo recitando affirmaret pœnitentiam, & in sua ipsa culpa plecteretur. Iam de reconciliatione multorũ: xenodochiorum instauratione: inopum sustentatione: vacillantium in fide confirmatione: doctrinæ Christianæ explicatione: ceteraq. huiusmodi rerum piarum procuratione: etiam me tacente intelligere potestis. et ego propero ad propria quædam anni posterioris. Missi igitur nostri aliquot ad tria quædam oppida separatim Quadragesimæ tempore, magno illis solatio & auxilio fuere. Et primum Gratianopolim (ea est vrbs Narbonẽsis Galliæ nobilissima) sacerdotes duo: e quibus habendis alter concionibus ad animos hominum sensusq. accomodatis, confessionibus alter audiendis

diendis, interq. illas trecentis totius vitæ anteactæ, ita ciues illos ad pietatem excitarunt, vt gustato iam fructu Societatis, aucant aliquem e nostris, e cuius ore pendeant, idq per litteras studiosè requirant. In hac porro vrbe, quæ e plurimis excipiam, statuere non possum: quod difficile foret commemoratis alijs, alijs prætermissis, reddere facti rationem, cum emineant fere omnia. nisi forte dicendum videatur, sacrarum, quæ in Cœnobio Deo famulantur, virginum, inopiam subleuatam magno ære collecto: mulierem quamdam, quæ animi anxia inopsq. consilij quadraginta se dierum ieiunio afflixerat, Deum obsecrans, vt mitteret eam in vrbem virum, cui tuto ac libere detegeret mentis vulnera, nostrorum aduentu voti compotem fuisse: vt eam quasi ob rem Diuinitus venisse videantur. Missus sacerdos alius in pagum, cui nomen a Sancto Marcellino: vbi etiã anno fuerat superiore. Hic præter cetera hæretici mutati in pœnitentiã multi: hæresim publice detestati tres. Alius denique, Cardinale Montis Regalis rogante, iterum destinatus Nantuam magno externorum bono paganorumq. Cum enim ingens in eo esset pago annonæ caritas, aut potius inopia: auctor fuit vt supplicationes Numinis propitiandi decernerentur: quas obierunt plurimi, summa hieme, nudis pedibus, lino tecti, Litanias religiosè concinentes, eo corporis habitu cãtuq. vt spectantibus audientibusq. lacrimæ excideront. Adiutum etiam miserrimum ac patientissimum egenorum agmen, quos fames suis sedibus exegerat. etsi quidam ex ijs iam defecti viribus vix trahebant

hebant animam: quã alijs inedia extorserat. igitur illi manibus Duumuirum (Syndicos appellant) in hospitalem deportati domum, ac refocillati cibo, quem ditiores præbebant: horum corpora Christiano ritu sepulta. Extructum hoc eodẽ in pago extrema Quadrageſima honorarium Chriſti Domini ſepulcrum, atque adornatum magnifice. quæ res illis hominibus, qui nihil vnquam ſimile viderant, tanti fuit ſpectaculi, ut nec loci viſendi vlla caperet ſatietas, nec Dei venerandi. Tradita rudimenta Chriſtianæ doctrinæ per ſpeciem quidem pueris, re autem vera etiam grãdioribus et vero ſtatis diebus, non ex illo tantum pago, ſed e vicinis etiam multis, patres matreſq. pueros certatim puellasq adducebant: nec pudebat, illis addiſcentibus ſeſe ſocios adiungere: pigebat potius quod non ante didiciſſent. Idem ſacerdos eiuſdem voluntate Cardinalis, Contaminam (is pagus eſt Geneuæ proximus) ſub feriãs Pentecoſtes eũt ire iuſſus. et quidem in tractu Focinenſi (ea enim erat tranſitus) multarum auctor fuit ſupplicationum, quas qui celebrarunt, eos peſtis non attigit: qui neglexerunt, afflixit vehementius. Cum eo peruenisſet, quo contendebat, mirum quanta lætitia exceptus ab omnibus: quippe qui neminem tot iam annos de peccatorum confeſſione, de Sacroſancta Euchariſtia, de vitiorum turpitudine, de pulchritudine virtutum audißent verba facientem: ſed Miniſtros tantum contra Pontificem Maximum Catholicoſq. omnes impia iacientes dicta, & imperite garrientes. Ac ne ſim longior, cum quãdam deinde inuiſiſſet vrbem (Alta villa nominatur)

die

die Dominico post anniuersarium Christi Domini ad-
scensum, septenæ supplicationes diuersis ex locis idē
in templum confluxerunt, ut uespertinis precibus,
sacræq concioni interesſent: tāta gratulatione Catho
licorum, indignationeq. hæreticorum, qui illic aderāt
e Geneua, vt grates illi Deo agerent profusis lacri-
mis, hi non parcētes in nostros dicendis contumelijs,
celeriter ipsa ex urbe discesserint: quod qui Christo
salutis auctori, Matriq. eius Virgini, Cælitibusq. uni-
uersis haberetur honos, rectis oculis intueri non pos-
sent. ea autem urbs fere tota complexa est Confessio
nis & Eucharistiæ Sacramentum: tantoque erat
incensa desiderio Diuini uerbi, ut profestis etiam die-
bus maxima cum frequentia, pariq. utilitate concio-
nari oportuerit. Libri permulti, quos per ea loca Ge-
neuensium dißeminauerat pellacia, in unum colle-
cti a uolentibus, igneq. combusti. Curiones tum urbis
ipsius, tum suburbanorum etiam pagorum, qui conue
nerant ut Patrē ad suas inuitarē paræcias eumq. de
rebus dubijs consulerent, salutariter instructi. Acces-
situs postremo se contulit in urbem, quæ a militibus
incolitur præsidij causa, duobus milliaribus Geneua
distantem: ubi cum multa de militari cognoßet licen-
tia, eamq pro concione suo iure exagitasset, ita per-
mouit animum Ducis cum peccata non puniret, pec-
care docentis, ut ab ipsa statim concione acriter in
alios animaduerterit, tradi ulios iusserit in carcerē.
Disrumpitur uidelicet Geneua, quod ante suos ocu-
los hæc fiant, & suas prope aures feriat sonus impia
proscindentium commenta, Catholicamq. ueritatem

liberri-

liberrime prædicantium. Vt denique concludam, quibus diebus præuenitur Domini Aduentus, cum respirare cœpissent a peste suburbia, sacerdos noster duos in pagos excurrit, admonuitq. vt publicis supplicationibus Deo gratiæ pro accepto beneficio agerẽtur: idemq. in frequenti quodam vico nostro vectigali cõciones eo tempore habuit, pueroſq. docuit elementa Christianæ doctrinæ.

COLLEGIVM. DIVIONENSE

COMMVNE illud his temporibus Galliæ malum Diuionensium vrbi non pepercit, nostris metum magis, quam periculum ostentans. ita vtroque anno, & intermissæ scholæ, & cum laxaret ciuitatem pestis, receptæ. Nostri enim tantisper dũ e turbido tranquillũ faceret Deus, secesserant in castellum Collegij decem millibus passuum ab vrbe distans. ibi autem, etsi pestilens quasi nubes omnem circum regionem obsederat, tẽtauitq. fere omnes febris, fratremq. vnum vlceranit pestilentia: extinctus tamen est nemo. Qua in tempestate eluxit maxime caritas sacerdotis vnius exacta iam ætate, qui suum esse arbitratus prodesse socijs, quibus videbatur præesse, apud periculoſe languentem integros dies assidebat, noctes etiam prope totas ducebat insomnes: dum tandem sua eum diligẽtia incolumitati restituit. Nec interea defuit nostrorum opera in procuranda salute proximorum, qui ad eos quotidie ventitabant, aut etiam ægrotorum, a quibus vocabantur. Quod officiũ

inter ceteros, præstitum a duobus, vicino cuidam, cui affuerunt discedenti e vita, ignari pestis, quæ hominem perimebat: sine vlla noxa: mortiferam videlicet luem inhibebat Deus a nostris, quo pluribus opitularentur. Quod & obseruarunt toto hoc biennio ciues, & sermone celebrarunt: cum religiosorum nulla fuerit in hac vrbe familia ab hac clade intacta. Sed & nobis illud mirãdum fuit, duos e nostris, Patrem, Fratremq. febricitantem illum, hunc vero ilioſum, sine vlla humani spe remedij, Diuinis vsos, Pœnitentiæ nẽpe atque Eucharistiæ Sacramentis, omni penitus ægrotatione corporis, & dolore liberatos. Quamquam etiam ex externis nõ pauci, simile intellexerunt accidisse sibi a Confessione beneficium, aquaq. lustrali, qui febri (et tres quidem eorum pestifera) laborabant. Collegij ædificatio suos habet progressus, liberalitate scilicet Senatus, Populiq. Diuionensis, qui aureos assignauit amplius mille. cuius peræque patuit liberalitas in iaciendis templi fundamentis: cum eam ad rẽ addixerit aureos amplius septingentos, & ædis cuiusdam fabricam e saxo quadrato, quæ ad fastigium fere peruenerat, iam tamen interruptam antea, ac derelictam. Idem opus promouet, is, cuius nomine primus est positus lapis, Episcopus Lexouiensis, qui siluam nobis cæduam, ad quattuor iugera attribuit. et sane si moderatior fuisset annona, & pestis mitior, processisset ædificatio tam præclare incepta: quæ nunc quidem constitit, meliora expectans. Interea temporarium nostrum Sacellũ frequentatur a tam multis, ut aliquot excludantur ipsius angustijs. E duobus, qui

in

in hac vrbe concionati sunt, alter habuit in eo cõcio-
nes, alter ad Senatores in Sacello Regio: magno vter-
que cum fructu. Iudicium peruersi animi mutarunt
hæretici duo, vel tres. Mulieri, cuius pudicitia peri-
clitabatur, persuasum, vt mutaret domicilium. con-
fessiones generales auditæ bis centum. Hic autem ne-
que illud prætereundum puto: quod quidam cum mo-
rienti amitæ certas preces & sacrificia promisisset,
eorumq. postea subisset negligentia: vidit quadam no
cte vigilans imaginem mortuæ: quæ aliquanto tempo
re constitit ante oculos, manifesta specie, quasi flagi-
tans promissum. Quo viso permotus postero die, &
peccata confessus est, & fidem soluit. Cum alter cõ-
cionatorum acriter ac sæpe inuectus esset in lectio-
nem eorum librorum, quos habere non licet, magna
eorum copia a primarijs ciuibus allata ad eum est,
vt igne cremarentur. Fuit etiam vnus ex ijs,
qui manu & arte vitam tolerant, exiguis facultati-
bus, vir alioqui rectus, ac timẽs Deum: qui cum apud
tabernam librariam incidisset in eiusmodi librum,
quem amicus empturiebat, præoccupauit ipse, librũq.
ad nos attulit, & amicum adduxit: cum quo actum fe
liciter, vt peccatorum confessione facta ad Ecclesiæ
gremium reuerteretur. Plures tamen libri eiusdem
notæ comportati sunt ab auditoribus nostris: qui etsi
alias mille numerabantur, cũ res erant statu meliore,
nunc quadringenti, quingentiue, paulatim numero
succrescente: paucitatem tamen diligentia & pietate
compensant. Declararunt hoc, tum quas habuerunt
statis temporibus declamationes in magna erudito-

rum frequentia: tum supplicationes ab ijs obitæ, Septembri præsertim mense medio, cum res scholasticæ proferebantur: cum scilicet classes per singulos dies binæ ad Sancti Bernardi, religionis ergo processerunt, tota ciuitate inspectante: tum denique magna eorum ad humanitatem erga pauperes propensio: ea tanta est, vt plerique illum ad vsum, quod sibi apponitur ientaculum, vltro reseruent. Aegrotabat Medicus quidam pius et Catholicus eo morbo, e quo non conualuit. filius hunc septuennis admonuit sanctæ confessionis. amauit admonentem filiolum prudentissimus pater, & cum fecisset quod erat admonitus, eumq. nobis vnice commendasset, paucis post diebus obdormiuit, Diuinis tantum rebus intentus. Alij etiã pueri duo, octo nouemue annorum, cum ardentissima febri vrerentur, æqualium se se precibus commendarunt: tum deinde facta confessione, appensaq. ad collum particula cerea imaginis agni cælestis, valetudinem pristinam recuperarunt. Illud quoque pro miraculo habitum: quod cum quadrimus puer in onustum carrum saxis, quæ ad nostri ædificium templi conuehebantur, ludibundus insiluisset, carrucario nesciente (erat enim humilis uehs, vt pæne solum contingeret: etsi per se satis solida atque robusta) incertũ, an quia subsultim ferebatur, excussus est in terram, carroq. interceptus: ita vt in comprehensum femur genuq. immanis rota, plusquam pedali latitudine penitus subsistens incubuerit: obtritum credidere primo accurrentes: mox cum ad eum eximendum, vix vi sublatum esset plaustrum a quattuor coniunctis viris, aut

quinque

quinque (ita erat graue ac ponderosum) nihil comminutum in puero, sed ne luxatum quidem apparuit: quin paulo post vbi se collegit a timore, illæsus incessit. Quod impetratum videtur a Deo, Beatissimæ Virginis, Sancti q. Bernardi patrocinio, quorum ad honorem templum extruitur. Iisdem acceptum referendū est quod cum, vt spatium proferretur templi, vetus destrueretur ædificium, multæq operæ in eo demolien do laborarent, essentq. nonnullæ in tecti fastigio: ex ijs vna, vertigine credo oculorum, animiq. subito casu, præcipitiq. delapsa est in subiectorum aceruum saxorum, quorum offensus satis fuisset ad mortem afferen dam: et tamen, quamquam destituto animo, corporeq. concusso, domum est deportata, octauum post diem e lecto surrexit incolumis. Quas ob res omnes, augetur erga nos in dies ciuium beneuolentia: quam et proxime rebus ostendērūt. Cum enim propter has rerum difficultates magnis premeremur fortunarum angustijs: duo se e Senatoribus, item e Collegio Iuris peritorum, qui causas actitant, duo, totidemq. ex corpore mercatorum, Patri Rectori obtulerunt, conquisitamq. stipem ducentorum amplius aureorum ad Collegium attulerunt.

COLLEGIVM. DOLANVM

DOLANI COLLEGII rerum hoc bien nio hic cursus fuit. Magnus apud nos confitentium cœtus, ad sacramq. Synaxim accedentium. Spiritualibus meditationibus operam salutariter dedit

Abbas vnus, & item alter vir nobilis. Scholæ primo anno frequentiores quam vmquam antea: etiamsi annona premente. successit haud paulo grauius malum, pestilitas. hæc scholas dissoluit, pluresq. e nostris (e quibus obijt vnus) exire coegit ex vrbe. nonnullis tamen relictis, qui ciuibus præsto essent. quod his fuit quam gratissimum. Sequenti anno, vbi repressa peste, laxior rediit annona, scholæ reuocatæ, licet non adeo plenæ. aditi persæpe adiutiq. qui carcere, aut nosocomio tenebantur. Mulier, quæ mortem sibi consciscere statuerat, edocta vt melius viueret. Ciuium pro lixior quotidie erga nos beneuolentia.

PROVINCIA AQVITANIA

AQVITANIAM habuerũt quattuor in Collegijs, Tolosano. Burdegalensi. Ruthenensi. Mauriacensi supra centum, anno superiore, triginta sex. Posteriore, vnus & viginti. ita, quoniam neque vtroque anno in tota Prouincia, neque in singulis Collegijs idem numerus: alter ab altero seorsum, suis in locis, cum rerum capitibus eiusdem anni reddendus videtur. Vita functi sunt hoc biennio septem. Additi nobis viginti.

COL-

COLLEGIVM. TOLOSANVM

TOLOSAE hæc priore anno. Socij quinquaginta. auditæ confessiones vitæ vniuersæ ducentæ viginti quattuor. Reconciliati Ecclesiæ quindecim. restituta dominis non exiguæ pecuniæ summa. Graues inimicitiæ, etiam inter cognatos, compressæ. Scelera permulta impedita. Actum cum duobus, vt æquos se placatosq. præberent erga quosdam, quorum de nece cogitabant: sic vt priores simultates posteriore beneuolētia superarint. Mulieri, quæ omnium, quibus premebatur calamitatum vnā putabat esse leuationem, mortē: persuasum est, vt restem, quam parauerat, cum confessione mutaret. Altera, cuius infantem filium vicina interfecerat errore mentis, eo dolore accensa est, vt non multum ab extremo abesset: tantum tamē valuit vnius e nostris (ad quem adducta est) ad eam consolandam oratio, vt & peccantis impudentiæ ignosceret, & peccatū, quod reuocari nō poterat, æquiore animo ferret. Infantem puerum ferunt, cum securi cæderetur, IESV nomen semel atque iterum inclamasse. Quidam, nostrorum admonitu, auertit se ab amore puellæ, a qua ita habebatur, vt amor esset furori proximus. Alter cum exuere meditaretur castitatis votum, quo se obstrinxerat, varijs terrebatur imaginibus Hebraicarum litterarum, in igne, in aqua, in aere apparentiū: addebatur ad animi aculeos corporis dolor. quin et

solus cum esset, corripi sibi ab aliquo videbatur, cuius manus sentiret, faciem non videret: ita per horã vnam atque alteram alienabatur a sensu. perductus ad nostros, cum audisset, id quod petebat, absolutionem voti a Summo tantum Pontifice expectandam: etsi hoc vsque adeo hominẽ penetrauit, vt imprecaretur sibi mortem: paulatim tamen delenitus, omnino quieuit. Multi ab incantationibus, veneficijs, Magicis artibus abducti: quorum etiã exusti libri. vnus ex his cacodæmoni conceptis verbis iurauerat fidẽ. Ad hæc, obtigerunt quædã admiratione digna. Adolescens importunas terriculas, quibus nocte uexabatur, aqua elusit lustrali, cereaq. imagine cælestis agni, & attentiore precum diligentia. Alter impulsus ad meliorem vitam, quod nocte vna, cum per vrbem ambularet, a quodam, cuius præter manus nihil sentiebat, arreptus crinibus, & dein raptatus erat in luto. Hic aliquando Lutetiæ e Congregatione fuit Beatæ Virginis: nunc se ingurgitauerat in flagitia, pudicitiæ prioris oblitus. Alius quidam vir grauis nõ quidem pro voto debito, sed pro consilio, sexta quaque feria seruabat ieiunium. ab hac vetere consuetudine cum semel tantum, vt amicis obsequatur, discedere cogitat, ientaculum præsumenti, ita de repente obstructæ sunt fauces, vt eius vitæ ab omnibus timeretur. Alius in adolescentia sensit se ad religiosam vitã incitari: sed intimos animi sensus vel negligens, vel dissimulans, cum aliud agit, sinistram sui corporis partem manifesto intellexit a diabolo obsideri: is postea cum suasu nostri sacerdotis octauo quoque die

Diuina

Diuina obit mysteria, ab omni illa impressione liberatur. Vidua quædam paupercula, vna ex ijs, quæ pietatis studio deditæ, templum nostrum assidue frequentant, narrat, doliolum sibi vini esse, quod nihil imminutum videtur, cũ ex eo tamen ab ineunte anno non hauserit tantum sibi, sed impertierit etiam perentibus. addit, interdum per quosdam ignotos necessaria sibi subministrari. Vir vnus cum per inscientiam persæpe legeret Caluini impietates, affirmat, se, quotiescumque id faceret, statim inuadi solitum infirmitate corporis, sine vlla causa, quæ rem miraculo eximeret. Subuentum præterea matronis quibusdã, quæ quod carerent vestibus, pedem domo non efferebant: adolescentibus pariter nõnullis, quorũ res familiaris parua aduersabatur magnæ discẽdi cupiditati. Ex ijs, qui nostrũ celebrant Gymnasium, aut templum, septẽ accesserunt ad varias religiosorum familias: totidem ad nostrã. id dum plerique faciunt inuitis parentibus, sinistros illorum animos prospera contentione flexerunt. Hinc igitur mihi nascetur de posteriore anno scribendi initium. Cum enim tres nostrum ingressi essent ordinem, quinque ad alios se cõtulißent, vnius ex illis, iubente Magistratu coram sequestro, probata constantia. Hic autem cum videret non agi secum ita bona fide, quod non cognosceretur causa, sed adhiberentur ad vim faciendam machinæ plurimorum: ui etiam sibi vtendum ratus, ipso conniuente arbitro, aut potius adiuuante, sese ex eorum medio proripuit, victorq. ad Collegium reuertit. fuerunt autem eo anno in Collegio e nostris quadraginta septem: e quibus

nonnullos

nonnullos diuersa per loca pestilentia dissipauit. atque in primis dimissi quidam e Nouitiorum numero Muretum: quod in oppidum cum vultu non satis hilari accepti essent, quod inutiles futuri viderētur, processu temporis (hoc fuit quadrimestre, cum aliquot interea frustra a parentibus solicitarentur) explicando diebus festis Catechismo, admonendis compluribus, ne nomen Dei violarent vanitate iurisiurandi, docendis sacerdotibus de obeundo recte atque ordine munere Cōfessionis, tollendis multorum inimicitijs, diurnis eleemosynis propulsanda fame, ita se oppidanis approbarunt, vt magna ab omnibus caritate diligerentur. Eodem tempore cum scholæ essent intermissæ, ad Vaurensium Episcopum profecti duo, ita ipsi iucundi fuerunt, ciuibusq. vt bimestre duorum diuersorium, attulerit illis cupiditatem perpetuæ multorum commorationis. Atque hæc extra vrbem. In vrbe etiam nostrorū labor permultis vtilis fuit. Hæretici duo conuersi. Præter hos, adolescens quidam egregius, relictis parentibus, a quibus adigebatur ad hæresim, ad nostrum venit Collegium, vt Catholicis instrueretur moribus & disciplinis. Alter honesto natus loco, cum in proximum se oppidum conferret, vt hæreticum audiret disputantem, aberrauit a via. Incidit forte in hominem (erat autem cæcus, quod non animaduertit ille, cum esset cura suspensus) orat, vt monstret viam. sustulit alter risum: et, Monstrabo, inquit, si tibi ita videtur, cæcus scilicet videnti. cum aliquantum deinde processisset: Ego vero plane cæcus & deuius, qui & animum, & corpus cæcis hominibus

minibus: quid enim aliud hæreticorum Ministri? regē-
dum tradam. Hæc cogitans, conuerso itinere ac muta-
ta mente, ad vrbem primum, deinde ad Catholicam
fidem reuertit. Anteactæ vitæ sordes Confessionis Sa
cramento eluerunt centum fere ac septuaginta. Inter
nonnullos confirmata pax, in temploq. nostro Domi
nici Corporis perceptione firmata. duos etiam inter
coniuges: qui communi voluntate sextumdecimum
ante annum toro se ac domicilio separarant. hoc am-
plius: eorum alter ad Catholicam redijt religionem,
reductis alijs septem, quos habebat socios hæreticæ
prauitatis. In eodem fere genere matrona quædam
falsis circumuenta testibus, & extremo supplicio ad-
dicta, cum ignominiam perinde ac mortem grauate
ferret, & duram se præberet accusatoribus, ad placa-
bilitatem flexa vnius e nostris oratione: quin etiam
piorum apud Deum preces vehementer expetijt, vt
omnis ex animo tolleretur memoria offensionis. Spe-
ctata est similiter virtus Itali cuiusdam in morte su-
beunda. Is cum esset machinalis in bello scientiæ vir
cum primis peritus, specie quidem desertæ religio-
nis, re autem vera spe lucri, ad hæreticorum castra
cōfugit. cōprehensus deinde a Catholicis, morteq. dā-
natus est. Eam autem mortem, non pœnam esse affir-
mans violatæ religionis, quam semper coluisset, sed ef
frenatæ vitæ superioris, vno e nostris assistente, æquis
simo animo tulit. Multiplici compressa peccandi licē-
tia, iniecta Magistratui cogitatio, suggerentibus no-
stris, de coercenda meretricum petulantia. quod &
factum, aliquo earum supplicio, & magno beneficio

iuuen-

iuuentutis. Ad extremum magna pietas hoc quoque anno Tolosatium enituit, cum ad auertendum bellum pestemq. instituto etiam ieiunio, per multos dies Numini supplicarunt. Quam eorum religionem sapienter nostræ scholæ æmulantes, multorum datis nominibus Deiparæ constituerunt Sodalitatem sacro ipso die Beatæ Virgini Conceptæ.

COLLEGIVM. BVRDEGALENSE.

BVRDEGALAE anno priore quinquaginta. Quo quidem anno plusculum fructuosi negotij fuit. cũ enim Rex edixisset vt per vniuersum Galliæ Regnum, Caluinistarum perfidia, ni resipiscerent, multaretur exilio, & quamplurimi bona mẽte seu malo coacti se redderent Ecclesiæ: Burdegalensiũ Antistes, iuxtaq. Basatensium nobiscum egerunt, vt redeuntes præcurrente matura institutione, rite reciperẽtur. ita ex vrbe, ex agris, e uicinis oppidis, cõfluentium multitudine oppressi sumus, per multis mẽsibus, sine vlla intermissione, vt vix respirandi spatium daretur. E Burdegalensi porro ditione reconciliati supra quadringentos: e Basatensi non multo pauciores. Sed & ierunt nonnulli e nostris iussu Burdegalensis Archiepiscopi cum litteris eius patentibus, vt quibus vel sera ætas, vel corpus imbecillum inuideret hoc officium, beneficio Regio ne fraudarentur. Multi igitur in hac excursione conuersi: & pestilentes libri ignibus traditi: etsi hoc quoque non est omissum in

urbe

vrbe: neque enim dicetur vnquã ager perpurgatus dum illæ stirpes erunt ac semina herbarum nocentiũ. et sicut in corporibus ægris, nihil quod nocitur ũ est, Medici relinquunt: sic visum sacrorum Præsidi, vt re cideretur quicquid obstaret Catholicæ religioni Conquisiti igitur sunt huiusmodi libri, & in priuatis ædibus, & in tabernis officinisq. librarijs, Magistratu iubente: quorum tamen cũ pars destimaretur nostris, vt ijs vterentur ad confutationem aduersariorum, cõstanter reiecerunt, ne aliquod nobis ex aliorum, vt quidam putabant, damno, quæsitum lucrum videretur. Nam & inuenti sunt qui cum ab Antistite mitterentur ad nostros imbuendi, multo ob eam causã dolerent magis, quam quod Caluinum desererent. Eodem anno, eademq. de causa nostri erga eos, in quos lege agebatur a carnifice, officiosi fuerunt. alijs nempe annis ad hæreticos admittebantur hæretici: nunc intercluso ijs aditu ex præscripto Regis, nostri vocabantur. itaque multi eiurata hæresi, antequam migrarent e vita, redierũt ad fidem. Cum Illustrissimus Dux Mainnæus Regij ductor in Aquitania exercitus, vir egregie pius, ac nostræ Societatis amantissimus, in hanc vrbem venisset firmandæ valetudinis, ad Collegium accessit, vbi Ecloga varijsq. carminibus salutatus a discipulis. Visum est Archiepiscopo, vt quo benignius respiceret Deus conata Principis, qui totus imminebat in religionis perduelles, in singulis tẽplis hebdomadariæ comprecationes sub vesperam instituerentur, quas concio excipiebat: idq. factum tribus mensibus continuis, æstate media, caloribus maximis

ximis nihil imminuentibus feruorē animorum. Quo præcipue tempore quæ sequūtur, effecta. Adolescēs, qui tenebatur uoto castitatis, dederat fidem puellæ, eam se uxorem ducturum. is cum, Deo disponente, uenisset prius ad nostros, inductus est ut humanum promissum postponeret Deo. Mercator cum fraude nefarij hominis fortunis omnibus exutus, errabat per urbem curis anxius, & ingratus uitæ, quam relinquere cogitabat: ingressus, Deo volente, in templum, vnius e nostris occursu ac sermone placatus, & demens abiecit consilium, & acceptam iniuriam remisit. Mulier per triduum vexabatur furijs, vt nec quietē caperet ipsa, nec capere sineret domesticos: simul ac primum ingressus limen vnus e nostris, pax illi ac domui reddita est. Cuiusdam animum transuersum egerat furor, magno cum mærore matris viduæ, quæ malo victa, consobrinum vocat, vt filium coerceat. hoc ille dum fidentius aggreditur, furiosus in increpantis fauces inuolat, easq. duplici palmarum pressu inhærens ita angit, vt fere animam intercluderet: adest præpropere vnus e nostris, & quasi pro imperio cum ipso agens, quem habuerat in Philosophia discipulū, impulit, vt excusso furore, erratum agnosceret, matrēq. oraret supplex, vti sibi ignosceretur. Alius nō ignobilis cum impar esset ingruenti molestiæ, cultrū sibi in gutture defixerat: hinc vocem postea nullam emittere: & oppressus a dæmone putabatur non leui coniectura. Huc accitus sacerdos vnus, non claram modo vocem, sed longum etiam sermonem, eiusq. animæ salutarem ab eo expressit, super quo sui, tamquā

super

super muto & energumeno querebantur. Nobilis quidam vir cum vi venificiorum, septem filiorum funera vidisset, haberetq. domi vxorem confectam fletu continuo, eoq. insaniæ redactam, vt morte quæreret remedium ærumnarum, unum euocauit e nostris, qui uera & graui oratione, qua & humana dicebat ferenda, & speranda cælestia, luctum pæne omnem non tantum minuit, sed etiam abstersit. Vir erat magnæ in hac urbe auctoritatis, qui Collegium nostrum olim celebrauerat, & Deiparæ Sodalitium, cui dederat nomen: ad templum postea itare numquam intermiserat. hic cum grauissima tentaretur ualetudine, ac prospiceret mortem imminentem, e nostris aliquot uocat, quos a se numqam uoluit discedere. condit testamentum. quinque aureorum millia, ut liberaret religione parentis animam iam mortui, in pios usus erogat: legasset etiam Collegio aliquid, nisi sacerdos, qui illi aderat, obstitisset. mortuus est. volat repente per vrbem rumor, omnia bona Iesuitis captatoribus relicta. res magna flagrabat inuidia, atque adeo infamia: hanc vt a nobis auerterent viri primarij, auctores fuerunt, vt ex Senatus Consulto aperiretur testamentum, atque inspiceretur: re autem comperta, omnis calumnia in laudem vertit. Libellum de rebus pijs vnus e præceptoribus discipulo dedit, quem cum alius legit huius socius, qui erat religiosæ familiæ desertor, ita edoctus permotusq. est, vt ad se primum, deinde etiam ad vitam priorem rediret. Fuit ex eorum numero, qui ad nos ventitant unus, qui cum interrogaretur quid sentiret de Sanctorum imaginibus:

Ego

Ego vero, respondit, quam vtilis sit pietas erga illos, partim quidē audiui, partim etiam sum expertus. Cū enim difficilis morbus & longus, e quo emerseram, eam mihi reliquisset virium infirmitatē, vt non nisi alternos gressus adminiculis nitens incederem, cū venissem, peregrinationis voto suscepto, ad Sācti Capratii, eūq. orassem, relictis ibi adminiculis, atque ad posteritatis memoriam suspensis, domum meis pedibus ualens reuerti. Toto tempore sollemnis ieiunij quadragenorum dierum missi tres ad varia oppida sacerdotes, qui concionibus adiuuarent audientes. et ne communia memorentur, in oppido Sancti Macharij reductus ad ordinem apostata: faciliorem mulieri laboranti effecit partum sacra Dei agni imago adalligata collo: persuasum multis ut ad ieiunium adderēt corporis afflictationem, & humile in mendicos obsequium. Basati abstracti aliquot ab hæresi. Agimmi a sacerdotibus duobus acceptæ confessiones trecētæ quadraginta.

POSTERIORE anno, quo nosti fuerunt quadraginta octo, ut mos gereretur sacrorum Antistiti, omnibus omnino diebus habitæ conciones: quod ita uiderentur ea tempora postulare. nec sine fructu. et quamquam non nostrorum tantum is labor fuit: tamen magna pars oneris in illos incubuit. auditi de tota uita confitentes centum uiginti. Catholico Catechismo instructi ad sexaginta. qui numerus etsi minor, quam anno superiore, hoc pluris est faciendus, quo affirmatior conuersio quæ libera est, quam quæ a metu profecta. facta etiam inquisitio in libros, et

qui

qui damnatæ superstitionis, exusti. Instituta schola in Collegio de Controuersijs nostræ tempestatis, non ambigua utilitate multorum: cum euellantur quotidie Caluini & Bezæ zizania, quæ agrum occupant. Doctrina Christiana, quã tradere in parœcijs aliquãdiu intermiseramus, quod a sacerdotibus officia Ecclesiastica non sat commode temporibus diuiderentur, vt repeteretur, auctor Archiepiscopus fuit, admonitu Senatorũ: qui suo etiam ære, & Rosaria coemunt, & Catechismos: vt ad acuendam piam æmulationem peritioribus tribuantur. Scholarum & scholastico rum numerus, idem qui ante pestilentiam: et horum mirifica erga magistros fides & beneuolentia: sic vt ex ipsis duo, cum a parentibus iuberentur, vt nostro relicto Gymnasio, ad aliud se conferrent, affirmarint, id si facere cogerentur, multam salutem scholis et litteris dicturos. Vni cuidam cum parentes, qui erant hæretici, Caluinianos libros obtruderent legendos, quam parere illis in re tam nefaria, mori malle respondit. adolescens alter in altero Gymnasio positiones proposuerat, ad certum diem publice disputãdas, illisq. sanctissimum IESV nomen de more præscripserat: quod cum hæreticus liuido vngue concerpere esset ausus, in carcerem truditur iussu Senatus: dein condemnatus est, vt in nostri Collegij Aula virgis cæderetur, atque hæresim abiuraret. Statutum præterea vt scholastici nostri scriptiones suas IESV nomine insignirent, alterius Collegij, quod Aquitanicum dicitur, signo Crucis. Qui e Gymnasio nostro alio conuolarunt ad percipiendam scientiam Iuris, pietatem

adhuc eximie tuentur: quod vel hoc anno maxime apparuit. Cũ enim non exiguus esset Caluinistarum numerus, qui ad easdem scholas adirent, stelliſq. candidis ueluti nebulã aspergerent, litteras supplices, quas singuli sua subsignarunt manu, ad Senatum dederunt, vt illo in Gymnasio, Caluini æmuli quotcumque essent, vel Caluinum desererent, vel cederent ex vrbe. quod cautum est Decreto Senatus. Ceterum, ijs, qui Sodalitatem Dei Genitricis frequentant, nostrumue Gymnasium, & litterarum missio, quibus Pontifex eam firmabat, & præmiorum allectatio, quibus magno in theatro donati industrij, incitamento fuere. Sed, vt abeamus a scholis. Pharmacopolam conuenit homo adolescens, præsens medicamentum comparare discupiens, quo puellæ, quam grauidam fecerat, abigeret partum. ille nescio quid causatus, simulq. veritus ne si daturum negaret, ad alios exasperatum iuuenem dimitteret, fortasse non negaturos, venditionem differt: defert interea rem ad vnum e nostris, cuius de consilio potionem conceptui vtilem, non exitiabilem præbet: redijt adolescens post aliquot hebdomadas, re nullum sortita exitum indignans. iteratur eadem potio, nihil obfutura. Mulier cum a teneris annis imbibisset Caluini venenum, collocata est viro Catholico: sed vt difficile est ab ijs abstinere, quibus a pueritia assueueris, clam peruolutans eosdem libros, in anima pestem nutriebat. incidit in morbum: nihil agunt Medici: accersuntur Magi: aliud agunt. incesserat nempe tabes ex atra bili, quæ ita corpus laborantis infecerat, vt cum septem enixa esset partus, quasi ad mortem

eos

eos effunderet, non ad vitam, de cunis omnes, ac fere de ventre transferrentur ad tumulum. venit marito in mētem nostros consulere: ac primum impios libros cum pijs mutare iussus, ad confessionem deinde vxorem allicere: quo facto, per sanatus animus corpus quoque restituit sanitati. eiusdem virtute Confessionis alia quædam spectra depulit, quibus noctu agitabatur. Sed hic quoque piarum aliquot mulierum virtus enituit. Erit hoc exemplo. Mulier quædā re familiari pauper, caritate dives, extra domunculam nihil fere habet, manuum mercede inopiam tolerat: ceterum ita pia & benefica, ut mendicas quidem mulierculas, sed eas maxime, quæ aduersa valetudine, domi excipiat, earumq. subueniat necessitati corporum, animorum salute non neglecta. Quin etiam cum audisset de concionatore aliquando, rem xenodochij in eo esse statu, vt sine alieno auxilio sustētari non posset, eo tulit quicquid erat in ædibus reliquum linteorum, nulla re sibi reseruata. Iam quid memorem redditos nummos, animosq. reconciliatos? Et inter hæc tamen non caremus obtrectatoribus. sed illorum maledicta illustrant nostram benefaciendi consuetudinem. Eorum vnus ægrotans grauissime, primum se nostrorum precibus commendari, deinde vnum ex iisdem accersiri iussit. Alter, nostrorum victus officijs, negari exclamauit non posse, nos eos esse, qui pro malis bona rederemus. Quidam in media via quasi furore correptus, intemperantia linguæ, contenta voce, in nos multa effundebat. exaudiuit eum e proximo vir summum Magistratum in Republica gerens, & cum pro indi-

gno haberet nostram famam lacerari contumelijs, vi hominem arripi, et in carcerem tenebricosum duci imperat. mox venit in Collegium: admonet, vt rem nostram iudicio persequamur. at nostri contra, vrgere, instare, vt dimitteretur. quod cum dilatum esset: postridie missus ad Iudices, Collegij Procurator, non destitit, ad eorum pedes prouolutus, orare, obsecrare, donec impetrauit hominis liberationem. Itaque & ipsemet descendit in tenebras carceris, & maledicum illum perfusum pudore & lacrimis, apprehensum manu, multis etiam, quibus eares fuit admirationi, collacrimantibus, eduxit. Nonnullorum præterea, qui nobis erant infensi, amicitia contracta. Super hæc placuit Senatui, omnium cognitionem causarum, quibus forte implicabatur Collegium, ex inferioribus Tribunalibus ad se transferre, quas non gratis modo, sed etiam celeriter finierunt. Quod ipsum me admonet ut ad nostros, ipsumq. Collegiū veniamus. E pluribus in Societatem admitti cupientibus, propter angustias Prouinciales duobus tantum est gratia facta. aliquot ad alia Cœnobia remissi. Obijt summo omnium dolore aut mærore potius Pater Ioānes Sangenotius, vir nō minus actionis virtute, quam contemplationis excellens. visus est suum præsciuisse exitum, quem prædixit. Quattuor fere ante mensibus Patri Prouinciali significauit in sermone, se breui moriturum. cum detineretur morbo, quærit de fratre valetudinario, quis ei tutelaris Sanctus in menstrua distributione obtigisset: cum is Laurentium respondisset, idem, inquit, et mihi. oremus proinde cum vterque, vt ipsius die natali

tali in Paradisum ingredi merear. Deinde cum quadã nocte esset iucunda Christi Domini eiusq. Genitricis visione recreatus, mane postridie, eius rei seriẽ Præposito Prouinciali enuntiat, affirmatq. triduo post sibi ex hac vita migrandum. quod etiam nonnullis Patribus indicauit. nec vana prædictio. die enim ipso Sancti Laurentij. Sacramentis munitus Ecclesiasticis edidit animam. Vir vtique, vt superius attigi, & dum vixit, admiratione, & post mortem, memoria dignus. Cum hoc biennio exarserit in Aquitania bellum, & nostris tamen fuerit varia ob negotia alio atque alio commeandum, omniaq. obsiderentur ab hæreticis, qui in ipsis itineribus ad notas latebras insidiabantur, non tam sitientes prædæ, quam sanguinis: magna Dei prouidentia factum est, vt nemo nostrum in eorũ manus veniret. etsi nonnulli proxime a periculo fuerũt. Tolosa quidam Burdegalam proficiscebatur mutata veste: cum inclinaret dies, diuertit ad oppidum, quod erat in via: concubia nocte oppidum capitur ab hæreticis. vexantur oppidani, spoliantur, trucidantur: omnia strepitu gemituq. circumsonant: iniectus ignis in multorum domos fugam impediebat. ibi tum frater noster per mediã flammã expeditus, Deo ducẽte, sese proripit ad muros, &, hostibus licet in eũ irrito ictu sclopum quater intendentibus, cum multis demissum lapsus per funẽ, Diuina fiducia properus, et votorum plenus euasit. Duo item Patres cũ Lutetia Burdegalam nauigarent, in piratas inciderunt Rupellanos: et quamquam ementito habitu, parum abfuit quin pro sacerdotibus agnoscerentur. et agniti essent haud du-

bie, nisi sarcinula, in quam Rosaria Breuiariaq. & ne scio quid pagellarum coniecerant, eorum oculos effugisset (quod sane quam fuit admirabile) otiose omnia, quæ erant in naui, & curiose scrutantium.

COLLEGIVM. RVTHENENSE

RVTHENIS primum duo & viginti. Insignis erga nos Episcopi liberalitas, quæ nostram inopiam nisso frumento sustentauit: non denegaturus præterea (ita enim renuntiari iussit) quantum peteremus. Nostram idem bibliothecam multis optimisq. voluminibus locupletauit. Concio, & Catechismi explicatio non est intermissa. Semel accidit, vt cum Catechistes ad templum accederet causa docendi, in iuuenes puellasq. incideret, manibus nexis, pulsu pedum, tibicinis sonum in platea modulantes: quod cum ægre ferret, illi, vt sileat imperat, his, vt quiescant. ipse pro loco editiore concionem habet ad populum: auditusq. est per horam integram non solum patienter ab omnibus, sed etiam libenter. rem dictu magis, quã æstimatu, in hac ciuitate paruam. Semel etiam cõcionator cum lectam ex vrbe oppidisq. magnam vim librorum vellet incendere, iniuit rationem, qua plus prodesse Reipublicæ posset. Itaque a concione admonuit, blandum illud rectæ fidei venenum (ita appellabat monumenta hæreticorum) debere tolli. accensus est rogus in loco frequenti: in quem cum coniecissent libros, quos ante parauerat, non defuerunt statim qui suis e bibliothecis depromptos similes cum illis coniunge-

iungerent, vt misceretur incēdium. Fame, bello, popu lari morbo in hac vrbe laboratum: quo magis nostris fuit inuigilandum in extremis eorum necessitatibus. ita, & morbo tentati omnes, vno tantum excepto, & sublati sacerdotes duo. nec sine aliquo miraculo. eorū enim vnus integra valetudine, alteri, qui Præfectus erat valetudinarij item valenti, eum quasi ad conditum inuitaret conuiuium: Breui, inquit, ambo splendido epulo excipiemur. et vero eodem vterque die, eademque pæne hora decessit. Scholarum, Sodalitatisq. Beatæ Virginis is fructus, qui annis superioribus. ex hac vnus impudicam feminam, a qua semel iterum ac tertio compellebatur ad flagitium, ab se semper reiecit, incepto forti, non prospero solum euentu. Hæc in vrbe: foris enim etiam aliquid gestum. Concionator vnus quodam in oppido huius diœceseos, & doctrinam Christianam exposuit, & scorsum expoliuit sacerdotes, & audiuit confessiones multorum, & restituit Ecclesiæ nonnullos. Rex cum bello statuisset persequi perduelles, eius Præfectus exercitus (Franciæ Halmyralum vocant) duos e nostris aliquandiu esse voluit in castris, vbi concionibus habendis, iuxtaq. confessionibus audiendis, aliquid profecerunt. expugnatum cum esset castellum munitissimum, captiq. omnes hæretici, concione ad eos habita, magna eorum pars ad Orthodoxā fidem conuersa. In hoc rerum motu Catholicorū etiam spectata religio. obsidebatur ab hæreticis vir æque nobilitate ac religione excellens: præclusa spe salutis (vt in rebus extremis) ad Deum confugit: votum suscipit confessionis apud nostros faciendæ.

ciendæ auditas sensit preces ab animo addito. itaque postea, nec longo, nec difficili negotio cum fugasset hostem, votum exoluit. Adolescens & domo hæreticus, & disciplina, missus ad nostras scholas, vt addisceret litteras, animum purgauit erroribus. vbi hoc compertum parentibus, dedocendum eum primo ab hæretico blaterone, mox etiam coercendum vinculis, atque inedia curant. vtrumque sine effectu frustra enim cogitur illius corpus, cuius sibi animū Deus obstrinxit. Hæc anno priore.

ALTERO duodeuigintī. Qui scilicet annus ita luctuosus ac pestifer fuit, vt scholæ fuerint dimittēdæ. quarum professores duo deinde morte amissi. Hoc interim tempore cum se nostri ante exercitijs spiritualibus roborassent, ad adiuuandos proximos operam contulerunt: quibus, vt in tali perturbatione, timor mortis saluti fuit. Quamquam et nostris diu fuit pugnandum cum vana superstitione multorum, qui figuris quibusdā & characteribus inscriptis, linoq. nexis ad collum, pestem abigi putabant. quo artificio quidam veneficus, cui auctoritatē addebat Sacerdotium, vrbem ipsam & paræcias in agris fere quinquaginta infatuarat, eiusq. mercedis loco, magnam ad se pecuniam conuerterat: annuam scilicet totius corporis sanitatē ea ratione promittens, quam sibi præstare non potuit. expulsus enim ex vrbe, paucis post mensibus misere interijt. actum deinde vt omnia eiusmodi amuleta cum superstitiosis perscriptionibus, afferrentur, ignibus deuouenda. Quanto melius quidam, qui cum deliberasset diu, an illo uteretur ueneficio, consilium

silium sapientius cepit, pestilenti tumori ceream agni imaginem, veluti malagma imponendi. quod cum feciſſet, placido correptus somno, et experrectus post horam, conualuit. Multa hic quoque de adolescentiũ pietate, eorũ, qui de Sodalitio Parthenio, dici possent. Sed ea, quoniam cum ceteris communia, silentur. Obita sunt etiam a nostris, concionando, confitentes audiendo, Catechismum docendo, iras tollendo, aliaq. Societatis munia exequendo, oppida nonnulla. In vno quidem, ut omittatur de reliquis, Catholicæ Ecclesiæ recõciliati per Episcopũ amplius mille ducẽti.

MAVRIACENSE. COLLEGIVM

MAVRIACI priore anno quattuordecim, posteriore, nouem, vt res vtriusque coniungam: quamquam de hoc, illud dumtaxat. Mirum fuisse, nostros non infici tabe, cum inter infectos assidue versarentur. Itaque, vt ad priorem reuertar, diebus maioris ieiunij, & Mauriaci, & vicinis duobus in oppidis, nostri conciones habuerunt: fenebrem ante omnia quæstum, rerumq. Ecclesiasticarum venditionem, id quod opus erat, verissima oratione damnãtes. redintegrata gratia inter multos. Mulier erat in Lemouicum finibus non procul Mauriaco, attonitæ mẽtis: et re ipsa, seu potius simulatione, a diabolo oppressa, futura prænuntians, illigatam habebat plebẽ, et litteras etiam disseminans, quæ publice in Christianorum conuentibus legebantur. Hæ porro, facta in eas inquisitione a Proepiscopo, multis viris Eccle-

siasticis

fraſticis, & noſtris etiam adhibitis, cum ſuperſtitionibus refertæ atque erroribus reperirentur, ſancitum eſt, ne legantur in poſterum, ne ve habeatur amenti fides. Si quis contra faxit, & certa multetur pecunia, & excludatur Fideliũ conſortio. Mauriaci adiuti præcipue qui inciderant in peſtem. eo morbo laborabat quidam, qui cum ſuperioribus proxime annis Societatis noſtræ exarſiſſet deſiderio, more mortalium, interiectu temporis relanguerat. et nunc ſane cum deſperata eſſet ſalute, aſpexit, vigilãs ne, an dormiẽs, ſed propior vigilanti, fœdum cacodæmonis monſtrũ, terrore horribili, quem depulit continuo iucunda ſpecies, & placidus ſermo Noſtri Patris Ignatij, qui illũ ſolari viſus. et reddita quidem eſt homini ſalus, & recordatio prioris conſilij. Nec minor annonæ grauitas, quam peſtis. qua etiam, quantum in nobis fuit, ſubleuauimus multos, longo ad nos itinere venientes. Iam quid dicam de bello? hæc enim mala omnia congruerunt. Dilapſæ propterea ſcholæ, noſtrumq. Collegium (quippe nouum ædificium in oppido non valde munito) tamquam arx a militibus, qui erant in præſidio, haberi cœptum. Quamobrem, cum totum teneri a noſtris non poſſet, nec deſertum omnino vellent, medium captũ eſt conſiliũ, vt aliquibus manẽtibus, aliqui in tutiora dimitterẽtur. Dum alij alio proficiſcuntur, ſacerdos vnus (is fuit Franciſcus Philonæus) & ſocius laicus, in hæreticorum manus incidunt diſcurſãtium. incogniti fuere principio: paulo poſt ex modeſta ad interrogantes reſponſione, Ieſuitæ agnoſcuntur. Hic clamore omnes ſublato, riſuq. quibusq. alijs mul-

titudo

titudo solet lætitiam immodicam significare, nostros circumstant, sarcinulis spoliant, pallijsque: & strictis gladijs mortem intentant: neque abstinuissent: nisi eorum quibusdam mens iniecta, vt ad Ducem deducerẽtur. Imponuntur equis clitellarijs, ingrata eorum segnitie, non tantum incommoda: ad quam videlicet castigandam, præter succussum, ipsi etiam sessores, non sine irriſu, verberabantur. præcurrit nuntius ad Ducem. qui grauatus nostrorum aspectum, destinat inuisos ad patibulum. hoc dum paratur, conijciuntur in stabulum. eo fit concursus exultantium militũ atque insultantium neque vlli conuiciorũ generi parcitur. En hypocritæ, aiunt, populorum seductores, adolescentiæ corruptores, tubæ bellorum ciuilium. Inter hos quidam, cum Philonæum Turonensem esse didicisset, inter multa scitandum, agnouit esse consobrinum suum. Tum recto itinere ad Ducem: deprecatur a fratre tam graue supplicium. Dux captiuos duci iubet ad se. Erat is, nomine, digno videlicet quod e re ipsa esset inditum, Malignus: qui quod extorris esset e Francia, multis sibi aggregatis Caluini æmulis, Aruernorum montes ferro flammaq. vastabat. cum stetissent nostri corã illo, magnis vocibus deposcebantur ad cædem, & contumeliæ vndique ingerebantur. vix etiam parcebatur vulneribus. at Præfectus arcte eos custodiri mandat: si redimi vellent, bis mille aureorum summa præscripta. manibus igitur vinctis, horrendum includuntur in carcerem: arctum panem, & aquam breuem vix habent ad vitam tolerandã: etsi, propter consobrinum, paulo mitius agebatur cũ

sacer-

sacerdote. erant eodē in loco et alij vincti: e quibus duo nocte quadam effracto muro cum effugissent, omnis excubitoris ira, vbi id mane animaduertit, in vnum sacerdotem incubuit: nec expletus maledictis, sicam primo vibrauit in corpus, deinde in caput: sed, Deo protegēte, casso ictu, vestibus licet confossis, pileoq. diffisso. res interea vulgatur de nostris comprehensis: itaque volant a viris nobilibus nostri amantissimis ad Malignum litteræ, vt homines innocentes, quibus ob votiuam paupertatem nihil præter vitam, dimittantur incolumes. ad eas Malignus, acute videlicet, vt visus est sibi: Par est Iesuitas eisdem affici crucibus, quibus afficiunt nos miseros hæreticos. Paucis post diebus cohortes Regiæ, castrum illud, in quo nostri detinentur, oppugnant. noctu perduelles colligentes vasa momento profugiunt, nostrosq. cum captiuis ceteris ad crassum funem alligatis manibus post terga, per montes, valles, amnesq. via præcipiti, ardua, lubrica, agūt trahuntq. cum ægre eniti possent post equites antecedentes. Peruenitur in alterum oppidum (hæreticorum erat) et vti erant madidi, lutoq. obliti, in fœdam abdūtur custodiā, vt neque post octauū diem vestes siccarentur. Mittitur ad eos interea minister Caluinista cum Diacono: initur disputatio de rebus fidei coram Catholicis hæreticisq. ex hac cum superiores discessissent nostri, succensentibus magistro suo aduersarijs, magnus animus Catholicis accessit. exq. eo tempore non Catholici modo, sed & Lutheriani Heluetij humaniores se nostris præbuerunt, eorum ærumnam iuuantes beneficijs, & iniquo

animo

animo ferentes. Donec Collegij Rector argentum vndecunque corrasum attulit ad illos redimendos. Quibus Mauriacum deinde redeuntibus, ita effusi sunt oppidani extra mœnia, tantusq. fuit omnium concursus, vt quantum dolorem cepissent ex absentium periculo, præsenti gratulatione testarentur.

PROVINCIA ARAGONIA

ARAGONIA Prouincia Sardiniam adiunctam habet. Scribetur tamen de vtraque seorsum. De illa prius, in qua Domicilijs distincti nouem, socij circiter ducenti quadraginta quinque. Valentiæ, in Domo Professa triginta. In Collegio duodequadraginta. In Collegio Gandiensi vigintiocto. In Cæsaraugustano sexaginta. In Tarraconensi decem. Vno minus in Bilbilitano. In Balearico vndeuiginti. In Barcinonensi triginta. In Gerundensi denique viginti. Concessere decem. Succesßere triginta duo.

DOMVS. PROFESSA. VALENtina.

DOMVI PROFESSAE Valentinæ nihil defuit ad proximorum vtilitates, quod aut alibi faciunt socij nostri, aut fecit ipsa alijs annis. Illis igitur

igitur vt communibus omissis, his vero vt vsitatis, nonnulla tantum indicabo, quæ propriam narrationē habebunt. De bonorum quorumdam possessione contendebant pater & filius: ea cum neuter concedit alteri, discedit vterque ab amore. Sed cum redijssent tandem in viā hortatu nostrorū, agnoscenti filio culpam, pater veniam non grauate dedit. Inducta muliercula a malo dæmone, per sexennīū fere multitudini imponebat. multa sibi ostētari Diuinitus prædicabat: ostentabat ipsa in manibus vulnera, Christi cicatricū imitamenta: ex his si quis linteolo siccaret sanguinem, summi deputabat beneficij loco. Domus eius celebrabatur assidue. consilium ex ea vulgo expetebant, munuscula afferebant. Ipsa cum uis atrior effoderet vulnerum, quasi abstracta corpore. superstitione animos imbuebat. adductus ad eam vnus e nostris aliquot continenter diebus, dolum didicit, & docuit imprudentem. ita in hospitalem perducta domum, & curatis vulneribus corporis, ad sanitatem mentis reducta. Impura quædam mulier, amicusq. nocte quadam cum essent in lecto, exterriti primum sunt uehementi canum latratu, post horam monstri horribilis aspectu. igitur relicto cubili prolapsi in genua communi uoto se obstringunt, numquam in posterum perpetraturos crimen, quod animæ mortem afferret. primo diluculo ueniunt ad templū, Rem Diuinā audiūt, ante consecratam Hostiam eiusdem uoti sponsione se obligant: neque adhuc fefellerunt fidem. Multæ eiusmodi mulierculæ e peccatorum gurgite emergētes, aut in tutam stationem abductæ, aut in portu matri-

monij

monij collocatæ. Insigni erat forma, ac pudicitia uirgo: huic dum tenduntur semel atque iterum per domesticos insidiæ, cautum est, nostrorum prouidentia ne expugnari posset. Puer quidam annorum uix duodecim, cum uisus esset sibi in quiete uidere alterum e parentibus obsessum a cacodæmone, iam iamq. abripi, uno tantum e nostris prohibente: excitatus e somno est cum ingenti clamore. cuius causam cum quærunt parentes, nullam eliciunt. it puer ad templum proximum, sacro interest. hic exoratus, somnium parentibus enarrat: quod primum illis terrori, mox autem, meliore suscepto uitæ consilio, saluti fuit. Adiuti, ut nostra fert consuetudo, morte multandi: atque in his Maumetani nonnulli: cum quibus præclare actum: cum & ante mortem Christiana susceperint sacra, & Christiane mortui, IESV nomen subinde vsurpantes, & permissu Proregis, Christianorum ritu sepulti. Quod nostrorum officium ita gratum est vrbi, & sontibus vtile, vt cum ijs egerint ciues, vt hoc munus propriũ habeant. Excursum Quadragesima, ut assolet. Setabin missi sacerdotes duo. Hoc loco illud accidit memorandũ. Habebatur cõcio de Christo Domino in Crucem acto. Surgit in media concione mulier, & se mariti cædem remittere profitetur. eius exemplum secuti viri tres. Itum est etiã alio, Bacchanalibus: ijs scilicet diebus, quibus effrenata et præceps viuendi licentia: sed tamẽ tanta uis fuit Diuini verbi, vt in sacros Maioris hebdomadæ conuersi viderentur. Sedatæ plurimorum discordiæ: cum qui alieniore prius erant animo, vt in aduersa-

rios

rios inciderant, dare vicissim veniam ac petere occuparent, & qui iniurias condonauerant, non condonantibus essent indicio. Incertæ multorum nuptiæ legitime copulatæ.

VALENTINVM. CAESARAVgustanum, & Gandiense Collegia.

IN COLLEGIO Valentino magna pietas discipulorum: pæne par discendi diligentia. hanc testantur disputationes publicæ: illam aliquot in Societatem admissi, & Sodalitas Deiparæ, nobilium numero efflorescens. Duorũ ex his ab impudicis feminis frustra tentata pudicitia. Diem Sacrum Beatæ Virgini pijs studiis et scholasticis, qua musico concentu, qua declamationibus carminibusq. anniuersario more celebrarunt. In sollemni quadraginta dierum ieiunio ter hebdomada, cetero anno sexta quaque feria diuerberationes corporis a multis sponte susceptæ. Catechismus tribus quattuorue in vrbe locis expositus: in pluribus conciones habitæ. Nosodochium cum inuiseret sæpe vnus e nostris, intellexit, eo quod sacerdos ibi certus non esset, sine præsidio Sacramentorum decedere nonnullos. auctor proinde fuit, vt ad sacerdotes alendos annui redditus constituerẽtur.

CAESARAVGVSTAE nouum Collegij tẽplum superiore anno perfectum, ac frequentari captum est. Tres in nostrum ordinem adscripti. cetera de more. ex his sparsim nonnulla ponentur. Maritus vxori vitam adimere cogitabat: a viro alia discedere,

re, vitæ incertæ nostrorum consilijs & vir ad meliorem mentem, & ad spem meliorem uxor reducta. Duarum rerum cuidam vni subeundum periculum erat, aut periurij, aut inimicitiarum. fluctuantem animo tranquillarunt nostri placato aduersario. Contra nonnullos ignominiosæ latæ erant sententiæ: ab auctoribus impetratum, vt eas ne iudicio persequerentur. Quorum magnum erat æs alienum, res exigua, eorum actum cum creditoribus, ut debitum vel remitterēt, vel minuerent, vel eius solutionem in diem differrēt. Quidam collectitia pecunia e vinculis exempti. Res domestica aucta olieto, fundoq. quem quidam moriens, cui nulla nobiscum erat consuetudo, Collegio reliquit. Neque est omittendum, quod unum e nostris Fratribus præsētis mortis periculo eripuit. Erat huic sacerdoti comes itineris. diuertuntur in publicū hospitium. alteri separatum cubiculum ab altero datur. Sed sacerdos lectum Fratri insterni in eodem cubiculo iubet. Diuino, vt patuit, instinctu. nam tubiculum, quod erat Fratri assignatum eadē nocte corruit. Sacro Quadragesimæ tempore concionati sunt nostri in aliquot huius Regni oppidis. in quorum vno, vbi nullæ ante id tempus auditæ nostrorum conciones, tantus animorum motus est factus, adeoq. ciuium studia incensa, vt manentes confessionibus defatigarent, abeuntes lacrimis prosequerentur.

IN GANDIENSI Collegio Philosophiæ studia feruent vt cum maxime. Acta tragœdia Sancti Sebastiani magno cum apparatu, populiq. concursu: eaq. res accidit omnibus iucunda. Vir restitutus

vxori, a qua discedere decreuerat. Stupidus homo quidam & lymphatus, qui nulla cuiusquam aut prece adduci, aut vi cogi poterat, vt adiret ad templum, ne dum vt confessionem faceret, vel Rei Diuinæ interesset, nostri cuiusdam oratione, Deo rem adiuuante, ita permotus est, vt iam sacra frequentans mysteria, non tantum sanus videatur, sed etiam pius: nullo superioris amentiæ vestigio relicto. Mulieres duæ a meretricio quæstu abstractæ Virginis Dei Matris Sodalitium ex Reuerendi Patris Nostri Generalis præscripto renouatum.

BILBILITANVM. TARRACONENSE, & Barcinonense.

BILBILI feminæ nonnullæ a turpi vita abductæ, & honeste collocatæ: odia aliquorum restincta: custodiæ publicæ, viciniq. pagi de more lustrati.

TARRACONE, vnius e nostris, qui concionatus est, hortatu, xenodochium perfectum, & sane magnificum. eodem admonente decretum de scortis, & pellicibus ex vrbe pellendis. Domus nostra breui, vt spes est, perducetur ad tectum: nouus enim Archiepiscopus nostri ordinis apprime studiosus, Patri Prouinciali pollicitus est, daturum se operam, vt absoluatur.

BARCINONE obiit anno superiore Pater Iacobus Benedictus, huius Minister Collegij, in multarum virtutum exemplar genitus. Vixit annos in Societate

cietate viginti sex, tanta commendatione sanctitatis, vt quæ ipse habuisset in uita, ex ijs, si quis aliquid corraderet alicunde, lætus atque alacer discedere videretur. Mulieres duæ, quæ erant viris illecebræ peccandi, nostrorum admonitu resipuere. Vitium obtulerat virgini adolescens. ea res multorum iram accendebat. nuptiæ flagitabantur. ille alia omnia. ea offensio altius penetrabat, in sanguinem videlicet eruptura. Intererat hic aliquando vnius e nostris cõcioni, quam cum audiret attente, persensit aculeos. euulsa animo vetus opinio, noua insita. Nec cunctatur diu. rẽ permittit concionatoris arbitrio. nuptiæ factæ magna gratulatione ciuitatis. Simili efficacitate concionum reductus ad bonam frugem vir summo natus loco, nec scelere minus, quam genere illustris. Adolescentulam ab ætate incautam aggreditur dæmon terribili aspectu, eam se arrepto igne sequi iubet. sequitur præeuntem ignara consilij, lumine accenso. ducitur ad cumulos palearum. huc iniectus est ignis. tum veterator monstro attonitæ iracundiam patris ac sæuitiam subijcit, nulla ratione placandi vnum effugium, antequam ipse resciscat, restis. Hæret anceps animi, atque incerta. at ille in varias se species pecudum, atque adeo ferarum transformat. Diuina tandem benignitas affuit imprudenti, neque eam induci passa ad interitum. rem deinde omnem nostris Patribus ipsa puella ordine exposuit. Mulier quædam comperta erat adulterij. eius vir e prima nobilitate longo itinere ad nos venit, ingenti curarum æstu. quibus tamen leuatus est, vbi persuasum est homini, vt minimum eligeret e malis,

atque admissi flagitij veniam adulteris daret. Aduersus sontes, & nouissima exempla meritos, nostrum auxilium non defuit. Quoniam ex hac urbe est frequens transmissio in Italiam, multi ad Collegium veniunt ex externis viri nobiles: et sacri aliquot Præsules scholasticis nostris exercitationibus magna significatione voluntatis, interesse voluerunt quamquam magnus etiam erga nos ciuium amor. Moriens vnus nos heredes ex asse instituit alter, qui in publico Gymnasio profitebatur Philosophiam, Collegio bibliothecam testamento legauit. Quo plenius ac planius docerentur (rudes quorum maior est opinione multitudo) mysteria Christianæ doctrinæ, auctus est numerus docentium: ij iam duodecim numerantur. Catholici Regis rogatu, cuius erga nos liberalitatē i singulos annos experimur, missi e nostris nonnulli ad oppida quædam in Pyrenaicis iugis, quæ et propter rerum Diuinarū imperitiam, & propter mala vicinæ pestis contagia, nostrorum ope indigebant. Magna spes erat huius missionis, quam euentus approbauit. Nihil iucundius videbatur illis populis accidisse, nihil vtilius posse accidere. Non est necesse omnia exponere, & præcipue communia: sedatas iras: remissas iniurias: sublatas peccatorum illices consuetudines. quædam reponentur magis insignia. Quo de genere hæc fuerunt. In oppido quodā Auſetanæ diœceseos, sollemne erat, vt omnes fere dies illi, qui inter Natalem Domini & Epiphaniorum sunt interiecti, saltationi darētur, promiscuo profanorum hominum, sacrorumq. cœtu. id fieri desitum. In altero Cœnobitæ duo inter se dissidebant,

bant: et cum reduci non potuissent vnquam ad concordiam, nostrorum opera hoc opus perfectum est. et iucundum fuit oppido spectaculum: cum, vt intelligerent omnes, eos redijsse in gratiam & optima fide reuixisse amicitiam, vterque alterum toto pectore adstrinxit. Maumetano cuidam iam manumisso liberũ erat redire in patriam. at recusauit ille, postquã, Deo adspirante, lucem veritatis aspexit. ita & imbutus nostrorum alloquio, & sacro Baptismate ablutus est.

GERVNDENSE. COLLEGIVM

GERVNDAE etiam nostrorum opera præclare stetit: pio perinde principio, ac prospero euẽtu. Multa hic quoque tacere, opinor, quam narrare satius erit. propterea quod contrita quæ sunt Societatis nostræ munia, narrando potius, quã tacendo imminui solent. ita res, quantum vis memorabiles, assiduitate vilescunt. Sed non ideo quæ nos piget narrare, nostros pœnitet egisse: quin delectat magis. neque enim quicquam actum est hunc ad finem, vt narretur: sed interdum narrantur acta, vt bonorum auctor laudetur Deus, & prouocentur agenda.

GERVNDAE igitur quãtum elaborarit Societas ad animorum salutem, & in rectam viam ingressis prouehendis, & in deuijs reuocandis, siue ij valenti essent corpore, siue moribundo, siue tenues, siue opulenti, tum in plurimorum pace cum hominibus, tum maxime cum Deo firmanda, vel ex eo perspici licet: quod qui nostrum aductum in hanc vrbem

non satis æquo animo ferebant, se nunc, publici tum ignaros commodi, parum vidisse fateantur. Declararunt conciones frequentes: confessiones assiduæ: Catechismi in vrbe explicatio pluribus locis: concubinæ exactæ: composita Ecclesiastici cum Regijs Magistratibus de iuris dictione contentio: orandi modus traditus plerisque: atque alia id genus. etsi itum est etiam vtroque anno in propinqua vrbi loca, & reditum simili cum fructu. Is qualis fuerit, ex eo, quod dicetur de Ausa (ea est in Manresensi diœcesi metropolis) de alijs etiam colligi potest, quamquam hoc loco nihil vtar testimonio nostrorum, sed litterarum, quas ipsius dedit ciuitatis Episcopus: quarũ sententia breuiter ponetur. Scripsit videlicet vir grauis & pius, non posse oratione explicari quæ Deus per nostros in ea vrbe perfecerit. multos se vidisse nostros Annales, nihil tale vmquam legisse. Sed neque tantis rebus fidem habiturum fuisse, nisi ea auribus atque oculis facta esset. tum subiecit de concursu ad conciones, ad quas non vrbani modo omnes, sed suburbani etiã multi quotidie, sex, decem, duodecim milliariorum itinere ventitabant. de ardore animorum (in confessionibus faciendis, & quidem fere omnibus a prima ætate repetitis) qui concalefacti intus, non solum respirabãt per oris suspiria, sed fluidum humorem tantum effundebant ex oculis, vt madefieret pauimentum. affirmat hoc dictum sine vlla exaggeratione. de sermone sensuq popularium: qui in circulis, in compitis, in foro, non nisi de rebus Diuinis loquebantur. cum alij effossum sibi pectus dicerẽt memoria peccatorum, alij

nec

nec cibum ſe, nec ſomnum capere poſſe, niſi eorum ſarcina depoſita. Addidit, quod rem magis ante oculos ponat, nihil a ſe vmquam, niſi Auſæ viſum, quod Niniuitarum illuſtrius referret exemplum. Hæc, ut præmonui, ex epiſtola Antiſtitis. In alio quodã eiuſdem diœceſeos oppido, redintegrata pax inter aliquot ſacerdotes, itemq. inter duos, qui infeſtis inter ſe odijs, non ancipites modo tenebant oppidanorum animos, ſed prope diſtractos. tribus deinde quattuorue homicidis uenia impetrata. parẽtes filijs, fratribus fratres, viri vxoribus, alij pariter alijs propinqua cognatione coniunctis reconciliati. reſtituta multiplex pecunia, quam aut fraus, aut fenus auerterat. mulieres denique nonnullæ turpem vulgandi corporis ignominiã cum pulchræ pudicitiæ laude mutarunt.

COLLEGIVM. BALEARICVM

TRES NOBIS in hoc Collegio poſteriore anno morte erepti. frater vnus. ſacerdotes duo. horum alter Pater Barptolemæus Cochius, qui Rectorem agebat. vir eo munere digniſſimus: tanta erat caritate, humanitate, ſedulitate, diligentia. Trigeſimum iam annum in Societate egerat, mirum quanto cum fructu. factus videbatur ad demitigãdos iratorum animos, prauosq. corrigendos. Duodecim annos eſt in hac inſula cõcionatus: ſic vt nullã pepererit cuiquam ex aſſiduitate ſatietatem, nullum ex familiaritate contemptum. Aqua laborabat intercute, &, quod ex eo ſequitur, vrebatur ſiti. et tamen ne

stillam quidem degustabat aquulæ, præterid, quod Medicus imperasset. nimirum sibi ipse didicerat imperare: quod obseruatum est ab omnibus. ab Episcopo enim, a Prorege a Quæstore fidei ab Equitibus, ano bilitate inuisebatur vniuersa. Multis argumẽtis clarũ factũ est, nõ ignorasse eũ quem diẽ huius vitæ actus erat extremum. egit autem vndecimum ante Kalẽdas Sextiles, qui est Mariæ Magdalenæ sacer. Nulla cuiusquã mors æque luctuosa cunctis ordinibus fuit. longa enim pompa ad templum nostrum Cruce præeunte ipso exequiarum die Canonici venerunt, Sacrum sollemni cærimonia celebrarunt, et, vt ipsi dicebant, communi parenti parentarunt. idem factum postridie in templo præcipuo a Franciscanis, aliisq. sacris ordinibus virorum feminarumq. qui honos in hac vrbe censeri maximus solet. Voluit nempe (vt videtur) Deus, vt qui amauit promiscue omnes, omnemq. honorem neglexit in vita, in eum mortuum effunderentur studia omnium, congestis honoribus amplissimis. Res scholastica non tacitis augescit incrementis. nec minus in ijs, quæ ad pietatem pertinent, quam quæ ad studia doctrinæ tuentur auditores nostri positiones Philosophicas: orationes sæpe & carmina cum venustate publice pronuntiant. Ii excellunt, qui sunt in Congregationem Virginis adlecti: quorum numerus post eius aggregationem ad Romanam, amplior factus. Hi vero incredibile est quam dent operam solidis virtutibus, vincendi animum, castigandi corpus, ægrotos in nosocomijs, pauperes in ptochijs, omni officiorum genere, etiam humiliorum,

prose-

prosequendi. castitatem ita amant, vt eorum vnus decora forma, quam pudor honestat, in prima pubertate domesticæ importunitatem mulieris, a qua turpiter solicitabatur, non semel alapa discusserit. Alter cum ab alio percussus esset pugno, adnolutus statim ad eius genua, veniam petijt, & in axillam alteram, si ita opus foret, præbuit verberandam. Quid multa? sacrum hoc Sodalitium videtur fere quoddam sacrorum ordinum Seminarium nam, vt de ceteris taceatur, in nostrum ordinem vno anno septem adscripti. Sed vt ab adolescentibus & scholis abeatur: magna fuit concionum utilitas. Vir quidam impura familiaritate mulieris, quæ Deo erat consecrata, tenebatur obstrictus. audiebat concionantē: singula eius uerba quasi tela quædam uidebātur, quæ de superiore loco, nullo irrito ictu, in pectus librarentur aduersum: in alium omnino neminem. sed pro illecebra, quam habet peccandi consuetudo, non dabat adhuc manus, ambiguus mutandi consilij: cessit tandem tamen, vbi rem totam precibus, quas per aliquot horas effudit enixe, Deiparæ commendauit. Eiusdem sacerdotis concione perculsi fratres duo, ex alienissimis facti amicissimi, in mutuos amplexus ruerunt. Mulier, cuius pudicitiā impurus maritus prostituere cupiebat, insanientis potius conuicia ac verbera perferre, quā indignum facinus admittere voluit. Principes viri duo, qui odio inter se ardebant implacabili (ita nulla spe reconciliationis, vtriusque partis arma metuebantur) auctore Deo, vno e nostris interprete redierunt in gratiā, magna videlicet lætitia omnium, &

gratu-

gratulatione multorum. Iuuenes duo, quos Turcæ olim auectos in Maumetis superstitionẽ iurare coegerant, cum fugientes huc se recepissent, ad Christi fidem rediere, quam hodieq. profitentur. eamdem suscepit vnus, Maumetanis parentibus ortus. Multarum virginitas nostrorum monitis permansit illæsa. Nonnullæ concubinos ab se reiecerunt.

SARDINIA

IN SARDINIA quattuor per loca, socij nonaginta sex. In Collegio Sassaritano sex & quadraginta. Carali, in Collegio triginta. In Domo Probationis quattuordecim. In Collegio Ecclesiensi sex. Ex hoc numero vnus mortuus. Cooptati quattuordecim.

COLLEGIVM. SASSARITANVM

NOVI TEMPLI promouetur ædificatio, coemptis ad eius laxationem proximis ædibus: acceptis mille sexcentis aureis, qui superioribus annis in conuentu totius Regni fuerant nobis assignati: accessione etiam alterius tantæ pecuniæ, quã vir quidam illustris sponte donauit. Gymnasium auctum discipulorum numero, & fructu. Adiuuatur discipulorum alacritas virorum auctoritate nobiliũ, qui publicas eorum exercitationes & præsentia cohonestant, & gratulatione prosequuntur. Sodalitas

Dei

Dei Matris, generosa velut arbor propter aquas sata, non foliis modo virentibus, & coruscantibus gemis, sed & fructibus vberrimis abundat. Nec cetera negligitur ciuitas. Nihil dicetur de stata per totum annum concione diebus festis in æde maxima: nihil de quotidianis ternis, ad tria vrbis templa per eos dies quos pœnitentiæ magis proprios, dies salutis Ecclesia appellat: nihil de capitibus nostræ religionis, quæ octauo quoque die, per causam puerorū, exponuntur etiam adultis: nihil de pacificatione multorū: nihil de aditis adiutisq. vtroque in homine pauperibus, qui siue ægroti in nosodochio, siue vincti tenebantur in ergastulo. ea eiusmodi sunt, itaq. nostræ Societati communia, vt omnium Collegiorū propria habeantur. Sustentatur collatitia stipe non paucorū inopia: eorum cum primis, quos paupertas premit, pudor ad aliorū misericordiam cōfugere vetat. Tres extremo afficiendi supplicio sic adducti ad pœnam æquo animo ferendam, vt eorum vnus (et hic erat e quadam religiosorum familia) mortem illam, ad quā duccbatur, cum vita comparandam non putaret. Mulieres duæ, quarum altera triennio, decennio altera, a dæmone vexabatur obsessa, exorcismis adhibitis liberatæ. aliæ duæ a meretricio quæstu. Est etiam in uicis vrbi proximis, & ex occasione interdum, & sæpe ex industria, laboratum. quo in genere illud memorandum. In duas fere factiones discesserat pagus: & cum altera pars plus iusto appeteret, altera se opprimi non ferret, inter diuersa volētes creuit odium. vna secessit, eademq. mero meridie, in eos, qui domi

reman-

remanserant, irruebat, non sine mutua cæde ac vulne
ribus. nimirum ultima metuebantur. huc missi cum
essent primum duo de nostris, conticuit potius furor,
quam elanguit. cum iterum intumesceret alij submis
si: quorum suasu non seditio solum, sed omnis etiam
indignatio compressa est. Idem effectum in altero,
vbi aduersas utrinque partes, et ira, et interfectos ali
quos ulciscendi cupiditas incitabat. In alio rursus (nã
itum est ad multos) aureos nummos mille restituere
quidam incepit, quos iniuste possidebat. curatum præ
terea ut essent in annos singulos, qui rem pauperum,
mendicare erubescentium procurarent. Duo a con-
sciscendæ sibi mortis consilio abducti. Constituerat
sacerdos noster inueteratas multorum inimicitias
extinguere. modum quærebat. nec agendum verbis
ratus, sed, quæ multo ad persuadendum efficaciores,
rebus. sexta feria maioris hebdomadæ, consilio cum
Episcopi Vicario communicato, inter sollemne Sa-
crum, omnium, qui illi intererant, ordine osculari in-
cipit pedes. consequitur eum socius æmulus facti.
nec differt Episcopi Vicarius, quem imitantur dein-
ceps sacerdotes vniuersi. Hoc exemplo attoniti pri-
mum animis, deinde vero ita permoti sunt omnes, vt
lacrimantes alij aliorum, & eorum maxime, quibus-
cũ simultas interceserat, pedes oscularentur. Duas
horas tenuit iucundum illud non hominibus modo,
sed ipsis etiam Cælestibus, qui pacem in terra homi
nibus bonæ voluntatis cecinere, spectaculum. respi-
rare pagus a multorũ discordijs, ac reuiuiscere visus.

DOMVS. PROBATIONIS. Caralitana: & Caralitanum, & Ecclesiense, Collegia.

CARALI in aduentu Patris Melchioris, qui pro Prouincia est, maior nostris pietatis ardor, & ciuibus erga nos amor accessit. a Consulibus empta vicina Collegio ædes aureis nummis nongentis, & nobis addicta. Chirræus Comes moriens aureos fere ducentos Collegio dari voluit. huius vxor, quæ octauo post die mortua est, millenos reliquit. Vsellensis quidam Canonicus mille sexcentos: Caralitanus ciuis octingentos. Domus etiam Nouitiorum vnius liberalitate aucta ornataq. multis locis. Quibus stimulis excitantur nostri, vt muneri suo non desint. Vnus, ne inferret inimico mortem, alter, ne falsum crimen, opportuna nostrorum oratione reuocatus. Vnus, quam inhoneſto truncarum vulnere narium prosequi iniuriam cogitabat, vt condonaret, adductus. Plures sunt in hac vrbe familiæ ad pudendam inopiam delapsæ. multi, ne paupertati adiiciant precariæ vitæ verecundiam malunt in extrema miseria mori. Hoc vbi comperit Pater Melchior, egit cum piis aliquot & nobilibus viris, vt corrogato ære constitueretur annuus census, e quo subministraretur aliquid, eiusmodi pauperibus, quod nec illis pudori, nec cuiquam postea opulentiorum oneri esset. iamq. collecti aurei septingenti: parvum initium magni operis: sed Deus, qui dedit eius incipiendi rationem, dabit

bit etiam perficiendi modum. Vindicata pæne ab interitu, quæ iam consenuerat, præclara consuetudo, vt diuites singuli in certum ordinem descripti, singulis diebus prandium, suis sumptibus, in xenodochium curarent deferendum: post exactum omnium numerum reditura vice. Nemo est, quin videat a me prætermitti communia, nisi quæ forte excellant. quale est hoc, quod cum Regium inter iudicem atque Ecclesiasticum orta esset de dicendo iure contentio, eaq. increbuisset per multos dies, atque hinc sacerdotes starent, illinc ciues, nostrorum intercessione ea omnis sublata est. Scholæ in dies augentur, sic ut vna classis numeret pueros ad trecentos: itemq. Virginis Sodalitas iam cum Romana coniuncta. Conciones habitæ fere assiduæ in templo maximo, frequentes in locis suburbanis. Sed, quod Vsellensis Episcopi eximiam erga nos ostendit beneuolentiam, prætermitti non potest. Is leuare voluit Patrē Melchiorem, qui concionabatur Quadragesima, labo ris parte. vt scilicet vno die atque altero ipse Episcopus quothebdomadis haberet concionem, reliquis diebus Patri relictis. diebus vero Dominicis, quibus & in æde nostra de more habenda erat concio, hic ordo seruatus: vt matutinus ab vno, pomeridianus ab altero, ad populum sermo, alternis haberetur. Quæ res videtur non admirabilis solum ciuibus, sed etiam vtilis fuisse. In Nouitij vnius admissione accidit quiddam, quod, quia rarum, iucundum vobis omnibus opinor futurum. Vnicus erat viduæ locupletis ac nobilis. hic ad Societatem animum adijcit, rē de-

fert

fert ad parentem. illa filij lætata consilio, hortatur eum, vt perstet in proposito, propinquos cupientes dehortari deterret: ex ijs vnum orat, qui tunc forte princeps erat publici Magistratus, vti filium ad nos deducat, atque eius nomine offerat Deo. factum quod optauit, magna admurmuratione totius ciuitatis. De oppidis, ad quæ concionum causa aditum est, silebitur. singulare illud fuit, quod de mutua beneuolentia, deq. remissione iniuriarum, sacerdos cum verba fecisset, cuidam, apud quem per annos duodecim ira & libido vltionis inueterauerat, ita immutatus est animus, vt vltro ad inimicum adierit, eumq. complexus, multis præsentibus, dederit fidem mittere ac finire odium. ita redintegrato amore, vt quasi odissent amaturi, ex simultate eos in gratiam reuenisse dicas, vt amiciores esse deberent.

IN ECCLESIENSI Collegio illud præcipuum. Summo mane haberi cœptus sermo ad rudē populum & occupatum, sub primum Sacrum: idq. principio tentandi causa. quod quidē tam gratis animis acceptum est, tantoq. concursu celebratum non rusticorum modo, sed etiam vrbanorum, vt rem appareat esse vtilissimam. Est etiam nonnihil effectum in suburbano pago. atque inter cetera, constituta Sodalitas, frequenter sacrosancta mysteria, aliaq. pia opera libenter obeuntium.

CASTEL-

CASTELLANA PROVINCIA

SOCII IN HAC Prouincia octoginta quinque supra quadringẽtos. Professorum Domus vna. Ad Tyrones formandos duæ. Collegia sedecim. Vndecim excesserunt e vita. Accesserunt ad Societatem tres & quadraginta.

DOMVS ET COLLEGIVM VALLISOLETANA.

VALLISOLETI in Professorum Domo quadraginta. Concionum, confessionumq; idẽ qui assolet, fructus: hoc aliquanto amplior, quod, vt fere fit in populo frequenti, adiuti multi, qui, quæ facinora fecerunt in vita, debitam eorum pœnam legũ arbitrio in morte dederunt. complurium gratia bene facta: atque in his coniugum duorum, inter quos per multos iam annos ne sermo quidem mutuus intercesserat. Templum, quod ædificatur, iam tectum est, vrbsq; ipsa animata, vt breui totum absoluatur.

IN COLLEGIO triginta octo. auctum ipsum capacioribus classibus duabus, temploq. ampliore, quo e vetere templo res sacræ translatæ. Pietatis ac litterarum studij in discipulis ac sodalibus Parthenijs par proportione cursus. Multi ex ijs varios reli-

religiosorum ordines complexi. Nostrum quidem, ex eo numero septem.

BVRGENSE COLLEGIVM.

IN BVRGENSI Collegio minimũ triginta sex. Commentationibus spiritualibus Societatis nostræ perpoluti non pauci: nec ignobiles. Instaurata, auctaq. Sodalitas Virginis. ceterum hoc quoque profuit animorũ saluti. Cœperat vnus e nostris sacerdos Quadragesima, scholasticis ad nos venientibus secũdum scholas exemplum exponere e Sanctorum historia: finis sacerdoti dicendi, initium audientibus erat se verberibus cædendi: cuius rei cum fama percrebuisset indicio scholasticorũ, ex Ecclesiastico Laicoq. ordine quamplurimi conuenere, vt muneris essent vtriusque participes. Hoc in genere quiddã accidit, narratu, arbitror, non iniucundum. Adolescens quidã bona quidem indole, sed vitio ætatis, procax lingua, accessit ad narrationem exempli, eo animo, vt renarrans æqualibus, daret materiam, & haberet ridẽdi: sed aliter cecidit. vt enim audiuit, commotus est animo, & vt vidit flagella distribui, ipse quoque vnum postulauit, & grauiter se increpans, a se ipse pœnas exegit leuitatis suæ. ita ex exploratore factus transfuga, nullum reliquit postea diem, quin semper veniret. Hæc videlicet in vrbe: etsi datum est etiam aliquid extra vrbem finitimorum commodis oppidorũ. In vno iam recepta est, corpus, aliquot in hebdomada diebus, verberantium consuetudo. quod cum primo

est factum, vt propter nouitatem admirabile, ita etiã propter pietatem vtile quamplurimis fuit. Sedatæ multorum iræ: et, quod magnam lætitiam attulit vulgo, viri vnius, qui quam vxorem in carcerem conjici iusserat iam iamq. morte puniendam, eam exemptam e vinculis, consortem bonorum omnium ac rerum, vt antea, domum recepit. Hanc Missionem, quoniam frugiferam esse conslitterat, rogantibus oppidanis, repeti placuit. Tum vero, super alia, procurata est quater aureorum millium eleemosyna, ad res maximo templo eius oppidi necessarias. aliquid etiam quæsitum Cœnobio virginum. Cõstitutus præterea frequens virorum cœtus, qui certis se astrinxerunt legibus, quibus Beatissimam Dei Parentem præcipue venerẽtur. Altera etiam suscepta Missio, quæ cum principio multorum collegisset inuidiam, deinceps tamen nostrorũ patientia atque industria fructus quam maximos tulit. Tertia denique, vt alias pro tempore omittam, fuit multiplici hominũ reconciliatione insignis. Ceterum ad sacram supellectilem nostri templi, præcipue quod ad reliquiarum spectat ornamentum, nonnihil accessit. nam duodecim signa, Crucemq. vnam fieri curauimus, in quibus Sanctorum reliquiæ repositæ auxerunt populi religionem.

COLLEGIVM. ABVLENSE

IN COLLEGIO ABVLENSI triginta sex. Hoc in Collegio quæ a nostris acta per conciones, cohortationes, pauperum subleuationes, visitationes

tiones carceris, spirituales, litterariasq. exercitationes: quoniam prægrauant externa, consulto mittentur. etsi ea quoque, vt in trãscursu. Duo enim paria sacerdotum vicina aliquot adierunt loca: in quibus trimestrem illi, hi bimestrem operam non sine fructu posuerunt. Vno in oppido restituti in gratiam noueni: quaterdeni in altero. Subiungam vnius speciem facti. Qui iniuriam acceperat, veniam ab eo, qui imposuerat petiturus accedebat. quod vbi hic animaduertit, occupãit: cumq. procũbere vellet in genua, neque fieri illud, neque ab eo sibi satisfieri passus est alter. Ita redintegrata statim amicitia mutuis beneficijs locũ aperuit. Rixabãtur inter se cõiuges duo. Vir præceps ira suã deuouit, & elata quidẽ voce, dæmoni caput. illico prolabitur exanimis voce amissa. accersitur propere sacerdos. vt venit, hominẽ reperit sideratо similem, truculentis oculis, frigidoq. per vniuersa membra sudore manante. arcet omnes e cubiculo. cũ solus esset, in iacẽtis frontem sacrarum reliquiarũ paruam thecam imponit, quam ipse gestabat: simulq. IESVM & MARIAM inuocat: redire cœpit homini vox cum sensu. qui etiam, vt penitus recepit animum, turpi illi, qua se dæmoni obstrinxerat, deuotioni renũtiat. Sed non defuit quodam in loco nostris materia patientiæ. E bono quodam opere arrepta occasione nõnulli in nostros inuehebantur: verum integra seruata est fama. cum enim quidam ex alio religiosorum ordine vir compertæ fidei, præcipuæq. auctoritatis, per eos dies illac iter haberet, re cognita ita retudit eorum linguam, quam iniustus dolor acuerat, vt illi

ipsi detractores, decedentibus postea nostris, in cõmuni omnium lamentatione, vero vultu, lacrimas non tenuerint.

COLLEGIVM. MONTIS. REGAlis, & alia quædam.

IN COLLEGIO Montis Regalis octo circiter & triginta. e quibus vnum domesticis addictũ officijs mors abstulit clarissimum sui victoria: etsi postea tres reddidit Deus, qui eius vicem explerent: ac totidem, qui litteris operam darent: quarum studia hic maxime efflorescũt. Confecto Philosophiæ curriculo septemdecim e nostris profectus sui specimen in magna auditorum frequentia dedere: e numero externorum viginti sex. Nam quid dicam de abecedariorum schola? quæ quingentorum puerorum vocibus strepit? expediam breui. raro e circumiacentibus pagis vllum reperias, cuius curio non ex hoc Gymnasio exierit, magno vtique paganorum bono: quibus iam lux quædam, vt relictis peccatorum tenebris pulchritudinem virtutis amplectantur, videtur oblata. ceteroqui in plerisque magna laborabatur penuria rerũ spiritualium. Mos namque est nostris, vt eo præcipue tempore, quod est pœnitentiæ destinatum propinquos vicos pagosq. percurrent. qua in percursatione, multorum animis corporibusq. consultum. etsi tribus in vicis magis constitit opera, quo ea magis egebant. Quippe, quartum iam annum carebant parocho: et tamen, vt ijs accidit, quibus diuturnitas doloris obstupe-

stupefacit sensum, ne requirebant quidem. sic vt in vno, quia intermissus mos audiendi sacra, vt ex tanto interuallo rem desuetam vsurparent, fuerint iure cōpellendi. in quo etiā recōciliati sunt pater filiusq. quorum vsque eo progressa erat iræ pertinacia, vt alter alteri, vbicumque facti essent obuij, denuntiarit pugnam & cædem. ergo in his omnibus pagis auditæ fere omnium confessiones, ac prouisum in posterum tempus, ne quid simile paterentur.

SALMANTICAE ad quinquaginta sex. Duorum iacturam, duodecim cooptatio pensauit. Scholarum progressio maior quam superioribus annis. Theologiæ certe e Gymnasio, quamquam nuper laxato, amplius quinquaginta excluſi manent pro limine, auditioni intenti, cæliq. iniurijs obnoxij. Nihil intermissa consuetudo ter hebdomadis singulis proferendi in templo aliquid e Piorum historia imitabile. cui adijcitur flagellorum vsurpatio. Ceterum Episcopi, omniumq. vrbis Magistratuum, magna erga nos, nec uero inanis beneuolentia.

MEDINENSE Collegium Domum Probationis coniunctam habet. In hoc omnino triginta. Totidem pacificationes, & plus eo consecutæ. Duo e morte erepti, qua luere debebant maleficia: ijs uidelicet placatis, a quibus capitis accersebantur. Tradita multis exercitia. et quoniam erant plerique Ecclesiastici, permutata horum uiuendi ratio eo fuit utilior, quo eorum ad plures cura pertinebat. Nec minus adiuti qui in carcere detinebātur. ad hos cum haberetur sermo, excipit eum Maumetanus quidam,

qui erat in custodia: eoq. ita allectus est, & emollitus paulatim priuata allocutione nostrorum, vt animo ue ram religionem nõ abnueret. vt melius institueretur, facta in Collegium veniendi potestas: vnde statò die in templum maximum processit sollemni pompa: atque ibi impertiuit eum Baptismo Abbas (hic est in vrbe Ecclesiasticæ rei caput) mox eadem frequentia redu ctus, vnde discesserat. E scholis aliquot in varios reli giosorum ordines: duo in nostrum ingressi. Aliquid etiam opis allatum est vicinis pagis. et Quadragesi- ma in vno instituti quidem omnes, sed præcipue Cleri ci, quibus abundat: ij sunt circiter quinquaginta. Quo- niam vero laboriosum est hominum genus, totumq. diem occupatam operam habent, sub ortum So- lis conciuncula habebatur ad exeuntes: sub occasum ad redeuntes ab opere: enarrabatur exemplum ali- quod, quo maxime homines capiuntur e Sanctorum vita, magno conuẽtu etiam mulierum, atque omnium fructu. Introductus frequẽs Sacramentorum vsus, et quotidianus recitandi Rosarij. Dissensiones plus qua- draginta in ijs compositæ.

VILLAGARSIAE quoque cum Collegio est Probationis Domus. omnes sunt numero sex ac tri ginta. Maior quotidie scholasticorum numerus: ij tre centi quinquaginta. inter quos introductus vsus ille verberandi corporis post auditum exemplum. etsi ad hoc oppidani aliquot Clericiq. similiter animati ac cedunt. Fundatricis nostræ Magdalenæ Vlloæ specta- tissimæ feminæ liberalitas, quæ numquam acquiescit, Domus ædificationem promouet in dies magis: cuius

iam

iam innouata meliore parte vtimur, vetere deiecta. Tres expeditiones susceptæ ex hoc oppido. Vna in oppidum, & incolarũ numero, & institorum conuentu emporium maxime nobile, Riuum Siccum appellant. Huc ciuium vocatu venerunt nostri ad Quadragesimam: sed discessus dilatus ad Pentecosten, magna cum vtilitate ciuium, & gratulatione familiarum ali quot religiosarum, quas habuerunt in eodem munere collaborantes. Altera, in ciuitatem quamdam, ad quã multos ante annos nemini nostrum aditus patuerat. Molestè hoc ferre principio ciues, peruulgata fama, aduentus nostrorum causam eam esse, vt explorarẽt locum, ubi ponerent sedem. ipsi autẽ multiplicari religiosorum familias inani sumptu nolebant. Sed vt ex ijs, quæ fieri videbant a nostris, eorum vtilitas innotuit, vltro obtulerunt locum, multaq. sunt polliciti ad Collegium extruendum, multis religiosorum ordinibus eorum consilium obnixe probantibus. Tertia denique, in quoddam castellum: vbi quod lucrum factũ erat animarum, vt ijsdem consilijs officijsq. conseruaretur in posterum a parochis, cautum diligenter, cum id se facturos ipsi sedulo promitterent.

SEGOBIAE triginta. Dissidentium animi reconciliati permulti: cædes condonata: spiritualibus exercitationibus imbuti non pauci: et cœnobitæ variorum ordinum nonnulli. Scholæ, & Parthenia Congregatio, templi etiam nostri structura, quotidiana capiunt incrementa.

PALENTIAE viginti quattuor. Hic nostri in humanioribus litteris instituuntur. Confes-

sionum fructus mirifici. Quidam necem alteri iã diu moliebatur: sed tandem illo abiecto consilio, melius cepit alterum confitendi: eamq. ob causam cum se itineri dedisset, dixit obuium sibi factum truci quodam aspectu atque horrido cacodæmonem in rustici imagine. Etiam ne inquit ad confessionem? Hoc tantũ cum increpuisset, per magno timore incusso sub oculis mirantis euanuit. Hoc eodem in genere tres quattuorue resipuerunt, qui cum se diabolo mancipassent, solis in locis ac desertis cum eiulatu agebant, vitam miseram vagamq. persequentes. Excursum præterea in oppida quattuor. Confessiones generales exceptæ mille amplius & quingentæ. Pax inter Clericos alicubi constituta Sed pagus vnus præcipue memorabilis, cum quo laborandum vehementer fuit, vt nostrum discessum æquiore animo ferret: ita eos modis omnibus retinere cupiebat.

LEGIONENSE. COLLEGIVM & reliqua.

IN LEGIONENSI, anno posteriore tres & triginta. Scholarũ fructus minime spernẽdus: quod ad conciliandos ciuium animos nimium quantũ valet. magnam enim partem sacerdotes & curiones, quicquid habent eruditionis ac probitatis, Gymnasio nostro acceptum ferunt. Sodalitati Virginis feruor accessit, transmissarum ab Vrbe litterarum, quibus indulgentia ostendebatur, quasi igne adiecto. Multa in hoc Collegio, similiter atque in alijs tacita omitto,

ne

ne satietatem afferat similitudo: hoc vno excepto. Vnus quidam erat simplex, & minime malus. duodecimum iam annum quotidie percurrendo Rosario, preces Deiparæ persoluebat. narrauit hic postea, ipsis quindecim, seu viginti continenter noctibus visam sibi matronam venerabili specie (Beatissimam Mariã sibi persuadet fuisse) a qua excitabatur his vocibus. Legionem contende, tuorumq. delictorum veniam a Iesuita aliquo per integram confessionem pete. nec vanum fuisse visum, interior animi motus ostendit. Tres in conterminos pagos Missiones factæ. In postrema, cum quidam per calumniam migrare & patria & bonis iussus esset, nostris adnitentibus, qui rem probe intellexerant, restitutus est in integrum, re maturius inspecta.

IN LOCRONIENSI ferme viginti. Solutum nostrum æs alienum, quod erat aureorum sesquimille. nouem præterea millia moriens quidam Collegio legauit. Ad relaxationem animorum & corporum salubritatem suburbana domus ædificari cœpta.

IN NVMANTINO ET OVETENSI viceni. Ex hoc quattuor missi sacerdotes ad lucra animarum: et vt vnũ aliquid dicatur, auditi ab illis totius vitæ peccata confitentes plures trecentis.

AT NVMANTIAE et priuatæ dissensioni obuiam itum est, & quodammodo discordiæ etiam publicæ. Lustrata oppida duo. vnum quod nobis erat valde ob veterem familiaritatem addictum: alterum autem ita infensum, vt & prohiberet nostros

xenodo-

xenodochio: nec cuiquam in templis, nec in plateis, compitisue faceret concionandi potestatem: satis superq. se esse oppidani dictitabant sacrorum ministris instructos: nec ita depravatos mortalium mores, vt extraordinarijs correctoribus indigerent. quin etiam rem deferre ad Oxomensem Antistitem, qui auctor fuerat illius Missionis. a quo cum responsum non esset, vt uolebant, nostri autem, iam refrigeratis animis, Societatis munia exercere cœpissent, tanta consecuta est mutatio voluntatum, vt multo plus fuerit in discessu, vt abire sibi liceret, quam nuper in accessu, vt apud eos uersari, laborandum. Ita res cognita habetur in pretio, quæ ignorata contemnitur.

IN POMPEIOPOLITANO duodecim. Confessionum omnis uitæ numerus ad quinquaginta ascendit. Mulier una atque altera, fomes utraque flagitiorum, ex urbe exactæ. Turdelam (ea est urbs Nauarræ) nostri obierunt: suisq. officijs tanta excitarunt in omnibus studia erga Societatem, ut Archiepiscopus Tarraconensis, cuius ea est diœcesis, & Clerus, ciuitasq. uniuersa, missis sæpe ad Nostrũ Reuerendum Præpositum Generalem litteris, Collegium flagitẽt, nec, nisi re perfecta, uelint cõquiescere.

IN COMPOSTELLANO sex & uiginti. Hic etiam Societas per Quadragesimam ter quothebdomadis se cædentium post exemplorũ narrationem instituta. datæ aures confitentibus, quæ admiserant in omni uita, amplius ducentis. Nec militũ cohortibus, earumq. Ducibus, cum parati instructiq. hac iter facerent, ullo modo defuimus. Concione omnes

nes excepti: Ducesq. ipsi & anteſignani, gregarij etiam non pauci non niſi poſt criminum confeſſionē communionemq. dimiſſi. Hac in vrbe tam bonam habent opinionem de noſtris, vt ſi quid grauius emergat, continuo conſulantur. Ceterum in toto Galæciæ Regno fœda annonæ grauitas, ac prope inopia fuit. ita permulti egeſtate compulſi huc confluebant. Videres ſtipatos vicos, refertas plateas, conſtrata ſtabula mortalium corporibus, quos fame enectos, vmbras dixiſſes ſpirantium mortuorum. Huic tanto malo pro viribus ſubuentum, corrogata eleemoſyna aureorum plus decem millium, præcipue Archiepiſcopi liberalitate. valetudinaria inſtructa: qui illis intereſſent ac præeſſent, certi homines delecti. noſtri primas ſibi hoc in munere depoſcebant. Duo ex illis mortui caritate feruentes. e conuenis autem pauperibus nō pauciores trecētis. ex ijs nemo Pœnitentiæ Sacramentū, Euchariſtiamue deſiderauit. Nec tamen vicini pagi neglecti. Quinquies, poſtulante Illuſtriſſimo Compoſtellano, eamq. ad rem pecuniam ſubminiſtrante, ne cuipiam graues eſſemus, priore anno luſtrati. Rogatu etiam huius Regni Procerum ac Magiſtratuū in loca maritima excurſum: plurimorumq. prouiſum non tātum animis, ſed etiam corporibus. In vno pago diſtributi in egenorum ſubſidium aurei ſexcenti. ex quo uno capi exemplum de alijs poteſt. Mihi enim propoſitum eſt ſequi illud præceptum, vt magna interim prætermittam, ne in communibus videar immorari.

TOLE-

TOLETANA PROVINCIA



VIGENTI agunt in Toletana Prouincia & eo amplius, Domicilijs quattuordecim. Toleti, in Professorum Domo quinquaginta quinque. In Collegio tredecim. In Complutensi Collegio, Sedeq. Naualcarnerensi, centum circiter & quattuordecim. Madridij fere septuaginta. Murciæ quadraginta, & quod excurrit. Ocaniæ viginti. Bellomonte non plus triginta. Placentiæ non minus triginta sex. In Huetensi Collegio plus minus viginti. In Carauacensi, & Talabricensi, viceni. In Villaregiensi dudū, octo & quinquaginta: deinde additi decem. Tredecim in Conchēsi. In Securitano duodecim, non pauciores. Extincti ex hoc numero tredecim. Suffecti in eorum locum viginti.

TOLETANA. PROFESSORVM Domus, Collegium Toletanum, & Complutense.

TOLETI Pater Ioannes Emmanuel bene de Societate nostra meritus, qui iam octo annos fuerat huic Domui Præpositus ilium dolore decessit. Ciuitati grande desiderium eius mansit, per numquam interituram memoriam caritatis.

AD

AD COLLEGIVM ventitant discipuli fere quingenti. Sodalitas Virginis amplificatur quotidie. ex ea vnus in Societatem adscriptus. Nec desunt exercitationes litterariæ: quas aliquando sua præsentia Cardinalis ornauit.

VISITAVIT Deus Complutensem vineam suam anno superiore, & quattuor decerpsit, quorum virtus maturuerat. e quo numero, sacerdotes tres. Atque ex his, Pater Ioannes Ramirius: de cuius laudibus nihil opus est addere, audito nomine: cum primis illis Patribus atque anteſignanis nostri ordinis æque virtute fuerit atque ætate proximus. quadragesimum iam annum in Hispania fuerat verissimus præco Euangelij: cum recte facere omnes non dicendo magis, quam faciendo doceret. docebat autē præstando vtroque maxime: Christum videlicet in vita morteq. imitandi cupidissimus. vitam enim omnem in proximorum vtilitate consumpsit: mortis vt aliquid simile haberet, quoniam genus non potuit, habuit tempus. videtur enim precibus ab eo obtinuisse, vt eodem die, horaq. eadem, quibus Dominum decessisse constat, migraret e vita: quem si mortuum vidisses, credidisses dormientem. quod certe vrbs vidit vniuersa, & summo studio visendum putauit. ita uigor non destituerat vultum pæne spirantem. Insultasse eum Morti dixit uir quidam e circumfusa multitudine, qui erat maximæ auctoritatis, atque obiectasse gloriantem. Vbi est Mors victoria tua? Ad supplenda horum damna, septem submisit Deus scholasticos ea pietate ac doctrina, ut, fore uideantur aliquando

quando, eorum munerum, ad quæ nunc aluntur, capaces. Ceterum, quamquam hic proprie feruent litterarum studia, non refrixerunt studia caritatis. unius e nostris opera restituta aureorum quattuor millia. Curatum piorum liberalitate ut Sacellum ædificaretur in carcere ad cõmodius Sacra audienda. Egressi diebus festis toto anno e scholasticis nostris quadraginta, in pagos propinquos, imbuere instituerunt plebem Catechesi Christiana. Quod ad res pertinet domesticas: fundo suburbano, qui animi relaxandi causa habetur a nostris, amœnus hortus est additus: quẽ propter consitas in eo arbores, & opacum experiuntur in præsens, & confidunt in posterum frugiferum fore. Ceterum fabrica extollitur, quæ, quia in monte fit, & a nostris, Mons IESV appellatur. iamq. cum ambulatione, cœnatione, multa extructa cubicula. commodus nostrorum in æstate recessus. adiectum est illi decus ab reliquijs Leocadiæ Virginis, magno, uel e distantibus locis, conuentu plurimorum.

MADRIDIANVM. COLLEGIVM

NE MADRIDIANVM quidem a mortis spiculo intactum fuit. Desideratus est Pater Ioannes Alfonsus, secundum iam & vigesimum annum in erudiendis pueris, & cum molesto labore, quem tamen leuiorem amor Dei faciebat, nec sine laude versatus. Ceteri, ex præfinito, singulis hebdomadis, in carcere, in externorum scholis, in nosocomijs suum pensum diligenter accurant. ex quo fructus

Etus minime pœnitendi. quamquam accersuntur etiã sæpe ad Aulam Regiã, ad nobilium confessiones: tũ ex Imperatricis, tum e Regis filiæ cohorte, audiendas. Sed & vnus perpetua Quadragesima semel in hebdomada ad Regem habuit concionem. quod alij etiam interdum, magna ipsius Regis approbatione, fecerunt. Circumcisionis dies festus, Sacrum sollemni ritu Segorbiensium faciente Episcopo, concionem habente Principis Hispaniarum magistro, apud nos prãdente Legato Apostolico, si vmquam alias, posteriore anno, magna omnium gratulatione lætitiaq. celebratus est. Scholæ suum antiquum obtinent: hoc amplius. Ex illis, præcipue e Congregatione, non pauci varijs se religiosorum ordinibus addixerunt. Iam de pecunia restituta trium quattuor aureorum millium: de mulieribus plus duodecim a meretricio ad matrimonium traductis, vnicuique dotem vno e nostris sedulo procurante: de rebus alijs similibus quid scribam? cum ea sint communia, nec desint propria quædam, quæ attentius audiantur? Igitur ex his breuiter vnum atque alterum reddam. Impura quædam mulier vagam vitam liberamq. persequens, in omnem libidinem ferebatur: sed tamen, vt difficile est homini quocumque fugitet, se ipsum effugere, idest, morsum conscientiæ: quæ tuta putauit flagitia, non putauit secura. et mentis velut sopore discusso, transacta perpendens, facinoris fœditatem tarda æstimatione perspexit. Hoc tædio curarum, cum domi consistere non posset, extra vrbem in solitudinem exit, vbi sine arbitris, locus lamentationi liberior. Hic eorum

rum more, quorum quo ſerior, eo ſæuior eſt pœnitentia, triſti eiulatu gemituq. ſe miſeram, ſe turpem clamitans, ſe Inferorum ignibus deuotam, nullum facere lugendi neque finem, neque modum. quin & dæmonem implorabat. nec diſſulit vafer aduentum. cum enim fleret vbertim, & occupatus eſſet mœrore animus, virum videre viſa eſt alicuius pretij: qui dolorem leniens dictis, multaq. prolixe pollicitans bona, eam, ſi ſalua eſſe velit, ſe ſequi iubet. facit imperata, animi inops, ac trementibus licet omnibus membris, totoq. corpore, pedibus vacillantibus, multum viæ, breui licet ſpatio, ſe miratur emenſam. in locū enim deſertum, ac proinde ad interitum trahebatur: niſi unus quidam affuiſſet, ſpecie quidem Eremi cultor, ut autem res ipſa indicauit, Angelus cuſtos, qui increpito fugatoq. dæmonio, eam admonuit erroris ſui: quam cum deinde reduxiſſet unde diſceſſerat, ut pœnitentiam potius, quam perniciem uelit, hortatur: confeſſionem enim magis culpæ, quam deſperationem uitæ profuturam. id uero, peccati remedium, & uitæ in poſterum melioris uinculum fore. Credidit admonenti, nec euentus a fide diſſenſit. Magnum hoc: maius quod ſequitur. Paſtoriciam uitam adoleſcentulus quidam agebat, Beatiſſimæ Virginis, quam venerari ab infantia inſtituit, obſeruantiſsimus. caſtiſsimæ porro vt placeret caſtitatem toto pectore complecti, non ferre hoc hoſtis ſpurciſsimus, & inuidere ſimplicis adoleſcentuli bono. ergo turpibus eum incendit cogitationibus, acribuſq. ſubinde ſtimulis ſaucium animum rapit in diuerſa. hac ille labe conſcientiæ cum ſe exiſti-

existimaret esse miserrimum, ad oppidum siquando cõmearet, nixis in templo ad Virginẽ genibus, lacrimas profundens, eam orabat, vt ne seruulum abiceret suum, neve ope destitutum humana, perire pateretur. Sed valescebant in dies solicitudines, progressionem cum ætate facientes. hoc miser precibus intentior. Cum afflictaretur aliquando, vt nihil magis, in quadam silua arboribus densa, hominem videt nescio e quibus latibulis emergentem: qui blanda oratione ac subdola causam mœstitiæ requirit, & paulatim exploranti similis, a volente nolente extorquet. Tum ille (dæmonem ex eo agnoscere) nihil esse quod se maceret, si cogitationum illecebræ adrepunt menti, etiãsi intrant, ac diutius in ea morantur per impressa delectationis vestigia: satis esse, si non erumpant. Neque enim cogitando peccatum, sed tantum perpetrando committi. Nihilo magis pacatus rustici animus, quẽ amor Virginis ab impuris cogitationibus arcebat. Paucis post diebus cum tentaretur uehementius, prope abfuit ab assensu. Tum vero omnis ad consolationem clusa est via: quod peccatum se admisisse putaret inexpiabile. Hisce erat in angustijs: offert se illi vir seuerus ac tristis pallenti vultu, quasi qui ætatem consumpsisset in studijs litterarum. Tum vero causam astute expiscatus ægritudinis, ita exaggerauit illius sceleris culpam, eam vim dixit esse peccati, vt nulla ratione possit absolui. Subijciente rustico (neque enim dum pestis in animo insederat) Quid est igitur, quod aiunt, Omni culpæ impetrabilem esse veniam? Crede mihi, respondet versutus, intelligenti nimirum

in his rebus, quarum scientiam & vsu percallui, & lectione voluminum. Peccatorum, quibus violari ea putatur, quam tu diligis, si quod est, vnum est remedium. Quod? quærit alter. Martyrium. Hic factus rusticus audiendi cupidior. Quod tandem Martyrium? Vnum e tribus, ait callidus nocendi: aut si te e præcelsa suspenderis arbore, anathema nobile: aut si aridorum lignorum feceris struem, atque in eam magno animo inscenderis, multo igne succensam: aut denique si in lacum proximum (et digito intento ostendebat lacum) præcipiti iactu animam extinxeris. Per ignē aut aquam transibis ad palmam Martyrij. Remansit rusticus post pessimi discessum consiliarij, quam antea multo incertior: inter peccati confessionē, quæ occurrebat animo, & mortis atrocitatem, quam natura fugiebat, ambiguus pudoris & metus: tandem vim faciente conscientia, et cupiditate criminis eluendi, detestabile ministerium cæcus occupat. aggerit in remotiore silua ligna ad concipiendam flammam aptissima: quam cum subdidisset, in mediam moribundus irrumpit. Sed nec accendi potuit ignis: et, si forte illo iterum inflammante accensus est, spatio interposito relanguit. et mulier maior humana specie, candenti palla, semel, iterum, tertio, ignarum consilij ex igne extraxit. hoc igitur cum sæpe tentasset, fessus, inops consilij, re imperfecta, resedit. obijcit se illi iterum magister sceleris. quærit, Ecquid placuerit remedium? illo affirmante. Es ne vsus? inquit. Etiam, respondit: sed non successit. Quod hac non successit, altera aggreditor via, excipit dæmon. illa nimirum non placita erat

hostia.

hostia. Iam te in lacum conijce, vt eluatur peccati deformitas. Nec fuit difficile persuadere cupienti. Ita sunt mortaliũ animi, eius, quod semel stetit propositi, pertinaces. It propere ad lacum: quærenti aditũ, subit, eo die non persolutum pensum Virgini statarum precationũ. abijcit se in genua humiliter, accepto Rosario. quo percurso, cum e corpore detraxisset lacernam, e pedibus calceos, inuadit Martyrium, desilit in lacum. adest iterum mulier candida veste, & sæpius renitentem hominem apertoq. ore inhiantem aquis, & in vlteriorem gurgitem omni impetu progredientem, superiore apprehensum amiculo reponit in sicco. Vbi hoc quoque non processit, abit inde conturbatus: nec explicabat quid facto opus esset. Tandem incertus curarum, cum ad vrbem venisset, iniecta est cogitatio, vt ad nos accederet, petiturus ab aliquo sacerdote consilium. Hoc dum facere aggreditur, animaduertit, ac sacerdotem admonuit, se proloqui non posse, inserente videlicet se dæmone in eius fauces, & vocem strangulante. Sed tandem sacris contacto collo reliquijs, Deo propitio, factum est, vt & importunus ille spiritus, & desperatio omnis abscesserit. Beatæ Virginis Sodalitas augetur in dies magis: nec admittitur quispiam, nisi de eius consiterit in petendo perseuerantia. Vnus e Sodalium numero cum eo esset corporis morbo ager, vt iam deplorata esset salus, nec tamen sacerdotem, cui confitebatur, accerseret, verẽs ei, credo, ne molestus esset: noctu vidit per speciem quamplurimos, ex ijs, quorum animas, pietatis ergo receptas veneramur in cælum, supplicantiũ ritu proceden-

cedentes, ducente agmen Beato Petro Apostolo, ad quē adducebātur ægroti multi pro potestate sanādi: sed ad eum cum ventum esset, qui hæc videbat. At istum, inquit, prætereamus, confessionis negligentē, hoc viso excitatus, summo mane sacerdotē accersit, & post obitam ritè confessionem cum admiratione domesticorum, quibus postea narrauit somnium, cœpit conualescere.

DE COLLEGIO MVRCIANO & reliquis.

IN MVRCIANO, OCANIENSI, BELLOMONTENSIQ. Collegijs Deiparæ Congregationis fructus maximè insignes. Murciæ sodales sunt trecenti: quorum capita, capita etiā vrbis seruantq. suum illud, vinctos in carcere, quotidiano victu subleuandi. ex illorum cœtu aliquando vnum iter facientem, oblata quædam occasio impulit vt ab religione officij declinaret. Qui deinde cum correptus esset somno, castigari sibi visus a Beata Virgine oratione vehementi. itaque experrectus statim, pauidusq. viso & conscientia, recentem maculā pœnitentia abstersit. Alter cū apud ignotos diem obiret in alienis terris, inuentus est in supremo morbo vestitus interiore cilicio, auditusq. in supremo sermone lætiore vultu Reginam compellans Angelorum, multosq. Cælites nominatim, eorum quasi ad se aduentantium præsentia frueretur.

OCANIAE, pars domus, quæ inchoata erat

vbi

ubi nostri cõmodius habitarent, ad fastigiũ perducta.

BELLOMONTE corrogata pecunia ad dissoluendum hominem, quem æs alienum in carcere tenebat. duæq. mulieres a turpi vita, quam iam diu gebunt, a suis remotæ, ad bonam frugem, atque ad suos, bona cum venia, reductæ. Sacrum caput vnius e comitibus Vrsulæ Virginis, magna religiosorum omnium ordinum ciuiumq. gratulatione ac pompa exceptũ, in temploq. nostro ad latus aræ maximæ locatum. Acta deinde tragœdia de felicissimo Vrsulæ ac Sociarum triumpho.

PLACENTIA missi aliquot ad oppida vicina. coniunxerunt in vno parochum cum viro nobili, qui inter se discordabant, magno vtique illius oppidi, aliorumq propinquorum discrimine, cum iam res ad seditionem spectare videretur.

EADEM opera, simili fere in periculo, HVETENSIBVS constitit. Cõposita pax inter fratres germanos duos, quos distraxerat lis paternæ hereditatis.

CARAVACAE insignis fuit adolescentis cuiusdam conuersio, qui multorum compertus facinorum, damnatus erat ad triremes. Interea enim dum supplicium differtur, ita mutatus est, vt carcerem pro Regia, manicas et catenas pro torque aureo gemmeisq monilibus haberet, atque oscularetur: nec grauius quicquam haberet, quam prorogari pœnam, qua approbaret pœnitentiam. cilicio interea corpus, & astricto super nudum fune, terna etiam in hebdomadas verberatione castigat: trinas horas dat quotidie matutinæ precationi: reliquum diem consu-

mit in conficiendo fune e sparto, quintodecimo confitetur. continet in officio socios, suo etiam multos prouocat exemplo, vt pæne Cœnobium faciat e carcere: et sit vnus maxime inter noxios liber.

VILLAREGII ad nouam ædem sacrosancta delata est Hostia e veteri templo sollemni pompa, magnoq. vicinorum oppidorum concursu. funebri etiam ritu tralata ossa Domini Ioanis Pacieci fundatoris, nostrorũq. Patrum Fratrumq. mirifico Dominæ Hieronymæ Mendoziæ fundatricis nostræ, cum sensu voluptatis.

OPERA nostrorũ qui in SECVRITANO sunt Collegio, quorum vtilitatibus fundatrix nostra quotidie prospicit, Clerici duo falso insimulati, a calũnia: alius item, a crimine adulterij: vir denique ab interficiendæ vxoris consilio liberati.

PRO-

PROVINCIA MEXICANA

CENTVM circiter & quinquaginta quinque exercentur in Mexicana Prouincia. Mexici septuaginta. Angelopoli nouemdecim. Vallisoleti sex. Tepozotlani, vbi nunc Probationis Domus, triginta. In oppido Veræ Crucis, Pascuariq. octoni. Manillæ ad Philippinas sex. Totidem missi in Nouam Galæciã. Ingressi Societatem viginti quattuor. Sex emigrarunt e vita inter quos, priore anno Pater Ioannes Dias, sciens linguæ Othomitanæ, quæ vt in his regionibus vtilissima, ita etiam difficillima. Hic, in extremis, tanto voluptatis sensu afficiebatur ex illa una cogitatione, quod in ea loca venisset, religionis propagandæ, vt diceret, si præcipi animo posset ab hominibus nostræ Societatis, fore vt permulti certatim ad eas terras aduolarent. Ad vltimum vsque spiritum pias precationes extraxit. ac postremum recitanti hymnum IESV REDEMPTOR Omnium, ad eum explendum prius facultas defuit, quam conatus, aut voluntas. Posteriore anno obijt Pater Ferdinandus Soarius, in Philippinis: cuius funus Hispanicæ nobilitatis studijs quam maxime celebratum.

COLLEGIVM. MEXICANVM

TRIPARTITA *nostrorum est cura: erga Hispanos: Indos: & qui vtrisque deserviunt, Aethiopas. Ceterum in Hispanis fructus vber, & varius. Mulieres quattuor, vir vnus, in pudicitiæ nuntium remisere. Vnus impelli se ad emendationem vitam hac voce audiebat. Abi ad Societatem, & loquere cum vno e sacerdotibus: vnum certum nominabat. Vnus e Ducibus militum, qui hic habentur, exegerat confessionem totius vitæ in hunc ferox quidã & temerarius sclopum explodit. nec fefellit. glans plumbea tormento excussa penetranit loricam, vestitumq. omnem: uerum perleui uulnere hæsit in summa cute. Is deinde, cum patrator facinoris coniecisset se in fugam sclopo relicto, milites ultionis cupidos a persequendo reuocauit. iussit etiam sclopum reddi: et veniam dedit: hoc dicto. Omnia volo mihi a Deo ignosci, et homini nihil remittam? Aditur sæpe nosocomium, & carcer. Ex hoc, vnus immodicus lingua, & obsequij insolens, creptus, cum Prorex, ex ijs, quæ audierat in quadam concione admonitus, gratiam feciſſet iniuriæ, qua erat affectus. Indus quidam Indũ alterum fraude ad meditamentum artis Magicæ pellexerat, hoc primum posito, ne Sanctissimum IESV nomen ore proferret. et quidem stitit se dæmon, uti erat iussus, sed ita truci uultu atque horrido, ut hic, siue timore, siue assuetudine, IESV nomen ingeminans, uenientẽ expulerit, ueluti sagitta. sic enim*

dicebat,

dicebat, cum factum narrabat, & uim Diuini nominis gratulans prædicabat. Gymnasium, ubi Theologiæ, Philosophiæ, Humanitatis studia, celebratur ab adolescentibus optimæ spei amplius quadringentis. eorum, duo Seminaria, & Congregatio Beatæ Virginis. Theologiæ et Philosophiæ positiones publice defensæ. ad humaniores litteras excitati iuuenes pulcherrimo Dramate, & præmijs, quorum pretium aurei quadringenti. Vt Aethiopes doctrinam Christianam commodius a Patre Rectore doceantur, extructum Sacellum. Indorum quoque adolescentium claro genere excitatum Seminarium cum spe amplissimi fructus.

TEPOZOTLANENSIS. SEDES & Probationis Domus.

TEPOZOTLANVM nunc primum trãslati Nouitij, ad nostram disciplinam auide instituuntur. augent æmulationem octo, qui explent probationem tertij anni. Mexicana interea, Othomitanaq. addiscitur lingua. nec pœnitet didicisse, quæ statim ad vsum confertur. Iam enim in his terris, Dei concessu, liberior fructus & amplior: cum perspexerint pulchritudinem Christianæ religionis, eamq. cupide amplectantur, quam antea refugiebant. Quamobrem quinta quaque & sexta feriis Quadragesima se se acriter in templo diuerberant: singulis Dominicis vespertinam supplicationem obeunt. libenter audiunt de vitis Sanctorum, & Christi Domini excessu,

et

& quæ audierunt, studiosè repetunt domi, vt altius memoriæ infigantur. Quin & gaudent non sine graui sensu in se transferre aliqua ex Euangelijs dicta factaq. cum alius se Lazarum dicit reuocatum ab Inferis: alius adulteræ imaginem referre, quã Dominus exoluit: alius optat se vti canem, saturari micis ex herili mensa cadentibus. Omnino ex sono orationis, animi habitum spectes. Nec abest liberalitas. Feria quinta Maioris hebdomadæ, eoq. die, quo donatæ Eucharistiæ memoria sollemni pompa celebratur, quingenti pauperes in nostro atrio opipare epulati, primoribus ciuitatis nostrisq. ministrantibus. et ingraescente annona, magna vis frumenti ab illustri quodam presbytero contributa: et aliqua a nobis collecta ad subleuandam multorum necessitatem. ad ipsam porro Eucharistiam adeo pie & religiose accedunt (vnde nascitur quidam in animo metus, & horror in corpore) vt opinio sit, rebus, vt aiunt, confirmata, qui semel eam rite perceperit, ad peccatorum maculas non reuerti. salutari vero confessione ita dolenter se arguũt atque integre, vt nihil faciant accuratius. Mulier quædam cum recumberet in lecto distenta morbo, sic ad confessionem se parauit, vt signis notisq. palearũ, quas interuellerat e tomento, in quo quiescebat, peccata distinguens, ea veluti haberet in numerato, omnia memoriter referret. Et inuenti sunt quibus Deus tribuit illud beneficium, vt eodem pæne momento liberaretur anima criminum vinculis, & custodia corporis. Quædam enim admirabilia in his locis (vt sunt recens conuersi) Numen ostendit. Quædam ex

ijs

ijs non ignorata a nostris, quoniam ad Dei pertinent gloriam, compendio ponentur. Mulier quædam duodecimum iam annum marito absente, in magna inopia, & cognatorum affiniumq. negligentia miseram vitam agebat: despiciebatur in calamitate, nec erat qui opem ferret: cum dæmon interea eius caſtitati consuetos dolos intenderet. at illa, antequam resolueret pudoris iura, mori obstinauerat. Hiſce in angustijs, nocte vna, qua tempestate solitudo & tenebræ intendunt animum molestijs, cum diurno confecta luctu sese demisisset in lectum, & iaceret insomnis magis, quam peruigil, dolore victa, & conquirens solatia, exurgit, & e cubiculo egressa in apertum locum, suspensis oculis, cælum, vnde illi spes omnis, anxia suspectat. nox erat illunis & nubila, omnibus stellis extinctis, mærori augendo. in cubile se recipit iterum, nõ tam somno medicinam quæsitura, quam fessa curarũ: tum, quoniam pridie vesperi de nostris, dum recitantur exempla, audierat, Beatam Virginem opem ferre afflictis, nec inuocari frustra, præsentiamq. suam ærumnosæ cuidam feminæ ostendisse: hæc secum volutans animo, lacrimoso vultu Dei Genitricem sic apprecatur. REGINA CAELI, Dei Mater & Virgo, Mater Misericordiæ, ne me solam ac desolatam relinque. Et tibi quidem est hominum cura, quos filios non dedignaris, quos amantius foues & complecteris, quã mulier quælibet partus suos. Quod si quæ me genuit, hæc videret, iam mei, credo, misereſceret. at tu, Mater mea (ita te appellabo, quoniam tu me filiam vocas) tu, inquam, quæ plus humanis

paren-

parentibus potes pollesq. dissimulabis mærorē meū? non succurres egentis adire recurrentis voces repudiabis? si me deseris, quæ mihi vltra spes, & consolatio? nam neque mortalis vita agi sine æruma, nec æruma sine patientia recte ferri, nec patientia sine tuo patrocinio parari potest. Et memorabat hesterno die sacerdos, te filiorum non obliuisci, & illius in dolore felicis feminæ misertam. Quod si tuam consuetudinem in filijs tuendis perpetuo seruas, & ego destituor, ego filia non sum. Miserere, Mater, miserere. Dictura erat plura, sed lacrimæ spiritum & vocem intercluserunt. vbi rediit spiritus, ianuam prospectat: per eius rimulas cum esset infusum lumen quasi Auroræ exorientis, mirabatur tam cito diluxisse. ea versans, ignotam mulieris vocem exaudit, a qua nomine compellabatur. eius autem dulcitudo soni ita permulcebat aures animumq. vt omnis dolor pelleretur e corde, omnes curæ e pectore emouerentur. Cum nullum redderet responsum, verbis impar præsenti gaudio, rursū audit. Bono animo esto filia, non ego te derelinquo. Dura, & præsentem tristitiam futuræ in posterum lætitiæ expectatione consolare. Ego faxo, videris, numquā te, maiori curæ, quā mihi sis, matri tuæ esse potuisse. Cum fine huius orationis cœpit splendor imminui. Illa, cura humani ingenij, aspicere cupiens, cuius fuissent ea verba, illico accurrit. videt in obscuro aere candidam lucem, quæ paulatim decrescens, in tenuem desiit lineam, cuius postremo conspectum tenebræ abstulerunt. Et iam nunc læta narrat audisse se vocem Mariæ Virginis:

illud

illud restare, vt fas sit contra faciem intueri. Ceterum grassante peste, magnam Indi præ se tulerunt pietatem, & eam patienter ferendo, cum opprimerētur, et adiuuādo oppressos. Et, quæ iucunda erunt si innotescant, euenere nonnulla. Mulier quædam nobilitate perinde vt religione insignis, cum esset ad pariendum vicina, & peste contacta, non ita mortem se horrere dicebat, quam, quod venter cariturus erat Baptismo. Sed cum ex animi sententia obtigisset, vt puerum pareret adhuc spirantem, etsi moribunda, quibus poterat signis admonebat, vt statim baptizaretur. Hoc vbi factum, quasi ad illud vsque punctum temporis distulisset vitam, in complexu iam Christiani filij læto vultu expirauit. Alia quædam, firma adhuc & integra valetudine, cum ei obiecta esset domi species viri maiestate simul & ætate venerabilis, cum viridi toga auroq. & ostro distincta, aurea corona claro orbe pellucidum caput amplectente (Beatum Petrum Apostolorum Principem esse credidit, quem tota vita eximie dilexit) quasi inuitata esset ad alteram vitam, ad eam se comparauit: post triduo decessit. Iam quid dicam de altero, cui cum mors immineret, dolore relinquēdæ vitæ, more hominum angi cœpit. conspicit interea, cum solus esset, in perspicua luce pulcherrimum adolescentem (Cælestis fortasse erat custos) qui homini, ad leniendam molestiam, gemmatos ostendit, & aureos magna specie montes, per quos passim vagabantur lætantes hominum chori, calcantes margaritas & monilia. hunc dicebat esse hortum deliciarum, illos, viros, qui Christianam

stianam & piam uitam cum morte cõmutassent. hoc visum cum alijs narrasset, iuuenis incensus cupidine illuc abeundi, læto animo migrauit. Hæc Diuina prorsus prodigia. At sequitur unum a diabolo. Oppidum extra est fanum peruetustum monstri cuiusdam, quod antiqui Indorum, in illis olim erroribus, vt Deũ venerabantur: non longe hinc Indus Christianus aquã ad vicinum prædium instituit ducere. cum operi insisteret, primulum moueri terra, dein vapor exurgere, & in sordidam nubem cogi: quæ in altum ferri primum, dein dilatari, & operire ipsummet circumspicientẽ. visebatur in nube imago Deæ, qualem fingi audierat. eiusq. hæ voces ad aures ferebantur. Ingratifici Indi, hæc mihi pro tãtis tamq. multis maiores erga vestros beneficijs, merces debetur? qui si tales fuissent, quales vos estis, iamdiu excisa semine, vos numquam essetis. Etiam ne ipsis puerulis sim ludibrio? sed non erit impune. Hæc inter videndũ audiendumq. Indus, quod fit in rebus formidolosis, impressa Cruce frontem munit, & Symbolum recitat Apostolorum. Vix finierat, cum caligo illa tenuata in fumum ac nebulã, abscessit. Hæc, & similia enarrata auxerunt Dei cultum. Eam ob causam mulieres quædam ita tenaces fuerunt pudicitiæ, & constantes aduersus metum, vt vna, scissa veste, & contuso corpore maluerit sanguinem fundere: altera virili prorsus audacia, petulantẽ iuuenem vi domo expulerit, in quam erat ingressus. Sed quanto maius est, Christi causa, relictam populos in ditione habendi potestatem? Adolescens ex antiqua Indorum stirpe, ad quem Colulæ vrbis opulentis-

simæ

simæ peruentura erat hereditas post mortem patris, relicta patria, permultos annos vagam vitam ignotamq. persequebatur cum domum reuerti statuisset, forte Tepozotlanum venit. hic, vbi nostrorum audijt conciones, viditq. quanto studio arderent Indi rerum cælestium, ipse quoque id facere constituit, eorum exẽplo. Et quamquã audiuit postea de morte patris, seq. studiose conquiri, dimissis multis, vt susciperet dominationem: tamen veritus, ne si rediret in patriam, diuitiarum copia & dulcedine dominandi a recto aberraret: maluit hic ignotus egere, quam, si late dominaretur, afferre animæ detrimentum. Igitur operã suam sartori locauit perexigua mercede. hoc in seruitio post septimum annum, a Christo Rege, qui suos famulos tam large remuneratur, translatus ad Regnum cæleste, Patri nostro totius rei seriem, antequam moreretur, indicauit. Excursum est in varia loca sæpe, et diu. interdum etiam quattuor quinque menses & eo amplius. persuasumq. multis, qui in latebris siluarum & concauis montium vitam agebant victu ferino, ut coniunctis vnum in locum casis, in vnum corpus coalescerent. quod ipsorum non tantum animis, sed corporibus etiam vtile fuit. nam qui saltuosos incolentes locos, immanitatem induerant, mitigati: et qui errabant hactenus, viuentes vt lubitum, priuati dulcedine, certis nunc finibus & legibus septi, experiuntur vtilitate communis societatis contineri salutem singulorum. Reducti permulti ad amorem parochorum, quorum iussa propter odium negligebantur. Catechismus sic explicatus, vt qui doctiores sunt, docẽdi alios

in

in vicinis pagis prouinciam susceperint. raro reperias domum, quæ non interdiu noctuq. strepat eiusmodi uocibus præcepta Christiana discentium.

ANGELOPOLITANVM. COLlegium, & alia quædam.

IN ANGELOPOLITANO, Guaxacano, Vallisoletano Collegijs, & in Sede VERAE CRVCIS, præter illa communia omnibus, confessiones, pacificationes, restitutiones, excursiones, interuisos homines, adiutosq. qui in carcere, valetudinario, naualibus, portuq. erant. hæc pauca seorsum de singulis dicētur.

IN OPPIDO VERAE CRVCIS, migrarunt nostri in locum salubriorem, nostrisq. muneribus magis accommodum: vbi die sacro nascenti Virgini celebratum est primum Sacrum, toto populo confluente, & celebritatem augente tabula Dei Genitricis, quæ cum Roma allata esset, illo primum die collocata est in nostro templo. Aurei donati quater mille, magno nos ære alieno liberarunt. Episcopi Vallisoletanus, & Guaxacanus amore erga nos prorsus paterno.

GVAXACI cū pro cōcione ille locus explicaretur ex Euāgelijs, Diligite inimicos vestros: inueteratæ quālibet inimicitiæ cū suis fibris et stirpibus euulsæ.

ANGELOPOLI inchoatū templum humanitate ciuium ad nos adiuuādos experrecta. Melchior Conarruuias vir clarissimus, cum elargitus esset viginti octo aureorum millia, quibus empti fundi conficiunt

ficiunt annuum vectigal senum millium, fundatoris titulum & honorem accepit, magno ipsius gaudio, & applausu ciuium. Ad tres classes Humanitatis accessit Rhetoricæ. discipuli plerique nobiles. ex Collegio Sancti Hieronymi duodeuiginti. Reddita aureorum millia octo, quæ non sine fraude tenebantur. Lanificis viris (horũ sunt amplius quattuor millia) itemq. qui catenati opus exercent, impensa opera, in soluendis eorum animis, ingenti cum fructu. Ducẽdus quidam erat ad supplicium: vocauit vnum e nostris. ad quem post confessionem: Iam dicam, inquit, quiddam, Pater, quod si sciatur, spero fore, vt qui multis obfui in vita, prodesse alicui possim saltẽ post mortẽ. Fui, miser, aliquot menses in vestra Societate: et cum meam accõmodabam ad Superiorum uoluntatem, me totum illis aperiens, felix fui. Sed Adam non diu fuit in Paradiso. deteriorum consuetudo, & mea me, non dicam Fortuna, sed peruersitas deiecit e mentis tranquillitate, qua fruebar. vtebar nempe vnius familiaritate, qui cum contemptim dictitaret, vnam aut alteram legem posse violari salua conscientia, e paruis neglectis, paulatim delapsus ad robustiorem nequitiam, me perdidi. simul enim expulsus e vestro lectissimo numero, cum veste non iam pudorem, quem iam pridem amiseram, sed, ut est mihi visum, IESVM CHRISTVM exui. uirtutibus omnibus ianuam clausi, uitijs aperui. et huc me mea perduxerunt flagitia. Hæc ego tibi: tu, quæso, narra alijs. Vsu enim compertum est, ex prioribus aliorum delictis nasci exempla in posterum profutura. Sed de

Guaxacano Collegio, quod pæne me fugerat, ex posteriore anno hoc etiam addendum. Episcopi & ciuiũ rogatu, Humanitatis scholæ haberi cœptæ. Deipara Virgo in nostro templo, ubi eius effigies pulcherrima, magnam uenerationem habet: in rebus difficillimis persæpe multis auxilium affert. Nuper puerulus, desperata cum esset salute, ante altare adductus, Missæ sacrificio pro eius ualetudine peracto, repente conualuit. Quattuor, cum pellicibus suis matrimonio coniuncti. Vir quidam admirabili uirtute & sanctimonia, cum incidisset in morbum, ex quo non surrexit, per quietem narrauit astitisse sibi Sanctissimam Dei Matrem, Thomamq. Apostolum, quos præcipuo honore semper coluit: ab ijs se accepisse diem horamq. qua anima esset e corpore euolatura. prædictioni respondit euentus. idem paulo ante discessum testabatur a se uisas dæmonum cohortes, frementium gemẽtiumq. nec lacrimis temperantium, quod ab Indis homuncionibus ex illis locis exturbarentur, ubi tãdiu Diuinis honoribus fuissent affecti. Immanem stre pitum audiuere uiri feminæq. complures: qui cum ad eum, quem dicimus, confugissent, timore perterriti: Confidite, inquit ille: nam mali hostes dant pœnas dementiæ suæ. Dominicis diebus ad uicina loca discurritur. illud non tacendum: finitimos duos populos, qui inter se acerrimis odijs, armisq. certabant, vnde & nonnumquã vulnera, et crebro vadimonia in iudicio non sine magna impensa: nostrorum tandem suasu in concordiam & pacem rediisse.

SEDES.

SEDES. PASCVARENSIS. ET Manilana.

PASCVARVM est ciuitas Mexicanæ Prouinciæ nobilissima, Hispanorum cultu & multarum gentium nobilitata commercijs. Nostrorum præcipuus in indigenas labor. et est operæ pretium. extruuntur valetudinaria parata sunt ægrotis fomēta, pauperibus auxilia, afflictis solatia, defunctis sepulcra. ipsi autem ita diligentes Sacramentorum, vt viuentes propemodum omnes ijs crebro vtantur: sine extremis, etiam e pueris, nemo moriatur. nam tenera similiter ætas est vsurpandæ Eucharistiæ cupidissima. Declarabitur exemplo. Puella vix septimum annum ingressa, morti proxima obsecrabat sacerdotem unum e nostris, vt sibi eius voluntate communicare liceret. illo, quod respiceret eius ætatem, siue vt augeret desiderium, aliud agente, preces iterabat. negante, instabat vehementius. quærenti causam, cur id tantopere flagitaret: Vidi, inquit, superiore nocte mulierem præcellentissima forma: vnus erat ei comes, magnam ipse quoque maiestatem præ se ferens, tum dignitate alia corporis, tum ipsa senecta. ipsa me, Sacrum vt Viaticum sumerem, admonuit: triduo videlicet meo cum patre (et pater letifero morbo erat affectus) migraturam. Morem gessit sacerdos puella eo ipso, quo prænuntiauerat die, eadem hora cum patre decessit. Ad confessionem quidam excitatus hoc somnio. Fœdum videt atque atrox spectaculum, magnam

caterua dæmonum truculento vultu atque igneis oculis, qui in loco tætro ac formidoloso miseros quosdam homines prostratos verberibus, laniatos conuulsosq. lacerarent omnibus supplicijs, quæ pati possunt vlla corpora. cum in eum, qui hæc videbat, violentas intentarent manus, experrectus est exanimatus. In quiete posteræ noctis constitutus est in excelso quodam monte, vbi argētei visebantur amnes multarum arborum vmbra & proceritate amœnissima. In medio, domus Regia aureum tollebat fastigium: aureis columnis aurea tecta sustinebantur. solidata ianua lapidibus pretiosis, quibus non hebetabatur, sed augebatur fulgor auri. ipsa patebat. atrium seruabant viri duo, qui aureos habebant torques, vestem sericam, auro distinctam, & manicatas tunicas, adornatas gemmis. Hi ferentem hominem per omnia oculos, ac propius accedentem, nisi prius apud sacerdotem illum (et nominabant) peccata confiteretur, dixerunt esse prohibendum ingressu. Hoc visum fuit tum ipsi vtile, tum iucundum alijs, cum narraretur. In concione numeres plerumque senos millenos. Catechismi auditores frequentes. Summa erga nostros omnium beneuolentia. quorum hortatu Sodalitates duæ in altercatione longius progressæ, veterem deposuerunt contentionem de principatu. Veneficia commutata cum inuocatione Beatæ Virginis. et patrocinium illa erga suos clientes rebus affirmat. Nostro in templo est ipsius effigies, ad eius, quam feciße dicitur Beatus Lucas scriptor Euangeliorum, exemplar efficta. Succumbam oneri, si fusius explicare aggrediar

quæ

quæ de hac miracula celebrantur. breuiter aliqua meo more percenſebo. Aegrotum, cui nulla ab hominibus ſpes vitæ, admonebat ſacerdos, vt votis precationibuſq; fatigaret Sanctiſsimam Virginem, a qua, ſecundum Deum, eſt hominum ſalus. facit quod erat admonitus. conſopitur ſomno. uidet ſe in opacum duci nemus, quod diſpoſitæ in ordinem arbores, patuliſq. diffuſæ ramis, oſtendebant voluptati dicatum. hic feminam conſpicit eximia pulchritudine, in cuius gremio puer conſimiliſpecie par eius exemplum in æde noſtra. hæc inter tam dulci deuinctus eſt voluptate, vt abſterſa omni triſtitia, vbi ſolutus eſt ſomno, ſolutum etiam ſe animaduerterit ægritudine, qua tenebatur. Vix diluxerat, iniuit templum, gratijsq. actis Mariæ Soſpitali, ſanum ſe ſacerdoti miranti oſtendit. Duo alij in hoſpitali domo correpti erant eo morbo, e quo pauci conualeſcunt. Alius, diſſolutis manibus ac pedibus, ueluti truncus affixus in lecto, vt non poſſet in latus ſe vertere, debilitate in dies inualeſcente: deducti ſunt in templum: expiati animæ ſordibus communicarunt: humiles preces fuderunt ante aram Beatæ Virginis: nõ multo poſt pedibus ſuis ſalui reuerterũt. Erat Indæ mulieri puer, quem quot noctibus, cum cubaret, abripi ſibi a latere sĕtiebat, deinde reponi, quo raperetur ignara. ipſe puer interea vitali ſpiritu in dies egeſto, lenta tabe properabat ad finem. huic etiã puero a deductione in ædem, a luſtralis aquæ aſperſione, a comprecationibus ſacris remedium quæſitum. In ijſdem miraculis hoc fortaſſe etiam ponendum. Quadrageſimo abhinc anno, nimirum a templo no-

stro extructo, quædam mulier hanc asciuerat pro suo erga Deiparam studio consuetudinem, vt quotidie diluculo ventitaret ad templum, & non nisi sacris omnibus peractis meridie domum reuerteretur. post mariti mortem, dum non discedit ab instituto, erat in magnis angustijs rei familiaris. admonetur ab ijs, quorũ consilia nimis fortasse apta ab humana sapientia, vt soluat paulalum antiquum morem. Neque enim ea tibi, quæ desunt, sine tuo labore in sinum cessura. Deus adiuuat facientem. Non satis constabat mulieri quid ageret: amicorum ne, vt dicebant, prudens consilium, an priscum sequeretur inceptum. sed sustulit dubitationem somnus. Visa est ei secundum quietem Dei Mater, paruulum sinu filium gerens, & admonens blande, vt de veteri consuetudine nihil mutaret. neque enim sibi quicquam eorum, quæ pertinent ad vitam, defuturum. abijceret porro omnem molestiam. eam sibi rem curæ fore. Vbi scilicet humana desunt auxilia, Diuina supersunt solatia. Ita etiam usu venit viro cuidam, cui super egestatem infirmitas corporis. Huic, vt fama est nõ obscura multorum sermonibus, in consecrata Hostia, modo candenti vellere agnus, modo singulari specie puer blandus apparet. Superioribus exemplis, propter similitudinem (etsi in quodam oppido cõtigit, quo fuit excursum) apponam alterum. Dono dederat sacerdos noster cuidam, vt haberet stimulos ad fundẽdas preces, Dei Matris imaginem. quod cum is facere diu quodam detrectat, an obliuiscitur, sequenti nocte, inspectantibus vxore & filio, a furenti dæmone corripitur,

pitur, tamquam ad Inferos pertrahendus. initium ille recitare Symboli Apostolici. nihilo magis mitigari diabolus, afferens causam, quod sacerdotis spreuisset imperium. admonitus redit in memoriam imaginis, quam acceperat: expromit, exosculatur, addit preces. nec sine effectu. eam imaginem dæmon perferre visu non tolerauit: celeri fuga sese proripuit, scintillas relinquens & sulphur fœda corporis vestigia. etsi in altera excursione (fuerunt autem ad diuersa oppida vtroque anno plures) quoddam visum in honorem pudicitiæ ostensum. Mulier, castitatis seruandæ, affecto corpore, periculose ægrotabat: cumq. expectaret sacerdotem, quem accersierat, Deum, Deiq. Matrem implorabat, manus & supplices voces in cælum tendens. animus interea alienatur a sensu, visusq. ferri extemplo in locum serena luce clarissimum. hic Regũ Regem aspicit in Regia sella: circum quem Apostoli, alijq. Cælites quamplurimi, auro purpuraq. fulgẽtes. hoc visu hilarata, & quodam hausto medicamine, quod ab ijs acceperat, recreata, vbi ad se redijt, sensit non solum dolorem corporis, sed & defatigationem omnem recessisse. et fortior facta narrauit hæc præsenti sacerdoti, inquirens, num laterent præstigiæ. etsi non defuerunt aliæ, quibus tanti fuit decus & pudicitia, vt maluerint mulcari corpore, quam animo fœdari. vna fuit relicta pro mortua. Sed & hæc percursa: et alia eiusmodi, quia quamuis clara, obscurantur multitudine clariorum, breuitatis studio prætermissa.

MANILLA Philippinarum caput quemadmodum posteriore anno solidatis muris, auctis turribus,

ribus, propugnaculis additis, tutior facta aduersus hostes externos. ita, cum vir quidam nobilis sit pollicitus templum nobis extructurum e lapidibus (rarũ in his locis) & daturum viginti aureorum millia Collegio fundando: spes est fore, vt pietate Christiana in posterum, alijs siue adducendis ad fidẽ, auctior, siue abducendis a peccandi licentia, melior fiat. etsi vtrũque aliquo modo præstitum hoc etiam anno. nam & nonnulli mutati in melius, & octo Iaponij auxerunt cœtum Christianum, sollemni ornatu paratuq. baptizati, & sacro Chrismate confirmati ab Episcopo. Quamquam, vt suum cuique reddatur, hic fuit piscatus Gabrielis, qui Meaci est eruditus a nostris. hic enim eos omnes, cum ad hunc portum veherentur eadem naui, & disputando, & eorum superstitiones conuellendo, felici nauigatione conuertit.

PRO-

PROVINCIA PERVANA

PERVANA PROVINCIA ea nobis est, quam ab Americo Vespucio, qui in eam primus ignotam superioribus sæculis orbis terræ partem felici iuxta audaciq. nauigatione penetrauit, Americam dixerunt. haud scias, latior, an longior. pellē videtur referre detractā e corpore animalis. Supra Aequatorem gradus decem; cum Hispania Noua, qua ad Septemtriones vergit, quodam quasi committitur isthmo. Infra, versus Austrum, ab ora, quam Magellanicam ferunt, freto diuiditur. Versus Orientem, a Brasilia, altissimis montibus discriminatur. Ceterū ipsa Oceano circumluitur. Varias habet gentes nationesq. quarum partem tributa pendunt Hispaniarum Regi, cuius iussu nouæ aliquot conditæ vrbes: vnde & Hispani, siue præsidij causa, siue regiminis, in illis locis complusculi: partem suos habent Regulos (Ingas vocant) potestatis vix ferendæ: partem propter loca inaccessa, ferarum more victitantes, libertate frui videntur. Terræ nonnullæ feruidis exco ctæ Solibus: infames frigore nonnullæ: sunt et mediæ. Mores diuersi regionum: interdum etiam oppidorū haud longe distantium, linguaq. dissimiles. Alibi mol li homines ingenio, & habili ad discendū: alibi duro & agresti. Quædam ex ijs suis locis reddentur. Sunt

enim

enim ea nostris, qui vt Diuini institores tam multa rimantur, quo animas Christo lucrentur, non incomperta. Sunt autem in Prouincia diuisi centum octoginta quattuor, per Collegia quinque. Limense. Cuschense. Potosinum. Arequipense. Paccense. et Sedes tres. Sancti Iacobi, quæ Lima non minus abest passuũ duobus millibus. Iulensem. Panamensem. Ex his fere omnibus locis fiunt Missiones perutiles. Ex priore anno extincti: inter hos fulmine vnus, Pater Christophorus Ortizius, strenuus procurator rei Christianæ. Eorum locum expleuerunt duodeniginti. De anno posteriore neutrum liquet.

LIMENSE COLLEGIVM

LIMAE Tyrones instituuntur. adscriptus inter ceteros vnus, hoc maiore vrbis, & Hispanorum admiratione, quo delicatior ipse, & nobilior. Ex Hispania cum Prorege venerat, eiq. erat, atque eius filio, & cohorti vniuersæ, tum parentum commendatione, tum suis etiã virtutibus, vnice carus. eũ prosecuti prope Aulici omnes, cũ contemnens Aulã Regiam, ad humile Dei famulatum in Collegium venit. Litterarum studia, & Sodalitium Virginis sunum cursum tenent: nisi quod addita superiore anno classis Rhetoricæ. Doctorum magna tum apud omnes, tum apud sacros Quæsitores existimatio. ijs librorũ corrigendorum ad normam libelli nuper emissi, onus impositum. Suus & concionantibus, & vinctos in carcere visitantibus fructus. Vnus ex his cum seruili

uili probro esset respersus, tam quam improbus & fu rax, intolerans infamiæ, impreßo cultro venam sibi lacerti aperuit: e quo manauit tanta copia sanguinis, vt in terram exanimis caderet: itaq. repertus, vt nec quicquam loqueretur, nec exaudiret inclamantes. sesquidiem iacuit alienatus a sensibus: et, si Medicis credere, nulla spe salutis. ad extremum vocatus sacerdos, reliquiariam arculam, vbi & perparuula particula Sanctißimæ Crucis, imponit semimortuo. tum omnes Cælitum ordines inuocans, exorditur preces: nec dum peractis, brachium primum mouere, tũ redire ad se uisus æger: locutus denique, nec multis post diebus sanatus est. De Aethiopum numero in hac urbe, deq. ratione eorum salutis promouendæ, quemadmodum etiam de Indorum, quoniam accurate perscriptum est Annalibus proximis, actum non agam. Excipiam unum, alterumue de Indorum pudicitia. quæ eo admirabilior, quo olim eius in his partibus rariora exempla. Mulier quædam Hißpanum adolescentem vrbano lasciuientem luxu ab se remouebat: contra tendentis os, animo commotior, verberauit multis inspectatibus. Hanc ille tam insignem iniuriam cum ferre non poßet, illam atrox referijt, non ita dolentem acceptis plagis, vt punita iuuenili procacitate lætantem. Mulier altera Indum hominem, a quo domi solicitabatur, aduocatis qui sibi opem ferrent, verbis verberibusq. male accepit. eadem alterum e primoribus idem tentantem, accißis crinibus (quod illi genti indecorum) ceteroqui remißit intactum, cũ hoc dicto. Ite nunc, & discite pudicitiam: vt

sciant

sciant mortales, iam tandem esse apud Indos Diuini Numinis reuerentiam. Sed, vt sit quoque suus honos sexui meliori, accipite in eadem re dispar exemplum. Indus vnus pietati deditus, mulierem, quæ captata occasione noctis, & somni, impudẽs obrepserat, pertinaciq. contentione vsque ad lucem vincere obstinauerat, non irritam solum propositi dimisit, sed vehementer increpitam, quod Deum cõtemneret, qui paucis ante diebus horribili tremore terræ minitatus erat sceleratis hominibus interitum. Tã crebri enim in Limensi agro motus terræ, vt veluti iam familiares, leuius accidant. etsi anno superiore ab Trusillo (vt auditum est) Cuschum vsque, totis milliaribus sexcentis, vexatis quæcumque adiacebãt regionibus: posteriore autem præter consuetudinem Chili, totoq. eo tractu, tam horrendo extitit fragore quassuq. vt multis prostratis oppidis, propius ruinam fuerint quæ perstitere. De vtroque breuiter exequemur. Anno igitur huius sæculi octogesimo sexto, septimo Idus Quintiles, præcipiti in occasum die, Limæ, tellus moueri cœpta est, tremore paulatim increbrescente, quasi admoneret, daretq. effugij locum. quo longior porro tremor, eo timor maior, & periculum præsentius. Vibrari ac sustolli solum in modum maris agitati: mortales ac si vectarẽtur naui, hac, atque illac ferri, nihil aliud, nisi hauriri metuentes. Tempestas, quæ alias non vltra tonitruum, non ita subito detonuit. nostri eo tempore in vnum coacti (erant plures octogin ta) omnes incolumes, vno excepto: qui cum se in ea trepidatione sub lectum coniecisset, ictu lateris e pariete

riete collapsi offendit genu. Quod si incidisset tremor nocte pleniore, plerique obtriti essent: incolentes scilicet superiorem ambulationem, quæ tota ruit, sicut & fastigium templi, aliæq. contignationes. quamquam nullus est fere paries, quin vitium fecerit, & minetur ruinam. Idem accidit reliquæ vrbe. Domus subuersæ, tigna et laquearia dissipata: nihil eãdem labem nõ sensit. Vbi aliquis fuit quieti locus, nostri ferentes laternam, vt minuerent obscurum noctis, in varias vrbis partes exierunt opitulatum plurimis, qui quasi fanatici & impotes sui, inueniebantur errantes. Prorex admirabili Dei prouidentia defensus. is ab vrbe aberat ea nocte non procul. in portu Callao adornabat naues argentarias. incipiẽte tremore, quem leuem rebatur, ac similem ceterorum, in fortuitum fornicem secesserat. paulo post ad eum filius. exorat vt inde abeat. vix pedem extulerat, corruit fornix. ad murum proximum contedebant: ante eorum conspectum collapsus est. ita attemperate factum, vt neque in fornice desideret diutius, neque maturius discederet: alioqui alterutro casu deprehendendus. hic ille anceps, & metu defixus, nautæ cuiusdam tuguriolum cogitabat, vbi pernoctaret: sed detinuit eum sacerdos Chilensis e sua cohorte: qui Chilæ tremorem huic similem memorabat, quem statim cõsecuta inundatio maris eodem spiritu infusi. itaque Limam, a littore diuerso itinere, relictis rebus omnibus, properandum. Nec diutius tenuit consultatio. vix enim ea sacerdos, cum intumescentis fremitus maris auditus: simulq. visus, tanto impetu, vt parie-

tugurij,

tugurij, in quo Prorex erat, manendi incertus, aſper-
gine contigerit: altera pars molienda ferro a quæren
tibus fugam, fluctu inſequente. ita multa de nocte,
quæ omnia maiora territis oſtentabat, ægre Limam
peruentum. Mare vltra trecentos paſſus terram ir-
rumpens, omnia ædificia, quæ in portu erant, vaſta-
uit, merces plerasque corrupit, quinque homines ob
ruit. In vrbe etiã ipſa euaſere multi fere miraculo.
Mulier puerũ trabens manu, in egreſſu domus preſ-
ſa eſt muro labente, eoq. ſepulta lacertorum tenus,
ſine iniuria. Domi altera erat cũ liberis. ecce tibi triũ
vlnarum ſpatio labefactus paries ab imo ad ſummũ:
ut mirum fuerit ſtetiſſe. Sex ſeptem mulieres erant
in vna aula: ex omnibus eius partibus, extra eam,
ubi ipſæ erant, delapſi lateres reliquerunt intactas.
Pater, qui cum tribus filiolis cœnabat, ingruente mo
tu, domo ſe proripuit: pueros menſa, ſub quam conceſ
ſerant, a ruina tecti defendit. aliaq. eiuſmodi plura
euenerunt. quamquam de multorum morte (mini-
mum viginti) ſimiliter traditum. Aleatores duo mu
ro intercepti. tertius clapſus. Et ſane fuit uaſtitas
non parua: cui tamen ignoſcunt omnes, uidelicet, ſi
prouecta nocte accidiſſet, damni cogitatione maioris.
Poſt id tempus, nemo ſe domi ſecurum putauit: ita
dubie ſtant ea etiam, quæ relicta uidentur. in hortis,
in uijs latioribus, in plateis ſibi fixerunt tabernacu-
la. omnes ſe publico credunt. Ipſa porro ciuitas ad-
uerſus irati hæc ſigna Numinis Sanctiſſimam Vir-
ginem patronam adoptauit, eiusq. Viſitationi ſa-
crum diem, poſt quem, die ſexto hæc obuenerunt, ſol-

lemni

lemni cærimonia, peruigilioq. ac ieiunio celebraturam nouit. Hæc de terræmotu Limæ, ubi nostri. Chiti autem (ubi item e nostris quattuor) tertio Kalendas Septembres insequente anno post Solis occasum horribilis accidit tremor terræ, & formido hominibus maxima: nempe ex insolito. Nostri eo tempore vna erãt. egressi igitur in impluuiũ, prouolutiq. in genua, concussa tellure, ac fluctuante, cum interea omnia æra campana vrbis persultarent, non aliter atque rotato corpore uertigine assidua, attoniti mortem expectabant. sed residente spiritu, imminutus timor: digressiq. cum laternis, optatam perculsis hominibus opẽ tulerunt. Domi nihil offensum: quod eo magis mirum, quod ipsa vetusta, nec tutæ firmitatis. cetera in vrbe, quassata multa templa, & priuatorum ædificia proruta quamplurima. mors secuta aliquorum: plures in capite vulnerati. In oppido alio vicino aliquot homines terra dehiscens, in voraginem condidit. In alio, vbi nullus aquæ fons, omnes domus euersæ, & eruptus torrens odoris fædissimi. Magna pars montis auulsa pecudes multas earumq. custodes oppressit. Crepuit etiam lacus, bonamq. partem popularium absorpsit. Singula si narrem, aberrem longius a breuitate proposita. Vnum tantum simile adijciam. Quarto anno ante, non longe ab oppido Chichiabo, mons alter lacum bene magnum, oppidumq. cum omnibus incolis operuit, plurimosq. mortalium viuos e viuentibus abstulit: solo videlicet sine vllo vestigio prioris habitus desuper extento. vnus tantum ex illis terræ fluctibus enatauit, tantæ cladi superstes. Quibus rebus

omnibus

omnibus cumulatam religionem animis hominum ſen
ſere operarij noſtri, qui ex inſtituto in hunc agrum
mittuntur. e quo meſſis permagna illis, nobis materia
ſcribendi. Sed hic nihilominus circũcidentur commu
nia, tamquam comperta vſu, ac leuia memoratu, vt
ad minus contrita veniamus.

DE. EXCVRSIONIBVS. E. CVS-chenſi, & Potoſino Collegiis.

ET PRIMVM CVSCHO excurſum in regionem, quæ Andes dicitur, ad oppida, quorum inter montes vallesq. ſitus aſper, iter ita arduum lubricumq. per loca plerumque limoſa, & tenacia cæno, vt cum pedibus conficeretur, & ad id, qui miſſi erant, ſparteis vterentur calceis, baculoq. niterẽtur, ſuſtinere ſe a lapſu vix poſſent. Magna ad eos multitudo affluentium gratia confeſſionis, quatridui a nonnullis itinere ſuſcepto. et quoniam non in eodem loco noſtri diutius, perueſtigabant eos, quocumque iſſent, viri feminæq. paruos trahẽtes liberos, Quipos manu geſtantes. Eſt autem illi genti Quiporum vſus geminus Arithmeticæ noſtræ. Nam, vt nos, vt teneamus numerum rerum, certas adhibemus notas, ita illi nodos in funiculis, quos Quipos appellant. Nihil his terris, quamcumque conficere ſummam, aut ſubducere rationem velint, quodcumque partiri, aut committere memoriæ, hoc Quiporum artificio fidelius. Hæc ratio numerãdi preces, hæc ſingula percenſendi in confeſſione, ne quid excidat. Ex illis autem mulier-

culis,

tulis, quæ sacerdotem prepotentem Dei Ministrum ac vim tenentem Numinis salutabant, fuit vna, quæ visum a se virum dixit, decora facie, demisso capillo, ingenti & cana barba, conformatis dexteræ digitis in speciem benedicentis: qui hæc ei locutus. Quo te is perditum, nisi bene peragas confessionem? adi ad Societatem IESV: quære sacerdotem (eumq. nominabat) hic tibi rite rectèq. confessæ plenam dabit veniam peccatorum. Mitto iam illa solita, de pellicatu mutato in nuptias: de restituta pecunia: de auctis piorum Sodalitijs: de pacatis discordibus: de alijs, quæ obuiam habẽt similitudinem & satietatem. Aegrotus erat quidam Indus iam ætate prouecta, vxorem domi habebat, habebat & matrem extrema senectute. hic cum sacerdotem accersisset, profusis lacrimis, narrat se non dum fuisse baptizatum, falso tantum & fallaci nomine Christianum. Cum enim, inquit, huc primum illata est lux fidei, nullus hic erat sacerdos, dein me pater in alias terras abduxit: vxorem in reditu accepi, cum habitu rituq. nihil a Christianis differrem petij a parocho Baptismum: sed ille, quamquam idem testaretur, & obtestaretur mater, non credidit, aut neglexit. Iam tu, mi Pater, noli perpeti, tua causa æternis obijci Inferorum supplicijs hanc animam, quam Dei filius tam grandi pretio redemit. idem cum oraret genitrix, ablutus est, & visus conualescere, Christiana cærimonia cum vxore iunctus.

EX COLLEGIO POTOSINO, cuius obuentionibus annuis prædium accessit, sacroq. orna-

tui, caput ex vndecim millibus, quibus dux Beata Vrsula, gemmis atque auro illustre: ierunt in oppida minimum septem: et in plerisque, eorũ aduentus, obuiam effusis oppidanis, lætitia cantuq. celebrati. atque, ut generatim multa comprehendam, Baptismũ perceperunt non minus sexcenti uiginti: et omnes ætate processerant: bonã partem opiliones ac subulci: quibus magna ignoratio rerum Diuinarum: ita sunt in montium editis geluq. concretis inculti: atque eo ferocius agitant. Multorũ celebrata sollemnia nuptiarum ritu Christiano. Mirum, quam Curacæ (ij sunt primores oppidorum) laborarint in suis familijs rusticisq. qui in mapalibus habitant, ad Baptismum adducendis. Quibusdam in locis coronati homines e lauacro recedebant, & ramos manu prætendentes pompa perhonorifica. Vrcæ (et hoc oppidi nomen) accidit quiddam, in quo non sine miseratione mireris hominum imperitiam. Incidit sacerdos in virum & feminam coniuges. ille cæcus erat, hæc clauda. postulauit cæcus statim Baptismum, ne in Tartarum, si non esset lotus, descenderet. Christianum non esse sacerdos inquirendo comperiebat: docere instituit. postero die vix cœpta luce, ad eum festinat clauda vxor: maritum memorat Christianum olim alibi a presbytero factũ, & Antonium vocari. Tum noster, ad eum accedens, quærit rem, vti se habeat. Sed cæcus simpliciter. Pater mi, inquit, neuter nostrum Christianus est, sed impia argenti, quo te vicissim muneremur, vxor confinxit mendacium. at sacerdos partim excusata, partim increpita eorum simplicitate: Nihil vestro, inquit, mi-

bi

hi opus argento. Et adductum vtrumque ad Optimates oppidi, baptizauit.

PACENSE. ET. AREQVIPENSE Collegia.

PACENSE etiam Collegium auctum, templumq. ornatum tabula pulcherrime picta, Sanctorum reliquijs honeste collocatis, & Cruce, vbi particula Crucis Dominicæ colluſtrata auro, margaritiſq. diſtincta. Incolarum magna ad conciones frequentia: ad quinque interdum millia numerantur. beneuolentia tanta erga nos, vt de noſtris erga ſe ſtudijs, in circulis, & conuiuijs humaniſſime diſſerant. in quibuſdam eorum elucent antiquæ probitatis exempla. Mulierum aliquarum caſtitas aduerſus vim tormẽtorum intacta. earum vna complura vulnera, quibus in mortem affecta: altera, ſuper verbera, candentes ſoleas equinas manibus pedibuſq. admotas, quibus ſemuſtulatum corpus, contempſit. Ita ferro igniq. pudicitia impenetrabilis.

PIETATEM Arequipenſium auxit exercitiorum vſus priore anno tradi inceptus. Viginti facti eorum participes, numquam ſibi fuiſſe melius fatentur. eorum vnus tale conſecutus donum lacrimarum, vt de Deo audire aliquid, aut dicere incipienti, ſubito erumpant. Doctrinæ Chriſtianæ diſcendæ alacritatem addunt incolarum animis verſus patria lingua compoſiti, qui aſſa voce concinuntur. eius ſtudio veniunt aliqui quinquaginta amplius milliarium in-

teruallo : et ex ijs quidam vitandæ offensionis parochorum, noctu iter capessunt. Sacro fonte abluti nonnulli. e quibus duo obierunt extemplo. Susceptæ in varia loca profectiones sex septem. vnam excipiam, cui reliquæ similes fuerunt. Iter millium centum viginti via ardua, aspera, confragosa : et interdum semita ita angusta, vt hinc atque hinc apertis præcipitijs, quæ sine vertigine non aspicias, non inambulandum fuerit pedibus, sed etiam manibus perreptandum. ad hoc, aliquando per tramitem minus exiguũ, vnus e nostris, quem ducebant periti itinerum, lapsante equo ad terram datus, haud multum abfuit, quin abijceretur in profundum. auxit terrorẽ recordatio Patris Ortizij, qui pridie de cælo tactus. Ad oppidum uẽit, cui nomẽ Chichi: incidit in ægrotum meliore doctrina, quam fama: pellicem habebat: hanc vt emitteret, nulla ratione poterat adduci. it ad eum noster semel atque iterum : euincit tandem vt inducat animum ad peccata aperienda: sumit spatium cogitandi. sacerdos interea ad templum causa confessionum. ægroti, quem reliquerat, cura non passa mentem consistere, caritate incensam. ad eum multo citius quam destinarat, post semihoram reuertitur. lætatus ille vehementer eius aduentu. tum, concubina exacta, magno sensu doloris confessionem instituit: post quam absolutam uix elapsa erat hora, cum suauissime animam dedit. Hinc digressum, post iter bidui excepit oppidum Cauchalia, læto oppidanorum occursu, arcubus ad tempus extructis magnifico apparatu. Habitæ hic de more conciones multos permouere: inter hos mulierem Indã,

quæ

quæ amicum deseruit, cui diu tenebatur pellicatu connexa. quod amator furenter tulit. Id cum resciisset sacerdos, prima nocte, ne quid ille de se grauius statueret more impotentium, eum ad se accersi iubet. uenit, vultus colore pariter, atque animo trepidus. nec fefellit ea oris immutatio. paulatim interrogando noster expressit, eum, ipso momento, quo vocatus est, vt mœrori faceret finem, de consciscenda morte cogitasse. Is deinceps ad meliora animo agitanda, & facienda, sacerdotis oratione traductus.

SEDES. PANAMENSIS. ET Iulensis.

SEDES PANAMAE Lima abest milliaribus mille quingentis. Huc primum appellunt qui ex Hispania in Indiam nauigant. ita ab hac Sede vsque ad vltimos fines Regni intercedũt milliaria amplius tria millia. ex quo apparet quanta sit longitudo regionis, quamque multos operarios ager desideret. Hinc cum classis argentaria cum magno præsidio militum non longe abesset a portu ciuitatis, vt vocãt, Nominis Dei, eoq. mercium causa affluerent mortales quamplurimi: missi duo: qui non tantum in itinere Crucis trophæa statuentes, sed multo magis in ipsa vrbe in contrahendis negotijs, mercibusq. commutandis, ne qua fraude implicarentur animi, multis auxilio fuere. Valetudinarium, quod inopia premebatur, eorum diligentia instructum. qui in carcere tenebantur, visitati sæpe, et plerique erepti periculo mor

tis: tanta apud Regium Præsidem nostrorum gratia erat: qua etiam effectum, vt in eorum discessu post diē quadragesimum, apertis claustris, omnes, qui erant in custodia, libertate donarentur.

QVI SIT PERCEPTVS fructus e Iulensi statione, ex præsentis cum superiore temporis comparatione æstimabis. fuit illud veneficiorum ferax, vagiq. concubitus. nunc veneficia prorsus nulla: amor quantus in mulieribus castitatis, ex his facile cognosces. In siluestri loco ac remoto erant Indæ adolescentulæ duæ: in has, instigante solitudine, hortante libidine, totidem iuuenes impetum faciunt. sic paribus compositis, vt alter alteram deposceret. Illæ se egregie defendere: et si vna fortior, quæ, pudore arma ministrante, molari contorto lapide, vtrumque fugauit, altero percusso. Iisdem armis animisq. vsa alio tempore alia, seeus vni accidit, quæ vulnus lapidis accepit in capite, seruati pudoris argumentum. Sed et vna aliquando cum conspexisset forte Patrē Rectorem in platea cum viro nobili colloquentem, accedens propius: Pater, inquit, istum hominem admone, vt me solicitare desistat. cū ille dissimularet, mulier, vt erat recens dolore & ira, in eius faciem irruens, non probris, nō manibus abstinuit: ac difficillime repressa. Magnū apud omnes bonorem habet Missæ sacrificium, peccatorumq. confessio. hinc omne illis principium, huc exitus refertur: sic quærentibus primo Regnum Dei, ex animi sententia cetera adijciuntur. Adiuuit hanc eorum consuetudinem exemplum, quod proxime memorabo. Adolescens nondum vige-

simum

simum annum egressus: hic educatus aliquandiu apud nostros, cum oppido exisset, ad Arequipense Collegiū intendens, repentino turbine impulsus, et ad terrā afflictus est: sic, vt ex ore & naribus sanguinem ciectaret. Super hæc oblata facies hominis horribilis, manuum nexibus infesso collo, elidere spiritum parantis. hoc ille in discrimine, IESV opē, & MARIAE Matris implorat. Repēte adstitit iuuenis, mortali pulchrior specie, cui flaua cæsaries, frons fulguranti Cruce insignis, volumen in manu auro scriptum. haud dubie Angelus custos. hic attonitum iuuenem, & horrore perfusum graniter increpat, quod institutus apud Iesuitas, iter non, a salutari peccatorum confessione, non a votis precibusq. in templo, esset aggressus: nec mirum si tam prope abfuisset ab Inferis. Hæc cum dixisset, nihil discedens a custodia iuuenis, tamdiu illum iuxta spatiatus est, donec transeuntes quidam, ægrum ex casu, nec firmo corpore, ad valetudinarium, perduxerunt, vbi curatus est. Huic, quiddam sequitur in alio genere non absimile. Mulier in nosocomio cum esset supremis Sacramentis instructa, contenta voce lustralem aquam popposcit. accurrentibus, & causam quærentibus respondit, descendisse de cælo in multo lumine iuuenem Hispanum, qui inuitabat ad capessendam viam. cum se aspersisset, signo Crucis munisset, IESV nomen inuocasset, migrauit e vita. Aegrotis duobus visa species Sanctissimæ Virginis, vni post tertium, alteri post decimum diem, mortem prædicentis. Alius corpore æger & animo, ad vtramque mortem ruebat, ni raperetur in ecstasim: et primum ad

crassam caliginem perductus, locaq. obsita tenebris, ad seuerum Dei tribunal, causæ dicendæ sisteretur. ex quo factum, vt ad se postea rediens, timore pœnæ, vitarit delicta. Hic ille est, quem propter diuturniorem excessum mẽtis, Indi mortuum, & excitatum ab Inferis arbitrantur. Ergo huic viro vita animæ cõcessa. at mulieri cuidam etiam corporis. Hæc, vt summæ miseriæ, qua afflictabatur, remedium inueniret, se proiecit in flumen: morti proxima respexit suauitatem vitæ. conuersa ad pœnitentiam, Catharinam Virginem aduocat. auditæ preces. extollere illã fluctus, et viatoribus quasi porrigere: a quibus est erepta. In oppido Copacabani imago est Beatissimæ Virginis plurimis illustrata miraculis. de qua, inter cetera illud narratur. Laborabat quidam inflatione tibiarum, ac debilitate pedum, impedito prorsus incessu. cum ad templum, vbi ea est imago, se ferret, apparuit ei Virgo (vigilanti ne, an dormienti? neutrum ad me perscriptum: vtrumque in medio relinquam) docuitq. populari lingua de Christo Patiente ac Resurgente canticum, quale ne suspicari quidem Indorum ingenia potuissent. deinde etiã sanitati restituit. Quod proxime subijcietur, excedit omnem hominum admirationem, sed non Christianorum fidem. Equidem quæ transcribo, nihil demere ausim de eorum narratione: et idem legimus in historijs antiquæ veritatis. Indus pecudes camelorum similes custodiebat in monte: Christianus quidem, sed initiamentorum ita negligens, vt præter Christianum nomen nihil haberet, aut sciret. Is hoc miraculo excitatus ad discendum. Muta pecus ex illo

grege

grege quotidie mane precationum formulam articulate recitans, coarguere videbatur inscitiã hominis, & sciendi negligentiam. narrauit hoc ipse: et verum fuisse miraculum, moribus & vita ostẽdit. Rumor incesserat, fore vt nostri ex his locis migrarent. quod ita percussit animos hominum, vt e Potosino agro multi, relicto opere, quo occupabantur, aliiq. complures tridui itinere, ad Regiũ Consilium properarint, agentes vehemẽter, ne nostri discederẽt: sine quibus, vti dicebant, viuere non possent. Placuit Consilio ad Regem mitti supplicãtium testimonium publice obsignatum. Nunc, quoniam sacerdotes diuersis temporibus in multa oppida ex hac vrbe destinati, superest, vt de eorum itineribus aliqua repetantur.

CVCVITVM duo profecti, Sodalitatẽ IESV Nomini consecratam instituerunt. octoginta viri nobiles in eam primo adscripti, multaq. præstita ad rem Christianam constabiliendam. eorum ne obseruatio vetustate elangueſceret, duobus viris, totidemq. feminis spectatæ probitatis procuratio demandata. Simile etiam Sodalitium Ilabi (hoc etiam nomen est oppidi) constitutum. CHVCHIABVM deinde cum essent, adultos aliquot salutari aqua abluerunt. Percursa oppida alia, in quibus interdum incolarum, qui ætate altos & pietate anteibant, auditæ voces Deo gratulantium, esse in terris homines, qui suo labore & periculo emerent vtilitatem aliorum.

OBITA DEINDE regio copiosa & magna, Pacages vocant. in hac deleta penitus, quæ non plane abolita erant, antiquæ superstitionis vestigia.

magnæ

magnæ huius opes gentis: nec abest luxus. Feminæ in publicum egressæ, e tenui vellere, argento, coralijs, paruisq. gemmulis contextum tegmen, leue introrsū, extra intumescens in speciem cordis, a summa fronte ad nares protendunt, quo partem oris aduelant: in humeris timientes bullulas, quæ auditu tantum, non visu percipiuntur: ita studiose occultant. PVCHINAS deinde alias q. terras non sine fructu transgressi, CVSCHVM, cuius ciues plurimi, sex passuum millibus processerant obuiam, magna cum gratulatione & lætitia venerunt.

SACERDOS alius alio missus: vbi cum homines reperisset rudes religionis, quinquagenos eruditens, sexcentos instruxit. trecentos audijt de totius vitæ criminibus confitentes. Vnus idolum, quod absconditum adhuc colebat, protulit, concione deterritus. Hinc discedens, alio atque alio concessit. sed quod vno quodam in oppido contigit, quoniam exemplum vnius esse potuit pluribus documento, omitti non debet. Paruus inter hos homines vulgo honor parentibus: filij ab ijs nō abstinēt manus: vnus, ceteroqui minime malus, cum hoc seruat institutum, simul fecit et matris cædendæ, & vitæ ducendæ finem. anhelum spiritum, & a verberatione fessum, infelix, effudit.

SACERDOTES denique (vt omnes complectar) duo, alibi adiuuerunt hominum cœtum, qui se Beatæ Virgini addixerat: et congregarunt alterum, sexta quaque feria voluntariam corporis castigationē subeuntiū. Et ipsimet Indi flagra ad vnius exemplū, quod aspexerunt, e lino intexere didicerunt. Alibi

solle mni

sollemni pompa baptizarunt septuaginta quinque. Fuit etiam oppidum, vbi dirempta lis inter duos, quæ sine cæde videbatur finiri non posse, magnæ omnibus voluptati fuit.

CETERVM, quoniam itum etiam Copacabanum, locus me ipse admonet, ut memorem quidđ, de horum hominũ moribus, qui erant superiore ætate, memoria adhuc recenti: cuius cognitio, etiam si longule abierim ab incepto, nec minimũ habebit oblectationis, & erit fortasse illis, qui præsentia component cum præteritis, profutura. Haud procul hoc oppido est æquata agri planicies, ubi magna frequentia sepulcrorum: hic enim Indi ueteres condebantur. sepulcra singula inædificata conspiciuntur, fastigijs omnibus in quãdam insulam, quæ e lacu eminet, obuersis. In eo lacu tẽplum extruxerat Magnus Inga, qui hæc auctoritate & imperio regebat loca: eius quanta fuerit magnitudo, ruinis ostenditur. Soli erat dedicatum, cui gratias agebant in rebus prosperis, ad quem in aduersis confugiebant, immolatione puerorum: qui deligendi erant ex omnibus decora maxime forma, & candidissimi dignitate oris, quod nullo inspergeretur næuo, nullo esset naturæ vitio insigne: ij tamquam sacri & eximij alebantur mactandi. et supereſt etiam hodie magna vir dignitate, et ætate prouecta, religione Christianus, qui memorat, se, cum esset adoleſcentulus, perductum cum alijs ad sacrificiũ: sed, quod labeculam haberet in facie, probatum non fuisse ab Inga, vehemẽter obiurgatis perductoribus. Hoc de Inga duo præcipua narrantur, quæ breuissime

adscribi

adscribi non erit absurdum. Primũ magno ferebatur odio in Striges, & Magiæ artis consultos: quod si qui insimularentur, eos conuictos, non solum interfici iubebat, sed eorum etiam & filios, & propinquos, & genus vniuersum: quod diceret natura ferri homines ad suorum imitationẽ. Alterum. Qui voluntaria mor te naturalẽ occupassent (quod erat illis locis factitatum) eos seorsum volebat sepeliri in agro deserto, cumq. locum statim obseri sentibus, quæ subinde ena scerentur. Quippe iniuriam ab ijs Numini factam, de cuius misericordia desperassent.

PROFECTIO. IN. REGNVM Tucumanum.

EX IIS, quæ ex hac Prouincia narrabuntur in posterum de varijs nostrorum profectionibus, videbor hactenus velitatus: ita res sequentur, quæ eas, quæ a me collocatæ superius, magnitudine superarunt. In hac ora orbis terræ, de qua iam pridem dicimus, Tucumanum Regnum est, quod Hispanorum Regi obtemperat: vrbes Hispanienses habet quinque. earum nomina, Salta. Stecum. Sancti Michaelis. Corduba. Sancti Iacobi Delstero, vnde regimen in omnes. Hic enim Prætoris sedes, & Episcopium. ab vrbe Lima abest milliaribus mille quingentis. ipsa regio in spatium sexcentorum extenditur. Inter has quinque vrbes interiecta oppida cum vicis pagisq. indigenarũ permulta. adiacent vtrinque plurimæ gentes, in quas nulla adhuc Euangelij præcepta,

pta,nulla Hiſpanorum arma penetrarunt. earum aliquæ ſuis dicuntur viuere legibus & inſtitutis, vnius parentes imperio. Vltima pars Paraguais proxima, & Braſilijs,loci natura,& incolarum ferocia,indomita. Tota regio omnium copia rerum abundat: vnde,quod plerumque euenit,laſciuia in hominibus, ac luxuries. et quoniam nullæ hic argẽti uenæ,aliarum nationum commercijs,& finitimorum aduentibus caret. Ceterum ipſa,vt ita dicam,Pentapolis,cum ſubiectis omnibus populis,præter presbyteros quinque & pauculos aliquot e duabus religioſorum hominũ familijs, ignaros omnes Indorum linguæ, neminem habet adminiſtrum animarum, aut Sacrorum interpretem: vt magnam eſſe oporteat in toto Regno tam barbaro,tam fertili,ignorationem rerum cæleſtium, & inueteratam peccandi licentiam. maiorem partẽ baptizati nõ ſunt: quod,ſi qui ſũt,cũ minime præculti præparatiq. Catechiſmo Baptiſmũ ſuſceperint,præter Chriſtianum nomen nihil habent. itaque hi quaſi recoquendi: veritatem illi docendi videntur. quod, ſiue quia nullum habuerunt vmquam cultum idolorũ, ſiue quia ingenio ſunt apti ad diſcendum,non difficile factu arbitramur. Sunt autẽ in hoc Regno, vt breuiter dicam, linguæ plures diuerſæ, quarum genera præcipua, tria. Toconote, qua in Steci, Sancti Michaelis, & Fluuij, quem Salſum nominant, finibus utuntur. Altera Cala, quæ eorum eſt propria, qui vrbem Sancti Iacobi dominam agnoſcunt. Tertia Sanauirona,quam Corduba cum territorio vſurpat. In hunc igitur agrum amplum iuxta incultumq un-

de

de tamen tam larga spes ubertatis ostenditur, inuitatu Episcopi, cuius magna erga nos humanitas & benenolentia missi sunt e Societate sacerdotes duo, ac tertius Laicus, expertæ omnes probitatis magnæq. industriæ, & mediocriter periti linguarum. Dein, gliscentibus negotijs, tertius additus sacerdos. Qui in his locis, quos Christianos mores aut numquam introductos intulerint, aut vanescentes incuria, reformarint, per singulas fere ciuitates ordine memorabitur.

SALTAM. PROFICISCVNTVR.

DISCESSERVNT igitur e Potosino Collegio anno octogesimo sexto pridie Kalendas Septembres. et Talinæ primum, quæ vltima est pars Regni, ut appellant, Peruani, unde centum triginta sex milliaria ad Saltam, quæ prima urbs in Tucumanum euntibus, substiterunt: donec multi se illis adiunxere comites robore non spernendo. Iter infrequens ac difficile. nam etsi æquum ac planum, magna laborat aquarum inopia: et, si quid est aquulæ, illud ita odoris tætri, fædiq. saporis, ut quo decipiatur uisus, gustatus, olfactus, sit medicamine aspergendum. nocturnum frigus adeo penetrabile, ut uix sub pellibus plurima obuoluti ueste se defenderent. Sed hoc fere nihil erat, præ mortis metu: quod hinc atque illinc Indorum gentem deuiam ac siluestrem præter insitam feritatem, odium in Hispanos continebat in armis: vt si possent, neminem progredi paterentur. itaque perpe-

perpetuus inceſſus, quaſi pugnandum foret, acie inſtructa. haſtati ducebant agmen, claudebãt ſclopettarij: in medio noſtri cum impedimentis ac reliquo comitatu imbelli, uelut in turbam coniecti. nocte in quattuor uigilias diuiſa, ſuam quiſque uicem, non aliter atque imminente hoſte, agebant excubias: tertijsdecimis caſtris uentum ad uiam imperuiam ac pæne inexplicabilem, per quam flumen uario flexu crebro intercurrens, ſexcenties uado erat tranſeundum: e quo, ſi auctum fuiſſet imbre, modo ſaxis lubricis fallentibus veſtigium, modo rapida vnda ſubducente, difficile emerſiſſent. Sed, Dei munere, ſereno vſi cælo, & tempore tranquillo, Saltam denique venientes, excepti Magiſtratuum omnium aliorumq. equitum compoſito agmine quaſi ad bellum procedentium occurſu, magno cum honore: impare ſcilicet eorum modeſtia incenſo ardori totius ciuitatis. In templum primum deducti, tum in ædes viri nobilis, quas ad hunc finem inſtruxerant. Eſt Salta, inter hoſtiles licet terras, in ampla amœnaq. valle, cui ſimilem non cito reperias. eius longitudo octoginta quattuor millia, latitudo, vbi minima, triginta implet. ipſa tantam habet vbertatem fluminum, copiam piſcium, cæli temperiem, fertilitatem agrorum armentorumq. vt præter cultorum frequentiam (eſt enim valde recens, quadriennio ante habitari incepta) nihil magno pere deſideres. Atque hic præter ea, quæ ſunt noſtris officijs cõmunia, a quibus breuitatis cauſa abſtineo, fere nihil actum.

STE-

STECVM

SALTA discesserunt STECVM, centum quinquaginta millium via explorata vt prius, & cum cura coacto agmine, incedentes itineri simul ac prœlio, ne improuisus hostis irrumperet, per latã siluam & ingentem. et ea est regio, quam calor maxime vapore Solis accendit. ita iter in noctem differendum. Dies igitur feruidus, nox inquies, loca densis obsita virgultis, vestem faciemq. subinde stringentibus, ambulandi labor, homines insuetos defatigauerant: dum tandem, ad vitandam celebritatem occursus (etsi omni ex parte vitata non est) expectata nocte, Stecum ingressi, refecti quiete, & humanitate incolarum. Stecum vrbem honesti Hispanorum habent. Diues terra pecoris, bombycisque, fertilis frugũ, omniſq. cõmeatus. Quippe iuxta ripas amnis: e cuius brachio crebris diductis riuulis, pingue solũ, vbi vineæ, hortiq. frequentes, irrigatur. Indigenæ, per circumiecta nẽpe oppida quinquaginta, plurimi, nec hebeti admodum ingenio: plerique super Toconotem linguam, huius propriam tractus, vt diximus, Quichuicam (ea est fere communis Indorum) nouerunt. quo adiuuantur facilius a nostris. etsi alia est gens numerosa in Stecano, a Quichuicorum sermone longe remotissima. Luli vocantur. nullum vestitum habent, præter semiulnarem puluillum textum e pluma struthiorum (quorũ hic magna copia) quo vtuntur viri feminæq. ad discrimina sexuum obtegenda. ad hos etiam aliquando, Deo iuuante, nostrorum ope

ra

ra extendetur. Interea Steci, vt correctionem morũ in Hispanis, abolitionem prauarum consuetudinum, concionum utilitatem, confessionum necessitudinem relinquamus: duo tantum repetemus, quibus adnexa sunt innumera: matrimonia scilicet rite coniũcta, & numerum auctum Christianorum. Huius porro Sacramenti maior vt foret reuerentia, & promptior hominibus animus ad illud capessendum: huc intenderunt nostri, vt magna cum dignitate splendoreq. celebraretur. itaque plerique baptizandi, ad templũ, floreo serto decorante caput, adducti. Et unus in Steci urbe, subiectisq oppidis, a se bis mille quadringentos uiginti quattuor baptizatos scribit: omnes fere extrema ætate: multi centenos annos excedebant. et breue quidem hoc dictu: sed negotium non breue fuit, nec facilis labor. Pastoris ritu deerrantem uestigantis ouem, intrandæ siluæ, superanda ardua montiũ, scrutanda abdita uallium, flumina transmittenda, & ut gemma reperiretur amissa, euerrenda fuit domus vniuersa. adiuuit sacerdotẽ ipsum tũ lingua Toconote, quam percallet ita, vt eius discendæ artem conscripserit, & composuerit indicem vocum: tum socij, quo vsus est, Laici, eximia caritas, et exquisita diligẽtia. Ceterum haud ita facile est, inire eorum numerũ, quos nuptiarum sanctitate illigauit. Sed hæc inter omitti illud non debet, quod ad firmandam religionẽ non parum valet, non tantum tradita eius initia vulgo: ad quod & nouitate allecti multi, et aptis excitati præmijs, etiam senes aduentabant: sed & lingua Toconote institutas scholas puerorum (per singulas fe-

re familias singuli a parentibus mittebantur) qui & propter indolem ingenij discere possent quæ docerentur, & quandoque docere quæ discerent, propter spē ætatis. In senibus enim animaduersum, non naturam defeciße, sed curam.

SANCTI. IACOBI. DELSTERO

POST MILLIARIVM centum quinquaginta iter siticulosum & feruidum, ad Sancti Iacobi Delstero, vbi sedem Episcopi esse memorauimus, se contulerunt: omni populo ad eos excipiendos effuso. et frondibus viam constrauerant. vbi accesserunt propius, processit Sacrorum Antistes, Cleruſq. vniuersus, ad mediam vsque plateam e regione templi. quo loco nostris venerabundis benedixit Episcopus. tum clara voce præiuit hymnum Beatorum Ambrosii & Augustini, & Clero subsequente, campanoq. ære lætum insonante, in templum deduxit primo, & exinde suarum in partem ædium, quas destinauerat: vultu semper benigno, verbisq. magnum præ se amorem ferentibus, eum honorē abnuentes, studiosissime prosecutus. Quæ autem hic gesta, quoniam a Stecanis nihil differunt, satietatis vitandæ, quam generat similitudo, silentio transmittentur. Ceterum huic vrbi, inuentutis institutio, vel in Latinis litteris, maxime necessaria. nempe hic Regni caput, hic Episcopus initiat Ecclesiastico cultui mancipandos: sed eos ita plerumque imperitos, vt vix sciant legere, quæ debent, nedum intelligere, quæ legunt. Ipsi ciues vires nostras respiciunt:

spiciunt: et iã domus instructa offertur. septem octonę corum liberalitate facillime alerentur.

CORDVBA

CORDVBA extrema est vrbs Tucumanæ ditionis, perinde situ & fertilitate, quã nomine Hispanæ Cordubæ similis, nisi quod hieme frigidior, æstate tẽperatior: inter Sancti Iacobi Delstero vrbẽ, oppidumq Sanctæ Fidei, quod est ad Paraguaos, quasi in medio posita, ducenis quadragenis millibus vtrinque abest. Huc cum Episcopo diœcesim lustrãte multosq. rite confirmante, peruentum postridie Kalendas Februarij. ager late patens, spes messis exigua: siue propter confusionem linguarum (nam in vrbe, Sanauirona vtuntur: extra vrbem, quot fere oppida, tot linguæ) siue propter vicorum multitudinem affixorum in asperrimis montibus: siue denique propter fluxam, vt in hostium confinio, barbarorum fidem. sed nostris tamen causam magis spei, quam spem intuentibus, nihil tam arduum videtur, quod non in Deum fiducia, & labor improbus extorqueat. et instrui homines in vrbe, extraq. incepti per octonos denosq. sermonum ministros. adiuncti hactenus ad Christum octingenti quattuordecim. coniuncti matrimonio sexcenti viginti tres. reliqua erunt deinceps meliora. et si alia molientibus, nuntiatum est, quinque socios e Brasilia subsidio venientes, trecentis ex eo loco millibus, ad ostium fluminis, quod vocãt Argẽteum, a prædonibus Anglis exceptos, rebusq. omnibus, & ve

stibus, extra lineam subuculam, exutos fuisse. mirum, ni etiam interfectos. ad eos statim, aliquot præmissis militibus, ne in itinere interciperentur, iuit vnus sacerdos, ferens eis corpori tegmina, & quæcumque erant victui itineriq. necessaria: eosq. omnes ad Sancti Iacobi, magna Prætoris, populiq. qui processerat obuiam, multam licet sub noctem, gratulatione perduxit. Hæc de profectione in Tucumanum uniuerse. Nã de Sancti Michaelis (hoc enim erat reliquum) quoniam ea vrbs nondum erat tentata, nihil habeo dicere. Sed quoniam frequens in superioribus Paraguaorum mentio, antequam progrediar, hoc indicabo: esse gentem Tucumanorum Regno cõterminam: finitimorum direptioni semper intentam. ita exhibentes alijs negotium, habent. eorum arcem occupauere Hispani: vno anno hominum amplius viginti millia in potestatẽ redacta. His omnibus verbo sacerdos vnus: absque quo esset multo melius: ita est corruptus, & corruptor. baptizaturus quemcumque, hoc tantum interrogat, Petriculum ne se, an Ioanninum appellari velit: vix expectato responso, puram aquam inuergit. non sine causa nostri in eam occasionem imminent, vt ita egentibus populis opitulentur.

MISSIO. IN. REGNVM. CHITI

CHITVM vrbs est et caput regionis in Peruana ora magni nominis. Episcopus in ea & Prætor Regius cum Consilio. multa Hispanorum, Indorumq. oppida ei subiecta. Ipsa vrbs ædificiorum multitudine & in-

& incolarum haud multo minor, quam Lima: vnde abest millibus nongentis. iter bonam partem nauigicitur, mox etiam pedibus. Cœnobia habet religionũ fere omnium. Collegio Societatis vt adhuc caruerit, non eius incogitãtia factum est, cum ab Episcopo demortuo, Consilio Regio, Cleroq. fuerit expetitum, sed temporum iniuria. Deo nimirũ, vt res meliorem sortiretur exitum, prouidente. missi superiore anno tres sacerdotes cum socio, primo diuertere in hospitalem domum, quam omnis populus perpetuo celebrauit: octiduo post, prosequente Magistratu Clericiq. fere pompa sacrorum, in ædium possessionem, quarum dominã Societatem fecerunt, introducti. Templum illis coniunctum Sanctæ Barbaræ, in cuius patrocinio se ciuitas collocauit. Domus non incommoda. et iam aliquam Collegij formam habet. Ciues de eo instituendo cogitant. nec parua eius rei principia. putarũt enim, ad decus pertinere publicum, vbi priuatorum utilitas spectetur. Magna apud hanc gẽtem Societatis nostræ existimatio. Mulier quædam multa claritudine generis, cum incidisset forte in librum, quo Ignatij Patris vita describitur, ita affecta est, vt eum fere numquã e manibus dimittat: auctorq. sit alijs vt diligenter euoluant: dicatq. omnium piorum lectione commendari debere. Hæc vbi nostros vidit, tollens manus & vocem: Grates, inquit, vobis ago Sanctissimi Cœlites, quod tandem aliquando in his terris conspicio alumnos Ignatij.

EXPEDITIO. AD. SANCTAE Crucis in Monte.

SEQVITVR expeditio ad Sanctæ Crucis in Monte, quæ non ex omine solum nominis, qua exaltatus Deus a terra, videt in Monte, vt ad se pertrahat multos: sed quoniam ad gentes ignotas apertum ostium, quo illinc facilis egressus, magnam in spem adduxit nostros prolatandæ religionis. Huc missi tres: sacerdotes duo: vnus Laicus: omnes linguæ scientes. etsi obiecta postea conatui mora. Indi enim subacti haud procul ab Sancta Cruce, obtendentes Hispanorum cupidinem & uiolentiam, exuta fide bellum occuparant: et qui numquam se dediderunt, infesta latrocinijs habebant loca. ita non sine armis iustoq. comitatu iter aperiendum. Hæc dum parantur, quarumdam in tractu vallium, vbi Mischij, Cochiabamba, Liza, Tirace, Copachunchum (hæc sunt nomina ciuitatium, quibus extremus terminus Peruani Regni) commorati nostri, strenuam operam & fructuosam in Indis Hispaniſq. qui iuxta erant rudes ac deuij posuerunt. res singulas, memor propositi, non memorabo. Ibi dum occupantur, Viracani (nisi exscriptoris errauit manus) homines monticolæ, cum Ciriguanis (has inter gentes continuum bellum) prælio concurrerunt, plurimis eorum interfectis. nonaginta millibus aberant Cochiabamba. Et Hispanorum societatem expetebant. Facta ijs potestas: vt siquidem de societate acturi essent, tractandis condi-

cionibus

cionibus huc pauci mitterentur. Venit Canerius eorum Dux cum comitibus duodecim: quinque egerunt dies. post sesqui mensem reuersuri ferebantur. Sed de Viracanis, quandoquidem ter eos allocutus vnus e nostris, & visa sunt capacia religionis pectora, nihil erit absurdum, si excedam paululum ad aliquid narrandum. Procera illis corpora, non indecora forma. nemo sine arcu & sagittis. rubrica se inficiunt, atque hoc, quasi ignem iacientes, horridiore aspectu. amictus lineus vnus, non infra genua: eum in manicas non extendunt: nudi brachia & lacertos: sed et proxima pars pectoris patet. omnis pars corporis rasa præter caput. crinis, tribus a fronte digitis, & angustè circum tempora, exectus. ita ampla frons omnibus, nec aures opertæ: ceruus posti humeros fluit longissime. obliquatur quibusdam, nodoq. substringitur, mulierum more Hispanensium. Dux promiserat late nigricantem. circum collum monile iecerat multiplici nexu, cõsertũ calculis vitreis colore cæsio. Latius collare alijs pelliceum, aut panneũ, e quo simiarum dentes propenduli. ornatus, vt inter Indos, in speciẽ insignis. Lacertos manuũ tenus, suraſq. plerique cicatricosas habẽt. Fama est, certis diebus, cũ inchoatur Luna, aut impletur, osseis stylis inurere sibi uulnera, deuotionis causa, vel belli rudimẽto: ũ, ne uulnerati in prælio, suum sanguinem perhorrescant. inituros quin etiam pugnam, in ipso discrimine cæcis ictibus concidere corpus: incitamentum fortitudinis. Vinum modice delibabant, aut infra modum. et experti sunt aliqui, cum pocula eis offerrentur meri plena, nec da-

retur aqua ad diluendum, sitim tolerare maluiße. incertum, formidine ebrietatis, an meracius bibendi insolentia. Canerius Dux, ceteris præeminens insta staturam vniuscuiusque hominis facile superauerit. ei decor oris cum maiestate, quam ornabat modestia: vt etiamsi nescires, non alium diceres Ducem fuisse. haud multum triginta quinque annos egreßus. ceterum tantus viro pudor, vt faciem colloquentis hominis numquam aspiceret. Hunc ergo sociosq. tentauit vnus e nostris triduo per interpretem. Ac primũ amolienda fuit omnis suspicio cupiditatis, ne se ad seruitutem existimarent, aut religionem Christianam vi esse cogendos. Cetera in hunc modum acta. Audietis me libenter de rebus, quæ ad vestram salutem pertinent, disputantem? Assensi sunt. Alteram arbitramini superesse hominibus vitam hac exacta, vbi spiritus decesserit: an ipsum corpusq. extingui? Dux eorum, omnium nomine respondit: Homini non secus ac ceteris animantibus eumdem esse animæ, quem vitæ finem. Est ne vobis aliquod Numen, quod vereamini? Ipse moderator temporum, ac fons luminis Sol, cum sorore Luna. Hic noster, altiore sumpto ad docẽdum principio, de animorum immortalitate, de propositis in altera vita, prout quisque commeritus erit, sempiternis supplicijs, aut gaudijs: hæc omnia, ui argumentorum, & exemplorum euidentia probans, breuiter dißeruit. Rursum interrogati. In cælum ire, an ad Inferos detrudi mallent. In cælum omnes consonante voce dixerunt. At maiores vestri apud Inferos cruciantur. proinde diuersum ab illis tenendum

iter,

iter, ne sitis eorum pœnæ participes. neque vero hoc moneo, vt Hispanis seruiatis: ego potius, vt vestram asseram libertatem, me vobis addixero, iugo quamuis duro seruitutis accepto. Magna est vis Veritatis: ea est pulcherrima: et suauissima eius narratio: quantumuis simpliciter probata, meretur assensū. Expressit hoc sacerdotis dictum omnium vocem. et gratiæ actæ. Ipse sequitur, inquirens, an quæ ad cælum duceret via, doceri velint. admurmurantibus: Vnum esse cæli terræq. effectorem Deum: alienam gloriam in se trahentes Angelos, cælo exactos: vacuas ad horum sedes explendas procreatum hominum genus: quibus e quacumque terrarum ora, Hispani Indiue essent, aut e qualibet gente, pateret aditus ad cælestia. Pronis Viræ canorum animis hæc audiebantur. Itaque addendum fuit de dæmonis inuidia astuq. per quem & primus elusus pater, & multæ deinde regiones Solem, Lunamq. res inanimas, & hominū causa conditas, ad colendum inductæ. Vbi hæc quoque oratio approbata, mysterium Sacrosanctæ TRINITATIS, vt erat illorum captus, explicari cœptum. Dictū, a Secunda Persona susceptam hominis formā: nec prætermissum de sanctitate ac veneratione MARIAE Virginis. Cuius amore vt illos inflāmatos sē sit, prouolutus in genua, eius imaginem, quā secum attulerat, sinu exprompsit, pedes suppliciter exosculans: quod ab audientibus factum, vtrūque maxima reuerētia. Concluſus sermo breui narratione Crucis, quam Christus inscendit. cui etiam prolato non minor veneratio habita, quam paulo ante eius Parenti. Ita

haud

haud difficile persuasum, vt hunc tantum adorarent Deum: se seq. vbi redissent, Christianos fore promiserunt. Tempus hic visum est admonendi, vt hanc obrē assiduas preces ad Deum profunderent, IESVM, MARIAMQ. in ore, atque in animo haberēt: aduersus homines, quibus tale perfugium, nihil esse diabolo insidiarum, nihil iniuriarum loci. Postremo salutare signum Crucis, eiusq virtutē edocti, aliquot munusculis donati, magna cum spe dimittentis, nec minore ipsorum lætitia, quam vultu præ se ferebant, & voce colloquentes cum interprete, dimissi. Hæc res vel propter recentem agnitionem gentis non ita cognitæ, vel propter magnitudinem spei, quæ deinceps ostenditur, digna visa est, quæ in Annales, memoriæ causa referretur. Septem adhuc mensibus, erant nostri in ea conualle, nō infructuose operantes et opperientes comitatum militum, qui sibi venirent subsidio per hostium ituris. Cum conuenissent Decembri mense medio, maturabant proficisci sed deterruerunt viri complures, & graues, afferentes anni tempus minime idoneum, interruptas continuis imbribus vias, inflatos amnes, exundationes Paraguais omnium maximi, qui sine ambiguo, & prope vltimo vitæ discrimine, vado penetrari non potest. Satis cito incipi iter, vbi humanitus prouisum est, ne destituatur infectum. Parendum fuit tempori: habenda fides virorum auctoritati vtilia suadentium: ad mensem Martium extremum extracta profectio. cum interea, partita prouincia excurrerent per vastā vallem, darentq. operam vt non modo singuli viritim

sed

sed familiæ etiam, &, si fieri posset, terræ gentesq. in Christianorum nomen coalescerent. et tandem nouem cum militibus, quarto Idus Aprilis iuer ingressi: Deo freti ante omnia: tum, ut suæ ipsi etiã saluti pro uirili parte prospicerent: aduersus ictus bellatorum hominum, si forte sagittis impeterentur, casside protecti: aduersus uenenatarum morsus serpentium (Sonalias vocant) pastillos manu habentes, non incondito ordine incedebant. via primum per montes præceps & arrecta. tum descensus in vallem, quæ propter raritatem viatorum, deserta & infesta Sonalijs. Sunt ipsæ cubitali longitudine, crassitudine trientali, virus haud vllum magis noxium. morsum mors sequitur. Sed imprudentibus vix obsunt. Prominent in extima cute tubuli sonantes pro numero annorum, ut adsit homini ad præcauendum facultas. Huc eorum aduentus salutaris fuit fratribus germanis duobus, quorũ vnus undecim annorum, alter anno maior. In eam uallem deducti fuerant a parente fugitiuo: eo mortuo, ignari locorum & itineris, permultos iam dies vitam agrestibus pomis, & vulsis herbarum radicibus miserrime toleraverant. Spatiosa porro vallis, & plana: ducentis fere millibus, nullus, præter geminos viceno rum passuum, collis assurgit. ne vnus quidem lapis, vel auellanæ magnitudine callis vix peruius. siluæ in immensum diffusæ, easq. implexi arborum rami plerumque committunt: vt etiamsi præcederent tres quatuor, qui repurgarent viam, ægre daretur transitus, & lacerarentur manus, ac vestes transeũtium. nonnumquam in trimilliari spatio, sex horas septem-

ue

ue laboratum.augebant ceteram moleſtiam aſilorum aculei.Ceterum quatridui profectio propter incertos metus maxime omnium periculoſa.inſtructis & galeatis procedendum fuit.die vltimo admoniti, veſtē demiſere ad talos,præportantes manibus Cruces,quo facilius a Ciriguanis (quibus noſtri ſunt ſancti) ſi forte eſſent in inſidijs, agnoſcerentur. reliquum iter perpuſillis ſparſum lacubus. Vbi ventum ad Paraguaim,qui circum proxima ſtagnauerat, incerti vtrū progredi,an regredi tutius eſſet.diu deliberarunt.Sed præmiſſi iamdiu a Sancta Cruce,commodum occurrentes milites duo,gnari locorum,docuerunt vadum: quod tranſmiſſum eſt non ſine periculo, equis enatantibus. Et ſi impedimenta coniecta in lintres ex tempore fabrefactas. Sunt arbores obeſæ magis, quam proceræ, Zaiuas appellant,vertice, & radice anguſtioribus,excreſcentes in ventrem: magna illis duricies corticis,& medullæ teneritudo: ita facillime excauantur. Sic per varios tandem caſus & rerum diſcrimina, quibus nonnullum intercurrit ſolatium, e baptizato vno,atque altero:quorum vterque ſtatim a Baptiſmo mortem obyt:altero et quadrageſimo die in Sanctæ Crucis oppidum,inter obuios & gratantes ciues excepti. Iam uero non ab re fuerit, vt ipſo de oppido, eiuſq. finitimis populis nonnulla dicantur.

SANCTA CRVX in Monte,eſt Hiſpanorū oppido nomen: in altera parte montis amnes inter duos,Argenteum & Maranonium interiecti.monti eum,quod oram prætexat,ab re,vt conijcio, Cordille

ram

ram Hispani appellant. Septemdecim amplius gradus ab Aequatore circulo distat. Potosium habet ad Occidentem, Platam (hoc quoque oppidum est) ad Orientem: a quo, millibus trecentis viginti. Sexagin ta in eo Hispani præpollent. His subijciuntur, si æta tem excipias, sexumq. deteriorem, Indorum decem millia. ternæ & quaternæ vxores singulis: hinc multiplex soboles vnicuique succrescit. Hi porro Indi in suburbijs suos incolũt pagos, quorum qui longissime, a ciuitate sex & triginta millibus abest. nudi penitus agunt viri feminæq. ad ciuitatem siquando veniunt, veste obducuntur. etsi hoc plerumque negligitur. Caret terra auri argentiq. venis: nec populares tributis atteruntur: exempti oneribus & collationibus. in vsum agrorum viri sepositi: ad colum et bombycem mulieres adactæ. cælum calidum, nec senibus insalubre: ij plerique octoginta annorum, & nonaginta. non item iuuenibus: quorum venandi studium in Sole, inimicũ valetudini. Ceterũ fertilis est frugum arborumq: vitium cultura, aut ignorata, aut neglecta. frumentum enascitur quidem: sed quoniam alius omnino, quam in Europa, tenor anni, ignota adhuc eius tempestiuitas. Animantes cicures multæ, agrestes quamplurimæ. uiperarum morsus intra diẽ exitialis, cui theriaca tantum e porcello. uolucres eximiæ nonnullæ. inter ceteras Toca, magnitudine & colore cornicem referens, nisi quod alba pectus. vacuum huic rostrum, auro fulgens, palmare, non breuius toto corpore, quo uelut remo utitur ad scindendum aera. eius apud Peruanos magnus usus, at-

que

que æstimatio. Quamquam autem vrbs mari procul & fluminibus posita: lacubus tamen piscatu abun dat. Sed (quod magnam meretur admirationem) angustus est fluuius, neque ita profundus, ciuitati proximus, cui potum usumq. præbet a fonte, vnde exit, ad arenas, in quas se immergit, non vltra tria millia. Hic fluuius quotannis circa initium Quadragesimæ triplici piscium genere quorum omnium sapor suauissimus, circumfluit: neque vllo opus ad eos captandos artificio: vrceo in aquam immisso, plurimi extrahuntur. Id qua vi occultiore naturæ, ijs, quibus similia studium inquirendi, relinquamus. Vltra hos, Orientem versus sunt Ciriguani Itatini, cum quibus pax pactione, non victoria. gens ferox armis, & animis ingens. Nihil illis antiquius libertate: aut pretium est mori. ceteris circum populis seruitutem exprobrant. Hispanorum vtuntur amicitia, dominationem abnuentes. Cauerunt propterea, ne in oppida (quæ singula constant quingenis domibus nō minus) turmatim, ne ve cum gladio admittantur. ingressus datur singulis, vel binis, inermibus. animo a Christiana religione non abhorrent. eius doctorem desiderāt. Haud ita pridem a Sancta Cruce presbyterum inuitum senecta importare solebant, & exportare humeris, sella insidentem. dabant aures docenti, & baptizatus est nonnemo. Is nunc obijt. Gratus Ciriguanis nostrorum aduentus fuit. Init vnus ad eos e numero principum (Gaziquas appellant) vt gaudio fungeretur, cum dono aduenticio. Erat saccus farinæ, e qua panem conficiunt ritu gentico, & sportula radicum

dicum, quas in delicijs habent. causam præfatus per interpretem, vt, cuius gentis linguam addiscebant, quo eam transferrent in cælum, eiusdem gentis dapibus insuescerent. Est & alia Indorum natio intecto corpore, saltus & verticem montium iugum q. insidens proximorum metu, qui non rapto solum viuere, sed humanis etiam carnibus vesci dicuntur. Centum viginti millibus alia gens abest inseruientium Hispanis, Cubitos vocant. hi Cirigucnis plures, Indis, qui circum Sanctam Crucem, pauciores: et Christi fidem efflagitant.

AB SANCTA CRVCE quadringentis quinquaginta millibus, quattuordecim gradibus ab Aequinoctiali repertæ sunt biennio ante Prouinciæ tres. Timbiorum, qui in perforatis auribus, naribus, labroq. inferiore, aurum & argentum insertum habent. Totaicosiorum. et Tapacurorum. In has Prouincias Hispani pacifice ingressi, ducentis oppidis supra quinquaginta (domus in eis plurimum ducenæ quinquagenæ, & in singulis familiæ complures) ditionem auxere. His terris, vrbs quæ præsideat, ædificanda. Sunt illic presbyteri duo inter se discordes, quod Indorum conuersioni maxime obest. et baptizati ex ijs nonnulli: sed tantum baptizati: antiquum enim morem ferme obtinent, & adhuc vxores plerique binas vel ternas. Ita, & hi ne relabantur, & alij vt exurgerent, essent adiuuandi. Nec longe hinc Dynastia imperat multitudini, ut rumor est, innumerabili: cui per id tempus Hispanorū paucitas non fuit obijcienda. Aliarum etiam audiuntur nomina gentium,

tium, Comesii, Iarai, Perbacani, Paititi, & quas creberrimas insulas effici dicunt a magno flumine, quæ omnes habitantur: a quibus abstineo, quod superiores satis esse video ad accendendum studium in animis multorum, vt apud has etiam gentes Christiani nominis auctoritas amplificetur.

EX PERVANA denique Prouincia, cuius spes, ut uidetis, uberrima, destinata est alia expeditio in CHILENSE Regnum, quod a Lima mil liaribus distat mille quingentis. multæ hic Hispanorum ciuitates nobilium, & Episcopi duo, nostræ Societatis percupientes. In tempus commodum iter differtur.

PRO-

PROVINCIA LVSITANIA

CENSENTVR IN LVSITANIA, vt breuitatis causa, subducatur ratio tantum posterioris anni, socij septemdecim & quingenti. In Domo Professa Olisponensi undesexaginta. In Collegio vnus & quinquaginta. In Conimbriensi centū octoginta duo. In Eborensi unus & uiginti supra centū. In Portuensi septemdecim. In Bracharensi triginta. In Brigantino uiginti tres. In Funcalensi tredecim. In Angrensi quattuordecim. In Angolana Residētia septē. His duobus annis undecim uita functi. Eorum iacturā compensauere unus & septuaginta.

DOMVS. PROFESSA. OLISIponensis.

MISSI IN INDIAM anno priore cū Iaponiorum Principū legatis e Societate nostra vnus & triginta: e quibus sacerdotes duodecim. Ex hoc numero Lusitani sedecim, ceteri Hispani, Italiq. Et Iaponij quidem iuuenes, cum summorum Pontificum Gregorij Sixtiq. muneribus, tum Italicorum etiam Dynastarum comitate & munificentia, læti atque insignes reuenissent, ingenti excepti sunt alacritate plausuq. Eboræ, Olisipone, Conimbricæ magnā quoque Lusitanorum procerum, Præsulumq. præcipue ue

ro Alberti Cardinalis humanitatem experti: vicem hic gerit in Lusitania Philippi Regis. Itaque eis, quã diu hic fuerunt, lautia præbita. discendentes ornati donis, instructiq. commeatu. dati ad hæc aurei quater mille septingenti. eorum etiam comitibus ex India, concessum vt inter suos quæstuosis honoribus fungerentur. Nostris dati nauigationis causa aurei termille quadringenti. Sacrorum Antistes Eborensis præter magni pretij peristromata, variamq. aliam supellectilem, & pictas tabulas egregio opere, in quibus piorum imagines, mille etiam aureos Iaponijs dedit. Optatum det eis Deus cursum, reiq. Christianæ salutarem. Hæc Olisipone interea domi foriſq. non minus strenue, quam fructuose promouetur. nec contermini desunt populi, qui petant Collegia: vt Scalabitani, Algarbijq. apud quos aliquot e nostris Quadragesima commorati: quamquam etiam aliqui Villauicosam, & Catabrigam, semel etiam Turdetaniam, iterum Certam (hæc sunt oppidorum nomina) missi. In ipsa autem vrbe tredecim in templis, ijsq. celeberrimis habuere conciones. Magna hic vis æris alieni ad dominos rediit. summa excedit aureorum millia quattuordecim. Publicum item munus, ex quo percipiuntur quotannis aurei quingeni. Actores fabellarum, mimiq. altores desidiæ, illiceſq. voluptatis, vrbe pulsi. Duodetriginta concubinatum abiecerunt: duodecim ex ijs cum matrimonio commutarunt. Puellæ sex, quarum pudicitia periclitabatur, in tuto locatæ. Collectitia dote collocatæ permultæ parentibus orbæ Visitati, adiutiq. qui in carcere, nosocomijs, triremibus attine-

attinebantur. Nonaginta quattuor e custodia, nostrorum opera educti. Reducti ex intestinis odijs in mutuam gratiam octo. Pater filij mortem, mulier viri, interfectoribus remiserunt. Domus Catechumenorum Serenissimi Philippi Regis liberalitate dudum instituta, felicem progressum habet. Viginti a Maumetana superstitione in Christianam religionem per Baptismi ianuam ingressi. atque in his nobilis toparcha vnus. Iudæus præterea vnus in sacris litteris apprime versatus, qui Marrocho huc venerat, vxore, filijs, opibusq. quibus abundabat, Christi causa relictis. Ad ædificationem domus mille aurei: ad structuram templi mille, & quadringenti: ad fabricandam sacræ Crucis thecam, & ad ornatum tabernaculi octingenti septuaginta collati. Sollemnis dies Beato Roccho sacer magna frequentia pompaq. celebratus, procurante Sodalitio, quod eum sibi tutelarem habet. Oblatum ab eodem brachium argenteum præclaro artificio, no uē pondo: in quo cōditæ aliquot Beati Viri reliquiæ. Latebat iamdudum in vrbe talium malorum capace domus scelerum omnium furtorumq. receptrix. ibi nefaria conflabantur consilia, flagitiaq. cudebantur: falsa signa, delationes, criminationes, periuria ex eadem officina prodibāt. multos mortalium ea Charybdis absorpsit: et qui pauere debuissent, alios terrebāt. Sed, non diu impunitum est malum. Exhausta est tandem Deo volente ea vrbis sentina: comprehensiq. architecti scelerum, post quam nullum erat mendacio pretiū, admonitu nostri sacerdotis, veris testimonijs refellerunt periuria sua: qua palinodia liberati innocentes

centes multi: virq. in primis nobilis, nefandi antea crimi-
nis insimulatus, horrendo ignis supplicio, turpiq.
infamiæ ereptus. Deiecta euersaq. hac dæmonis arce,
alia nostrorum opera excitata est illi aduersa. ad tuen-
dam enim pudicitiam mulierc̃ularum, quas vocant
Conuersas, Sodalitas instituta: in quam, ante omnes,
Serenissimus Albertus Cardinalis nomẽ dedit, eiusq.
exemplũ nonnulli viri nobilitate & auctoritate prin-
cipes secuti. Eleemosynæ in commune cõtributæ, qui-
bus non modo ad victum necessaria emerentur, sed et
instruerentur ædes peramplæ in opportuno vrbis lo-
co: addereturq. templum, vbi ab ijs Res Diuina, et cõ-
ciones audiantur. Perscriptæ ijsdem leges, quibus &
ageretur pœnitentia præteriti temporis, & uitaretur
culpa in futurum. Multæ ex ijs quasi nouis formatæ
moribus, cum honestis viris in matrimonio iunctæ:
aliquot in patriam non longe Olisipone distantem,
quod id earum saluti & honestati videbatur fore cõ-
uenientius, amandatæ. Inuentum haud dubie in rem
multarum animarum, famamq. insigne. Raptam pa-
rentibus adolescentulam arcta custodia raptor sepse-
rat, atque ad occultandum scelus, se patrem, vxorem
a pellice matrem appellari iubebat: hæc tandem no-
stri sacerdotis opera e lustro libidinum ad pudicitiæ
castra perfugit. Altera, ætate iuxta florens et forma,
quam impura mater prostituebat, sic vt multis causa
esset exitij, cum ad visendam celebritatem Conuer-
sarum nec opinans esset perducta, perculsa primum
timore pœnæ diuinitus iniecto, tum amore pudicitiæ
capta, postremo emendationis vitæ genus amplexa
est.

est. Atque hæ quidem emerserunt e cæno turpitudinis. Vna autem virgo, quæ nostris frequenter confitebatur, ostendit esse sibi castimoniæ pulchritudinē vita cariorem. Hanc perditus perdite deperibat adolescens. captata occasione in eius conclaue armatus irrumpit: solam forte inuenerat: amorē fatetur, orat, miscet precibus dona: in omnem partem versat puellæ animū: quam vbi obstinatā videt, ferrum e latere deripit, elatumq. defert in pudicū pectus: additq. minaciter: Hoc ego aut vitā tibi extorquebo, aut assensum. Mori mihi, inquit illa, millies præstat. simulq. cū imploraſſet opem castissimæ Virginis, sexum audacia mutauit: importunum latronem domo exigit, ictum amore, furore, & (pœna diuinitus inflicta) ferro: per summos cruciatus se mori vociferantem. Non multos post dies, sanato vtcumque vulnere, non autē morbo, quam uehementer vlciscatur Deus expugnatores pudicitiæ, malo coactus didicit ipse, et suo alios docuit exemplo. Cum enim ad virginem iterum perrepsisset, & aduersus aspernantem preces, adiecisset minas, eaq. iterum propitiam sibi Dei Matrem clarissima uoce inuocasset: ecce tibi, nouo memorabiliq. prodigio, iuuenis grauissime uulneratus, oculisq. caligine offusa, e cubiculo pedem effert: moxq. necessarijs Sacramentorum subsidijs destitutus, repentina morte temeritatem luit. Sed iam lætiora videamus. Vix dici potest quantum omnium afficiat animos doctrina institutioq. puerilis: quod opus non Olisipone tantū, sed in toto etiā Regno nō mediocriter seruet. Ergo bene magni puerorum greges in suas diuisi

classes, præferentesq. uexilla, vias explent: ducunt or dines abecedarij totius vrbis magistri: ad hunc cœtũ aggregantur Aethiopes, qui magno olim labore euocati, iam nunc turmatim conuolant cum suo insigni: horum Indi æmulati pietatem, sub signis quoque con spiciuntur. sequitur continens agmen virorum ac mulierum. Ingenuorum inter seruitiorumq. examina, diuersi audiuntur chori: et Diuinis laudibus suauissimaq. symphonia omnia personãt. His allecta rebus plebs numerosissima obsidet compita, nobilitas effunditur in fenestras. Præbet iucundum inter omnia spectaculum sacerdos noster, vir & ætate, & concionandi munere & litterarum cognitione insignis: quem eo in munere suspiciunt paruis cum pueris modulate cõcinentem: quos vbi instituit in templo, adhortationemq. habuit ad populum frequentem, magno septus virorum comitatu, recta in carcerem, aut in nosocomia contendit: coactisq. multorum, aut oblatis eleemosynis, tum ægros, tum vinctos præcipue reficit ad quadringentos: quamquam e custodia etiam publica nostrorum auxilijs educti quattuor et nonaginta. Atque hæc diebus festis. Profestis namque, partim turbam nauticam in triremibus, partim mendicos, vbi Sodalitas Misericordiæ eisdem erogat stipem, partim infinitam baiulorum calonumq. colluuiem in portu foroq. rudimentis imbuit Christianis.

COL-

COLLEGIVM. OLISIPONENSE

CERTAT AVDITORVM obseruantia & amor in magistros, cum eorum studio in virtute litterisq. tradendis. mille & octingenti censentur.æ quibus priore anno septem in nostrum cooptati ordinem: multo plures in alios diuersos. Ceterum qui sunt e Sodalitio Beatæ Virginis, in omnibus excellunt. In iuuenum porro commoda ita incumbunt nostri, vt eorum etiam parentibus, externisq. opis aliquid ferant. est enim is Olisiponensium portus, vt in eum confluant nautæ vectoresq. ex Europa vniuersa: in quorum salutem nostri adlaborarunt. Ex Hibernis præsertim Anglisq. plures quadraginta quinque, qui Catholicam ignorabãt fidem, vel potius neglexerãt, & veritatis lucem aspexerunt, & totius vitæ maculas confessione expiarunt: ac paulo post, eorum vnus in hanc seruatus felicitatem, diem obiit extremum: reliqui ita animati discesserunt in patriã, vt se in Romanæ Ecclesiæ perseueraturos obedientia, vel cum vitæ iactura, spoponderint. Vnus, qui Christianam perosus religionem, vt iudaizaret huc venerat (vbi Iudæis permittitur, vt utantur legibus suis) e congressu cum uno quodam e nostris mentem ad saniora conuertit. Audaculus quidam adolescens, nobili natus genere, cum inter æquales ortus esset sermo de seueritate, vt loquebantur, nostrorum in confessionibus audiendis, iuuenili prorsus licentia, sponsione ceteros lacessiuit, ni aut libellum eriperet sa-

cerdoti confessionis indicem, aut vitam ita compositus venit ad templum: adit sacerdotem: accidenti ad genua eos concurrit, rubore suffunditur, paulatim labascit ferocia, excussum dein cõsilium pectore, quod attulerat. Quid multa? obruit lacrimis iniquæ caloremtis: vereq. & ex animo confessus (quod ipse retulit amicis suis) qui venerat vt alios caperet, captus est. Capite damnatus obstinauerat cum corpore animam perdere, dictitans, ad tam ignominiosum mortis genus nullam accessionem fieri posse miseriæ. ergo e carcere exierat, ducebatur ad supplicium, nihilq. erat propius, quã vt collũ insereret in laqueũ: cum sacerdotis, qui eum comitabatur, perseuerantia victa contumacia est: et qui iamiamq. erat morituus, præterita peccata confessione purgauit. Quo die pronuntianda erat in quosdam sententia, qui erant perfidiæ conuicti, eo die concionem habuit vnus e nostris, ea grauitate & copia, vt omnium, qui illuc, vel officij causa, vel spectaculi concurrerãt, expectationi satisfecerit, quamquam nõ a ciuibus solis inuitantur: ab oppidanis etiam vicinis, vt concionibus populum ad pietatem inflamment. Multiplex facta est æris, quattuor' scilicet aureorum millium, restitutio. Sedatæ multorum discordiæ: et capitale duorũ odiũ, quod nec sopiri videbatur posse, sacerdotis nostri monitis & prudentia restinctum. Alius item, qui erat a nobis animo alieniore, cum periculosam contraxisset ægritudinem, sacerdotem vnum e nostris accersiuit, eidemq. peccata confessus, nobiscum, & quod caput est, cum Deo rediit in gratiam.

COL-

COLLEGIVM. CONIMBRICENSE.

CVM CONIMBRICENSI Collegio coniunctum est Domicilium Nouitiorum: de quorum muneribus recte impletis atque ordine, satius est vos existimare, quam me dicere, quod nemini est incompertum. Spectata est aliquorum constantia in ingressu eorum, oppugnantibus domesticis, quos Veritas inimicos hominis appellat. Sed vnius præcipue: quod tacitus non prætereo, vt de alijs similiter coniecturam facere possitis. Ante annos tres prædiuitum parentum vnicus filius Societati nomen dedit. quam illi rem tam dure acceperunt, vt vbi hoc audierunt, non aliter doluerint, quam si funere elatus esset. Mortem scilicet putabant initium vitæ. Non destiterunt postea per internuntios, quos liberali pecunia excitarant, solicitare adolescentē, atque allicere ad defectionem. At ille supra ætatem animū gerebat, confisus Deo. Eius interea pater pollens potentia atque opibus, dolore accensus, qui rem cogit extollere, exprimit Roma litteras, quibus potestas dabatur Olisipone, arbitro, vt de facto iudicaret. Nihil hoc nuntio iucundius parentibus. Olisiponem aduolant, iam spe concipientes victoriam: quæ vt esset facilior, adhibito interprete Dynasta quodam Illustrissimo, Iudicem sibi in causa, vt ipsi dicebant, vsque adeo æqua (plerumque enim de rebus ita iudicamus, vt sumus animo affecti) cōciliare nituntur. Ad examē noster accitur: ac ne quod socijs esset

cum

cũ eo colloquium, ne ve cõmunicatio consilij separatim quodã in Cœnobio per aliquot dies retinetur. accedit arbiter vultu pacato et trãquillo. aduenies hoc dedit principium. Te e Societatis vinculis liberum, si velis, abire permitto. Ego vero, Tyro inquit, præfatus modestiæ suæ cõsentaneã, istã tibi gratiã remitto: neque ea vtar: neque vincula dixerim ea, quæ a volente subeuntur. Tum Iudex. Parentes tui, tui tabescunt desiderio: ac sine te vitam sibi esse insuauem putant: teq. alloqui concupiscunt. Parentum mihi acrerũ omnium loco vna est Societas IESV, quam spõte expetiui: hanc mihi adimet nemo. Commutata hic voce ac facie arbiter, menteq. commotus: Etiamne humanitatem omnem ac naturam exuisti, vt parentũ amorem abijcias? Crudelitas ista est. Nihilo magis turbatus adolescens. At Beatus eam Hieronymus pietatem esse affirmat. Excipit Iudex. Memento e decem Dei præceptis quartum esse ordine illud, quo patrem et matrem venerari iubemur. Recordor etiã, respondit alter, Dominicam esse vocem: Qui diligit patrem, aut matrem plusquam me, nõ est me dignus. Ceterum, ne sis nescius, affirmo hoc tibi, ita mihi cordi esse Societatem IESV, vt eius nomen scriptum habeam in animo, quod ne ipsa quidem mors abolere possit. Quietus hic siluit Iudex. Tum vero alter quidã, qui dimicationi intererat, quasi succẽturiatus, vir habitu quidem, æuoq venerabilis, cum Societatis institutum orsus esset extenuare, & carpere dicendo, nihil egit. prudens enim adolescens parui faciens manẽ strepitum verborum, fregit hominem patientia. Tã-

dem

dem Iudex porrigit iuueni in manus epistolam a parentibus, ita beneuole scriptam, ac delenificam, vt ea si legeretur a filio, fuisset telum acerrimum. Sed eam Deus adolescenti iniecit mentem, vt diceret sibi fas non esse legere litteras, nisi Superiorum permissu. mox eam dedit Patri Prouinciali. Ab hisce initijs ita seueris reliqua fuere mitiora. iterum enim ac tertio cum eo Iudex congressus, vbi uidit animum inexpugnabilem, admirans iuuenis in proposito constantiam, amansq. eiusdem in sermone modestiam, collaudato denique, atque ad maiora incitato, humanissima oratione fecit redeundi potestatem. Deiecti hac tam certa spe ac destinatione sua parentes, animis conciderunt. vim tamen parat pater, quam iuuenis consilio effugit: mater lacrimas, quas sermone coercuit. Venit etiam bis in eorum colloquium, & apud Iudicem, et domi nostræ: nihil omissum ad eum labefactandum: ostentata res, spes, ætatis teneritudo, opum abundantia. adiuuabat amita non tantum lacrimis, quas uidebat fluere inutiles, sed etiam pollicitationibus. decem millia aureorũ offerebat: eam imponebat hamo escam, quam existimaret a pisciculo appetendam. At placidus ille ore, & intrepidus verbis, maioribus cogitationibus impleuerat pectus: persuasit denique omnibus, vt per eos sibi sequi Deum liceret: neue obsisterent Spiritui Sancto. Confirmet hoc Deus, quod operatus est in illo, suppeditetq. omnibus persecuerãtiam, vt principio similis exitus reperiatur. Admissi anno priore in Societatem e Conimbricensi Academia quinque: e quibus duo ad eam sibi spiritualium exercitationum

citationum ope viam aperuerunt: quamquam & præ ter hos, duodeuiginti sunt ijsdem commentationibus exculti: et ex ijs nonnulli in alias religiosorum familias adscripti. Magna est enim superioris Academiæ, & eorum, qui sunt e nostro Gymnasio, pietas: quam vel corporis castigatione testantur, cum bis terue singulis hebdomadis nostrum in Collegium itantes, se se certis in recessibus acerrime verberibus cædunt. Ex ijs, qui ad nos ventitant, erat vnus qui horribili spectro deterrebatur a peccatis cõstendis: quin cum fateri constituisset aliquando, detrusus est in præcipitium, vnde multorum auxilio extractus, de magistri consilio, sanctis se communijt reliquijs, & eluens con fessione maculas, dæmonum terriculis liberatur. Sed & fuerunt alia in hac vrbe lucra animarũ, e quibus hæc pauca seligentur. Virgo quæ Cœnobiticæ vitæ stu dium maiore cupiditate appetebat, quam spe, collatitia dote voti compos effecta. reconciliata inter plurimos amicitia: diremptaq. lis inter duos intricata & vetus, duorum millium aureorum hostimento: alia item duo millia male comparata, bene expẽsa. Trium hominum cædes prohibita. Elaboratum cum filio, vt rediret in gratiam cum patre, quam disiunxerat litigiosæ amor pecuniæ: effectumq. vt quæ incitamenta, primum erant apud infensos irarum, apud concordes deinde essent vincula caritatis. Pater quidam, quam ex interfecto filio iniuriam acceperat, pie ignoscere, quã iuste persequi maluit. Non intermittitur salutaris professio Christianæ doctrinæ. inuitat ad hoc diebus festis pompa pulcherrima cum tripartita canto-

rum

rum modulatione, maximaq. frequentia: octingenti enim pueri, non raro etiam nongenti numerantur. Hæc domi. Restat dicamus, siqua foris gesta. excurritur enim de more a nostris alio atque alio, cum ab incolis vocantur. nec sine effectu. In duobus pagis redintegratæ amicitiæ inter plurimos: erepti e manibus aliquorum gladij, qui stringebantur ad cædem inimicorum: quattuor mors hominum alioqui erat consecutura. In alio, duo, quorum alteri carcer propter cõtractum æs alienum in vicem fidei cesserat, alteri in pœnæ, propter illatam iniuriam, liberati: iniuria scilicet remissa: pecunia vero partim condonata, partim soluta. Maioris ieiunij diebus rogatu Sereniſſimi Cardinalis Alberti missi quattuor e nostris in oppida eius ditionis duo. a quibus qui esset futurus fructus, præsignificasse videtur effusa oppidanorum lætitia, qua excepere venientes. Tanta quippe facta morum mutatio, vt ipsi se admirentur, cum in ijsdem corporibus non eosdem animos agnoscant. Christianam doctrinã interdiu pueri, noctu rustici, pecuarijq. edocti. confitentium incredibilis & numerus & fructus. mane mulieres, pomeridie ad summã vsque noctem viri audiebantur. reducti in gratiam qui inter se dissidebant fere omnes, eorum voluntate: cum auditis persæpe concionibus alteri conuenirent alteros, petentes veniam & dantes mutuis amplexibus. Igeditanus Episcopus, cum primo suam diœcesim lustraturus esset, summis precibus tres, sacerdotes duos, communẽq. socium obtinuit e nostris, quos haberet comites itineris ac muneris sui: existimabat enim, id quod fuit,

multa

multa per eos vtilia manatura in eum agrum, qui incultior ante ac desertior fuisset. ergo perpurgatus ille primum, dein consitus diligenter pacificati circiter centum: conglutinata pax in oppido, quod intestina odia distraxerant: occursum cædibus tribus: ob perpetratam cædem uni pœna culpaq. remissa. nec Laicis tantum consultum, sed adiuti vicissim sacerdotes cõtumaces, ac religiosi præfracti. pauperes quinquagin ta ditiorum liberalitate vestiti. Quædam mulier iamdudum patefecerat domum suam amatoris cupiditati: pertæsa deinde infamiæ, & sceleris, ut mutaret vitam, mutat & domum. adest instigator libidinis: hæc illum, vt faceſſat monet: cum instaret obstirmatior, odio importunitatis, hominẽ ab se abigit alapa incussa. cuius cum clarior sonus domesticos aduertisset, discessit impudicus duplici perfusus pudore, & irriti co natus, et plagæ acceptæ: facitq nunc idem, quod pisca tor: Ictus sapit. Falsa nonnulli crimina in alios struxerant, in verum damnum itura: nostris deinde agentibus retexuerunt calumniam, ne immerentibus ficta obesſent. Erat in Igeditana vrbe Sodalitiũ Beato Iacobo sacrum, sed iam, sodalium discordia ac negligentia, pæne dilapsum: nunc suasu nostrorum, datis ab Episcopo ac nobilitate nominibus, ita restitutum, vt statum præsentem superior casus illustret. Nec dissimili ratione instaurata sacerdotum Sodalitas, quæ propter priuatas aliquorum simultates vix hærebat. Adiuti qui erant vincti, auditiq. confitentes. Hi vero cum iamdiu Rem Diuinam non audiſsent, ipso Deiparæ Assumptæ die, cum instratus

esset

eßet carcer belluatis tapetibus, ſacro interfuerunt: vbi & Dominico primum Corpore, deinde prandio, ex Epiſcopi humanitate, refecti: quæ res ita accepta fuit ciuibus, vt ſibi a lacrimis nemo temperarit. Neque vero omitti hoc loco debet, quod ſub initium cuiusque menſis nobilitas ad Epiſcopium cõ fluebat: eoq. loco ſuum quiſque ſortiebatur diem, Cælitum alicui conſecratum, quem ſollemni colebat ritu, purganda conſcientia, alendiſq. pauperibus. Puerorum autem Catechiſmo ita delectatus eſt Præſul, vt non alienum duceret dignitate ſua, eorum intereſſe diſputationibus, quos & præmijs allectabat. quin etiam ſtipendium annuum magiſtro decreuit. In hac diœceſi ſemeſtre ſpatium a noſtris collocatum. Diœceſis etiam Viſenſis obita ſemel atque iterum: de qua hoc dixerim tantum. In manus ſacerdotis noſtri datum ab Epiſcopo libellum, eorum indicem, qui inter ſe odia exercebãt: qui omnes, Diuini conceſſu Numinis, mutua reconciliatione placati.

EBORENSE COLLEGIVM

EBORAE magnus erga nos ciuium amor, quẽ non vulgari ſignificatione teſtantur. Sollemnem ſuſceperant tres e noſtris Tyronibus peregrinationem. Villauicoſam forte veniunt: vbi moratur Brigantini Ducis mater, femina antiqui prorſus exẽpli. emendicare ſtipem incipiunt oſtiatim. Hoc illa vbi reſciuit, accitos ad ſe, liberaliter tractat, eorumq. modeſtia & amore paupertatis delectata, poſtridie dato

uiatico

viatico dimittit. Non minorem ostendit caritatem frater Dynastæ Aluitensis, quam grata quadam dissimulatione condiuit. Cum enim in eos incidisset cibum quæritantes, statimq. qui essent, agnouisset, nescio similis: Quid vos, inquit, ista ætate & corporis habitudine, vagam vitam atque inopem persequimini? Tum ad suos conuersus: Ducite istos domum vt apud nos hac nocte custodiātur, cras faxo, vt omnē reddant facti rationem. Et abducuntur quidem, sed in aulam ornatam atque instructam: quibus vir ille perinde pietate ac nobilitate præcellens, ministrauit ad mensam, voluptate incredibili: quam declarauit litteris ad Patrem Rectorem datis, orans, vt simili sæpius dignaretur beneficio. Qui nostros magistros habent in vrbe, ij fructum doctrinarum cum pietatis laude cōiungunt. Excitati minores præmijs & celebritate actionis. quod quidem fuerat iam diu intermissum. nec publicæ defuerunt concertationes a maioribus, qui Philosophiæ operam, aut Theologiæ dabant: et ex ijs laurea donati rite nonnulli. vnaquæque deinde classis Philosophorum, datis symbolis, conuiuium apparauit, spectabiliq. per vrbem pompa importauit in custodiam, ad pauperes sustentandos. Horum exemplo prouocata ciuium nobilitas, vt ijdem, absterſis primum animi maculis, cælesti accumberent conuiuio, lauto deinde exciperētur prādio, in carcere conuectito peristromatis, non semel curauit. etsi hoc officium proprium magis videtur classium reliquarum: quæ, suam quæque vicem, in septimanas singulas, magnam ciborum copiā his deferunt, qui in vinculis

culis habentur. Eidem generi hominum e discipulorum numero vnus, cum suam ad eorum causas explicandas operam obtulisset, auctor fuit, vt sollemni illo, & sacro quadragenorum ieiunio dierum, quotidie cereos, quos ipse dabat, accensos manu tenentes, interessent Litanijs, quæ in carcere, idem, Symphoniacis adhibitis, vt canerentur effecerat. Alius item honesto natus loco erat, qui cum magnam vim panni linei coemisset, ex eo suis manibus, animi ac pietatis causa consuto, feriatis diebus culcitas faciebat, vt in pauperes egenosq. diuiderentur. Nec vero hoc prætermittendum de nostris discipulis: quod in tria tributi urbis templa, prælibantes primum aliquid e pio libro, quam longa est hora, quotidie precationi vacant. Cuiusmodi rerum fructus a Sodalitio est potissimum Beatissimæ Virginis, quod videtur instauratum beneficio Pontificiarum litterarum piacularium: quas summa sodales lætitia & gratulatione publice acceperunt. Nēpe. qua vnius diei decernenda supplicatione: qua sollemni pompa ducēda: qua sacra efferenda Deiparæ effigie, per vrbem varijs ornatam aris, scenisq. distinctam (quibus eiusdem Virginis referebantur argumenta magna cum laude adolescentium, qui eas partes actitabant) qua denique attentissime audienda laudatione Matris, quæ est ab omni laude feliciſſima: præ se tulerunt, vix quicquam tali gratius munere eorum animis accidere potuisse. quas ob res tantus pietatis ardor reliquis iniectus iuuenibus, vt eorum nemo esset, quin optaret vehementer in Sodalitatē admitti. cooptati lectissimus quis-

que. ex hoc iuuenum cœtu vnus, religionis ergo ex suarum parte ædium excluſit quod ſatis eſſet quaſi Sacello: quem in locum bis ſingulis hebdomadis conueniunt plures, vt pijs lectionibus ſacriſq. ſermonibus tempus vtiliter terant. ad has exercitationes addunt ſexta quaque feria Litanias Beatæ Virginis & corporis diuerberationem. Reliqua Societatis munera in proximis iuuandis de more præſtita. ſatis erit capita attingere. Vir erat quidam ſacerdotio præditus, vultus compoſitione & morum, virtutis ſpeciem oſtentans: his potiſſimum artibus irrepſerat in familiaritatem matronæ nobilis, quæ ad nos venire confeſſionis cauſa ſolebat. Hanc ille tandem aliquando, nactus, vti videbatur, tempus idoneum nequitiæ ſuæ, ſeu, quod ad illum vſque diem impium conſilium pia diſſimulatione texiſſet, depoſita perſona, pellicere inceſto ſermone eſt conatus. cum aſpernarẽtur flagitium aures, minis territare. ferroq. intento: iam enim animus ad ſperatum facinus cæcus cupidine rapiebatur. Hic mulier virili ſpiritu, elata voce clarum intonat. Quæ te furiæ agitant uirorũ turpiſſime? Hæccine ſimulata pietas? tu dignus nomine ſacerdotis? tu Virginis Filium tam ſpurco ore quotidie? abi hinc ſcelus cum iſto cogitato flagitio. adi ad Ieſuitas miſer, & peccati remedium confeſſione quære. hoc uerborum fulmine fracta eſt impudẽtis audacia. At mulier altera improba, & ad extremum perdita, quinque iam erat & quadraginta annos in omnium flagitiorum cœno uolutata. ad turpitudinem ſceleri addiderat pactam malo dæmoni ſeruitutem. hanc ille

exerce-

exercebat iugo durissimo, itaq. opprimebat, vt cum paterent oculi, aures ad omnia, nec consecratam intueri Hostiam, nec verba Ecclesiasticæ audire ullo modo posset. Sed non abiecerat illius curam qui eam condiderat, tamq. larga mercede redemerat Deus. adstiterat illa mendico morienti, eiq. se liberalem ac sedulã præstiterat tempore extremo. paucis post diebus conspicere visa defuncti imaginem, atque hæc verba audire. Eleemosynas tuas attuli ad conspectũ Dei, eiusq. exoraui clementiam, vt pro ijs tibi gratia referretur. Ipsius nunc permissu ad te venio, salutare dans consilium, vt peccata tua apud illum sacerdotem confessione eluas: illum sacerdotem cum dicebat, certas adiungebat notas, quibus vnum e nostris volebat intelligi. cum autẽ ea verba aure magis, quã animo acciperẽtur, vox iterum ac tertio de cælo missa est, quæ illi non modo spem veniæ, sed etiam viæ ostendit. Pax inter duos composita ingenti cum plausu fructuq. ciuitatis. eorum enim alioqui auctoritate vrbs videbatur in duas veluti factiones, & ad arma fortassis ac cædem itura. Ad fidem desertores quattuor reducti. In distantes inter se pagos missi e nostris quattuor, frugiferi fuerunt. bini videlicet ad Pacem Iuliam, & ad Orichium agrum. Hic, inter alia, trium aureorum millium restitutio facta. In Pacensi colonia Sodalitium institutum sub patrocinio Mariæ Virginis. in hoc, vno die adscripti quingenti. excitauit eorum studium res quædam, quæ videtur non absimilis fuisse miraculo. Ex illorum numero iacebat vnus ægrotus iam desperata a Medicis valetudine: inuisitur ex insti

tuto a sodalibus: postridie fit Sacrum pro eius salute. mirum dictu, leuari primum visus æger, mox etiam omnino conualuit. Quodam in oppido familiæ duæ, inter quas triginta spatio annorum mutua exarserant odia, illis restinctis, reconciliatæ. Puella quoque, quæ cum per uim paterna domo esset abducta, vitæ pariter ac pudicitiæ metuebat periculũ, in tutas perducta sedes tantisper, dum dos illi & maritus quæritur, vt honeste collocetur. In alio, concionatoris instinctu ita commota est nobilitas ad sustentandã pauperum inopiam, vt in carcerem illis, quod parauerãt prandium, accurrente & stupente ad spectaculum plebe, viri primarij suis humeris detulerint. Provincia quoque Algarbiensis lustrata est maiore fructu, quam pro tempore: trimestre hoc fuit: ille vero immensus. Subijciẽtur hæc, causa exempli. In pago quodã nõ ignobili neque curio erat, neque sacerdos omnino vllus. ita & morientes, & nascentes Sacramentorum administro carebant. Huc cum veniisset noster, tamquam de cælo delapsus, necessaria omnibus salutis subsidia attulit. Anglus quidam, quod piraticam faceret, damnatus capitis, antequam plecteretur, hæresim eiurauit. Finis impositus odijs, dissidijsue multorum. ex his pauca seponamus licet. Sodales, vt appellant Misericordiæ, cum Clero contendebant de loci dignitate: sic vt plerumque illis discordantibus, mortuorum corpora carerent honore funeris. Senatores duo e mutuis inter se altercationibus iras domũ retulerant. Differtanti sacerdoti ad populum quædam exciderant veluti semina inimicitiarum. Pater

hostis

hostis loco filium habebat. Nimirũ hæc omnia unius e nostris dexteritate composita detumuerunt. Scelera auditu etiam fœda, radicitus euulsa. Muliercula, cuius consuetudo multorum fuerat famæ & rei damnosa, mutato consilio dat operam, vt quantum prius impudicitiæ erat exemplum, tãtum nunc pudoris specimen & castitatis habeatur. Maiorem partem Prouinciæ percursauit sacerdos: quã restituit deprauatã, & correxit distortam: vt quo laxior fuerat Christiana disciplina, eo iam sit laus maior allati subsidij. Sed vt ad virtutem inflecteretur asperum quoddam & difficile hominum genus, Diuino prorsus auxilio factũ videtur. Quod quidem vt usu fuit miserabile, ita erit, credo, auditu mirabile. Lule oppidum est in Algarbiensi Prouincia in primis frequens ac nobile, in dorso editissimi montis, duodecim passuum millibus ab Atlantico mari. Anno igitur huius sæculi octogesimo septimo, Nono Kalendas Nouembres die Sabbathi atra quædam nubes & densa e littore se intendit, atque in sublime elata eam partem operit montis, in qua directis quibusdã vijs permultæ sunt ædes non valde ab oppido disiunctæ. Iulurbium vocant. paulisper hic primum constitit, vel conditas lacessens iras, vel subiectis ostentans. tum valido solicitata vento, effusum imbrem, quo nullum maiorẽ illis locis memorant fuisse, cum sonitu dedit. tres horas desæuijt tẽpestas: quæ etsi retardata primum hortorũ aggeribus, in quos collecta inciderat aqua: tamen non ita post, immenso auctu, moleq. ingenti per stragem obstantis aggeris adiacentibus superfun

ditur. octoginta domos a fundamentis euertit, conquaßauit ducentas, multos mortalium rapuit egit nullo discrimine. Oppidani enim tam ancipiti permoti malo, moliri primo aliquid: omnia cum vinceret pestis, incerti animis, fessis corporibus, consilium, cui impares erant, euentui reseruare. ex quo etiam inter cunctationem aliqui lateribus circumuenti, pari violentia feruntur. Tenebræ interea conduplicari, cælũ tonitru cõtremiscere, micare ignes, et glomerari aqua inter fragores, quos feminarum vlulatus, puerorum gemitus (quorum partim morantur, partim festinãt, omnes se mutuo impediunt) faciebant magis horrendos. Visæ etiam, aut ex metu creditæ, vt nonnulli dixerũt, obequitantes humana specie vmbræ per gurgites subiectos. ita capti auribus, oculisq. metu omnes torpere. Mox videre erat aliquos, modo pectore, modo ore tenus extantes, ad postremum fere fluctibus absorptos. Augebant terrorem, fugamq. impediebant, disiecti passim parietes ædium cum permisto instrumento, cunctaq. supellectili. saxorum agmina, miseranda domorum cadauera vno agmine innatantia. quorum incursu impulsuq. multi homines obtriti membris, vel mulcato corpore. Hæc enim damna post trium horarum noctem, lux, vbi conserenauit cælum, merentibus ostendit. Neque tamen, hac inter, nullus radius Beatæ Virginis affulsit. Alutarius erat cum vxore, & liberis quinque pæne infantibus. Habebat in ædibus imaginem Dei Parentis, quam religiose colebat. Rosarium huic proximum ad parietem e clauo appensum. ad hanc Sabbathis lucernam

accen-

accendebat. Ad commune periculum, cum vicinis, vt inundationem prohibeant via, salutata prius Virgine, domo exit, reliqua familia relicta. Dum operi insistatur, comites amne obruuntur, immotus ipse in eodem hæret vestigio: quin & puerum, qui ferebatur vortice, manu prehensum imponit in humeros. At tu, inquit, qua es ætate, innocens, ac simplex, ut nos liberet, Dei Matrem comprecare. Hæc fatus, ne fluctibus intercluderetur affluentibus, ad integræ cuiusdam domus limen euadens, cum seruato puero stetit incolumis. At domi eius, res maiore erat in periculo: ingressis aquis, quæ officinam omnem exhauserant, cupis, arcis, ac ceteris vtensilibus eiectis, omnia occupabantur: filijs tantum matriq. parcebatur, qui ante tutelarem effigiem humi strati, in preces effundebantur. Nec defuere, quibus post tempestatis abscessum, & lichnuchus pensilis accenso igne, & intacta imbribus tabula, & incolumis familia miraculo fuit: cum præcipue adhuc vda notarētur superfusi fluminis indicia. Obuersabatur fere in oculis memoria cladis, cum sacerdos noster in præparatis recenti castigatione animis timorem Diuini Numinis impressit.

COLLEGIVM. PORTVENSE

AD TEMPLVM (cuius ornatus est auctus amicorum beneficentia) magna hominum frequentia, nobilitate prælucente: fructus non exiguus. Maurus captiuus gratiosus apud omnes, ad

fidem a nostris institutus, ab Episcopo, salutari tinctus aqua, susceptus ab vrbis militiaq. Praefectis, summa ciuitatem lætitia perfudit. Vndecim infantes, quos tum primum natos, quæ eos pepererant, perimere cogitabant, quod eas moueret magis infamiæ metus, quam amor prolis, præsenti exitio erepti, & ad nutricandum alijs dati. Plus triginta a virtute aberrantes, rectum iter inspicere cœperunt. Monachus a claustris ad sæcularem militiam transgressus, saniore consilio ad claustra reuertit. Triginta & sex sedatæ discordiæ. Vir, quem alius excussa pulsaue rat palma, in templo, in maioribus sacrificijs maioris hebdomadæ, multis spectantibus, nec accusauit, nec punijt: quin etiam remisit iniuriam, eum, qui pulsauerat, in Collegio nostro beneuole complexus. Dynastam Hispanum Lusitanus Madridij interfecerat. adlegatus fuit vnus e nostris ad pacē tentandā. eam difficile videbatur impetrare a matre nobilissima, a fratribus affectis iniuria. Sed nihil est difficile viro ad Dei obsequium, & ad proximorum salutem laboranti. res transacta ex animi sententia. Decem, quos insanus dolor ad voluntatem mortis adduxerat, melius sperare iussi. Viri quattuor, qui mulierem singuli suam habebant in contubernio, e quibus susceperant liberos, vt vxores viderentur, cum tamē non essent, veterem consuetudinem, matrimonij fœdere correxerunt. Multæ æris restitutiones factæ. atque, vt minutas præteream, ab uno sex aureorum millium, quorū fides male ambulabat. Vicinū pestis oppidum inuaserat: in magno timore terroreq. omnium, nostris

nostris flagitantibus Pater Rector in Senatũ venit: ad illud opus nostrorum operam offert. Gratiæ ei a Senatoribus actæ verbis amplissimis. Ceterum, nostrorum vita non videbatur temere proijcienda: quæ ad res grauioris momenti ipsimet ciuitati erat vtilior futura. fuit huc Regis nomine missus Senator vnus quasi morum censor, & officiorum quæsitor. qui cum recte habere omnia comperisset, nostrorumq. ad id non parum valuisse industriam: ea de nobis dixit multis approbantibus, quæ nos sine pudore audire nõ possemus. Iucundum etiam Præfecto vrbano, ipsiq. Episcopo, toti denique ciuitati fuit, redisse concordiam in Cœnobium sacrarum virginum, vnde quindecim ab hinc annis ita exulabat, vt nec primores vrbis, nec Episcopus, quamuis misceret precibus iracundiam, reducere potuerint. At noster sacerdos suscepto negotio, sæpe in Quadragesima ad eas sermonem habendo, eumdem locum sæpius vrgendo, tantum effecit, Deo adiuuante, vt emollirentur tandem animi, excussisq. iurgijs femineæ iræ osculis & lacrimis finirentur.

BRACHARENSE COLLEGIVM

NONGENTI discipuli in litterarum studia ac virtutum pari ardore mentis incumbunt. Sodalitas Virginis magnos effecit processus e Pontificis Maximi indulgentia, perscripta publicis litteris: quæ fuerunt pia supplicatione, honestaq. pompa exceptæ, ac deinceps peruulgatæ. Duo inter ceteros, quorum grauissima erant odia, magna nobilium

lium, qui id sæpe tentauerant, admiratione, reconci liati. Duas inter familias clarissimas, cum iam inter se non odijs pugnarent, sed armis, his e manibus extor tis, illis extinctis, pax persancto cũ fœdere, stabilita. A duobus duo aureorum millia reddita. Impudicus quidam homo atque impudens, qui honoribus licet opibusq. abundans, propter flagitiosam vitam magna apud omnes flagrabat infamia, cœpit tandem, post triginta videlicet annos, pudoris habere rationem, & factus est frugi. Pellicem alter, etsi propinquis recla mantibus, quod inferiore esset gradu, vxorem duxit. Castitatem earum feminarum, quæ nostrum templum frequentant, ex his paucis inspexeris. Vna adigebatur ad flagitium metu mortis: altera spe paupertatis pro pulsandæ. sed & mortem illa præoptare se dixit, & hæc perpetuam inopiam, Diuinæ offensæ. Alia quædã matrona cum in eas adducta esset angustias, vt vel culpam subitura videretur, vel infamiam, ex vtraque euasit: atroci enim vultu toruoq. supercilio, solicitan tem despexit: a quo etiam male accepta vulneribus fere vsque ad necem. Irascebatur ei deinde maritus, non criminis causa, sed suspicione: hic autem ita mi seram incendebat dolor, vt grauius de se aliquid sta tueret. sed placatus tandem ille nostrorum precibus, se vxori reddidit, reddiq. sibi vxorẽ est passus. Ae groti iam agentes q. animam nostrorum auxilio liben tius vtuntur. sublata nempe opinione, quæ insidebat in multis, raro eos reddi sanitati, a quorum con fessionibus socij fuissent. Quo in genere magna nobis conciliata beneuolentia e studio, quod est Archie piscopo

piscopo moribundo impensum: quem scilicet desertum a suis, metu contagij, omniq. ope humana destitutum, nostri sunt extremo officio prosecuti. eas ob res atque alias, quas scribere supersedeo, vno ore omnes omnia nobis bona dicere, & precari Deum, vt cuncta a nostris mala arceantur. Quod nuper factum est Diuino beneficio. Quod sic prorsus vti accepi e rerum capitibus e Lusitania trãsmissis (est enim subtiliter atque eleganter scriptum) reddere constitui. Collegium de cælo tactum, Diuina ope stetit. Natali Christi die horis antemeridianis cũ pluuia grandineq. crebrescẽte, ingenti sono cælum strepperet, inter ingentes fragores conflictu nubium elisus ignis Collegij turrim quinque tabulatorum, editissimum vrbis ædificium, grauiter vulnerauit: primũ decusso euersoq. fastigio æra campana loco mouit, nec fregit. fornices tamen campanarum, saxaq. inusitatæ magnitudinis quoquo versus late disiecit: deinde fœda ruentium lapidum strage, intra quidem patefecit, comminuitq. contignationes, vbi aliqui e nostris habitabant: extrinsecus vero murum turris a pinnis ad fundamentum vsque horribili sulco aperuit, labefactata etiam, portæ vrbanæ, quæ suberat concameratione. In omnes partes volantium lapidum fragmenta, flammæq. ac præcipue in Collegium, cubiculorũ tectis fœde dissipatis, sæuierunt. Quominus vero nostri aut fulminati, aut certe saxis obtriti, miserabiliter interierint, misericors prouidit Deus. Sacerdotes in templo procurandæ rei Diuinæ, confessionibusq. excipiendis: reliqui socij in Sacello ad cunas Christi orationi vacabant:

vterque

vterque locus a turri procul abest. Illa etiam res accidit digna litteris. In ædificata turri est tecta ambulatio, qua e Collegio patet transitus in Gymnasium: in altero ambulationis pariete est fornix cinctus columnis, vbi in strato e tabulis visitur perelegans Virginis Deiparæ simulacrum, quod eo die vestibus, auro gemmisq. intextis splendebat. In hanc maxime partem, saxorum, fulminisq. vis incubuit: maior ambulationis pars lapidum pondere, flammisq. ad terram afflicta, stratū e tabulis minutatim discerptum, columnæ ambustæ, comminutæq: ingentes lapides amplius quindecim ad pedes Virginis ceciderunt. Inter ruinas ac flammas perstitit incolume simulacrū: ita vt ne vestibus quidem minima ignis, alterius ve rei nota fuerit inusta. Exterrita fragoribus vrbs, & quorsum flammæ euaderent solicita, accurrit in Collegium ad ferendam perditis rebus opem: cum præter spem socios saluos & incolumes, integrum Virginis simulacrum videret: tunc vero obortis lacrimis edere clamores lætitiæ indices, beneficam in nos mirari Numinis prouidentiam, veneranda, intuendaq. Virginis effigie animum oculosq. explere.

COLLEGIVM. BRIGANTINVM

MAGNA PARS EORVM, quæ hic gesta sunt, in sedandis Brigantinorum controuersiis spectata est: eæ viginti plures fuere. et pleræque inter parentes, liberosq: homines denique naturali necessitudine coniunctos. Vir, qui sclopum ad inimicī

mici cædem instruxerat, interfuit concioni vnius e nostris: et repente ita perculsus est, vt vltro eum adierit, quem sublatum volebat, veniamq. ab illo suppliciter petens, non nisi ea impetrata discesserit. Adolescentes nobiles duo sese per epistolas ad certamen prouocauerant, iamq. vterque habebat comparatam manum: obstitit ambobus vnus e nostris, & pacis auctor fuit. Paulo longius alij duo in iracundia processerant: iam enim animis parati atque armis pergebant ad destinatum pugnæ locum: interuenerunt in tempore nostri, fœdumq. consilium rato fœdere diremerunt. Frater a germano fratre fuste percussus, atque (id quod fuit notabile) in magna hominũ frequentia: tantã iniuriã posthabuit Christianæ caritati, suũ amicissime fratrem in templo nostro complexus. Nobiles viri duo, qui auitas inimicitias acerrime persequebantur, fecerunt pacem: quam publicis etiam testatam litteris, quo esset firmior, extare voluerunt. Mortes aliquæ impeditæ. Vnus uenenum potioni alterius affuderat, quo paulatim irrepente, sensim contabesceret: rem deinde detulit ad nostros, exq. eius sententia procuratum medicamen, quo infringeretur ueneni violentia. Mulier, quam uis hominum uiduam fecerat, ad imitandã Christi patientiam, quam e concione didicerat, recentem mariti necem Deo cõdonauit. Sed hæc opinione fortassis, quam re leuiora, si præsertim cum duobus capitibus conferantur, quæ statim adijciam. Inter Magistratus Ducis Brigantini, cui hæc vrbs paret, Regiosq. administros, orta seditio, grauem minabatur ciuitati calamitatem, nisi ipsius initijs ne

glisce-

gliſceret latius, noſtri interueniſſent. In Senatu, vt fit, de rebus publicis diſceptabatur a ciuibus. cum multa in varias partes diſſererẽtur, ac forte iurgia incaluiſſent, Senator vnus verbo alios perſtrinxit. quod cum ipſi non ferrent inſolentes contumeliæ, conſurgentes e ſubſellijs, non conſilio amplius, ſed ferro rem gerebant. affuit opportune Magiſtratus, qui alijs irrogando multam, alios conijciendo in vincula, corroboratã rixam ægre compeſcuit. res tulit, vt noſtri imprudentes rerum, in Senatum ſub idem tempus venirent in medium incendium: itaque ſingulos adeundo, iratos mitigando, omnes flectendo, effecerũt, vt diſsipati iterum conuenirent, carcere laxato a Magiſtratibus, multaq. remiſſa. nec mora, reditum ad interm iſſam deliberationem, eaq. breui ad exitum perducta. Nec Brigantiæ modo ea res feliciter ceſsit, ſed & Mirandæ, quæ vrbs eſt diœceſeos caput. quo cum Epiſcopi miſſu ad Quadrageſimam iſſet ſacerdos vnus, domeſticis incenſam illam odijs, armiſq. ciuilibus, non difficile pacauit. quamquã & iterum in eãdem vrbem itum eſt, et Canonici, Decanusq. reconciliati. et vero etiam tertio. qua profectione fundatum & conſtitutum ſacrarum Cœnobium virginũ: qua in re fuit, multis videlicet repugnantibus, egregie laborandum. Magna autem eſt Epiſcopi Mirandenſis pietas, humanitas magna. Declarauit eas cum alias ſæpe, tum his maxime annis, cum feſtum diem, quem qui ſunt e Sodalitio Deiparæ Virginis ſollemniter celebrant, apud nos peramanter egit, & poſtridie eius dici, præmiorum, quæ ſuo emerat ære, diſtributioni interfuit.

interfuit. Sodalium vero haud facile dictu est, quanta sit religio, quanta ad castigationem corporis propensio. His non cedunt, quantum quidem per teneram ætatulam possunt, pueri elementarij: quorum ea est institutio, is ardor ad pietatem, vt si quem iurare temere in circulis animaduerterint, iniiciãt sese verecunda granitate in medios, atque id, ut ne faciat, positis in terra genibus, per Deum obtestentur. quod cum quidam opportune egisset cum viro patricio, eumq: orasset vt in pœnam iactæ vocis, semel salutationem recitaret Angelicã, fecit patricius pie quod monebatur: quin & miratus altam indolem pueri, gratias illi egit: cui deinde pecuniolam, quæ esset index grati animi, sponte donauit.

FVNCALENSE. COLLEGIVM

RES TANTVM posterioris anni his litteris comprehendam, quod rerũ capita prioris, infestum, credo, cum esset prædonibus mare, vel transmissa non sunt, uel fuerunt intercepta. Diebus Veneris, in Quadragesima, concio de Christi Domini cruciatibus, magno cum audientiũ doloris sensu fructuq. habita. Vir facinorosus cum ad amorem virtutis vi esset concionum adductus, professus est se cessurũ omnibus rebus suis, si exploratam spem habuisset æternæ salutis. Patricius quidam per flagitia infamis recepit se tandem ad pœnitentiam: ipseq. cum familia apud nos sacrosancta mysteria obit. Alius, qui cum tribus se mulieribus illicito matrimonio coniunxerat,

xerat, ad primam se legitime contulit, alijs valere iussis. Vnus item, atque alter, quam grauem accepe-rant ab inimicis iniuriam, nec citra sanguinem, ignoscere, quam vlciſci maluerunt. Non leui certamine animorum exarserant primores ciuitatis duo, magnumq. timebatur incendium: sed quieuerunt tamen iræ sacerdotis occursu. Fracta clanis furtiua, quæ permultos annos opulentã domũ impune spoliabat. Virgo nobilis importunum ab se amatorẽ alapa percussũ deturbatumq. præcipitem e scalarũ gradibus, magno animo depulit. Mulieres duæ, quibus impedita mens erat scelerũ conscientia, nulli religioni sibi ducebant ad cæleſte conuiuium accedere. sed earum altera odore sulfuris a sancta absterrebatur ara, alteri videbatur Hostia per modum indignantis in sacram pyxidem abscedere. vtraque ad nos recurrens, & scelere liberata, & sacra mensa dignata est. extitit quoque ciuium erga nos beneficentia. Donata vestis intertexta auro ad conuestiendum tabernaculum: aliaq. opere Damasceno ad ornandum suggestum, & præterea aurei ducenti.

ANGRENSE. COLLEGIVM

REVOCATAE priore anno scholæ, quæ superioribus, nostrorum discessu, fuerant intermissæ. præparationem ad eas adhibuit oratio in magna ciuium frequentia, cui & Episcopus interfuit. qui etiam hoc uoluit, ut postremo mense præuia declamatione in speciem dialogi, darentur præmia diligentioribus

ribus, sua ipsius impensa. quod factum mirum quantum exacuit puerorum diligentiam. est autem Episcopus nostri amantissimus, ad nos adit frequenter, & nostrorum opera libentissime vtitur. Par prope Regiarum Præfecti cohortium erga nos amor & beneuolentia. Ceterum cum Episcopum inter Regiumq. Magistratum de iurisdictione extitisset controuersia (quæ res superioribus annis damno fuerat, quam periculo propior) eoq. altercatio progressa esset, vt nõnulli ex Episcopi familiaribus in carcerem abriperentur, nostrorum interuentu lis sletit: et tandem Regis iussu nonnihil sæculari Magistratu de summo iure remittente, composita. Superiore anno accidit res quædam admirabilis, ei persimilis, quæ ante, proximo acciderat. Aleator quidam miles, male cedẽte ludo, crumenam verterat: quam iacturam vbi persensit, ad diras conuersus, cacodæmonem contentissima voce insanus appellat. et ad socios. Num quis quid ad principem Satanam? Vocatus ille affuit, truci (videlicet ipsi soli visus) aspectu. Tum excussa homini audacia: consternatus enim subito, ac pæne exanimis cadit. accitur propere vnus e nostris: trepidantis confessionẽ exaudit. monstrum in præsens concedit: rursus redeunti domum sese offert, manus iectans, suamq. se prædam dictitans, in infernum carcerem abducturum. enimuero ille contremiscere, quibusq. potest vocibus, Dei Matrem inuocare. Perducitur interea a comitibus in Sacellum Virginis, superioris anni inclytũ miraculo: vbi rursus cum repentina corruisset formidine, iterat confessionem: atque omni tandem periculo

liberatus, ipse sibi exẽplũ ad morũ & vitæ emendationem fuit. Puellæ duæ non obscuro loco natæ, vt Deo se consecrarent, ad Cœnobium affectabant iter, sed claudebat inopia. illud ijs patefecerunt nostri, corrogata ab eorum propinquis pecunia. quod factum ijdem ita probarunt, vt eorum unus nostrum nunc tẽplum terat, qui eius antea limen ne attigerat quidem. Vxor cuiusdam cum sibi ante oculos adductam pellicem ferre non posset, venenum cogitabat. Vir quidam tædio vitæ, & desperatione veniæ, ob perpetratorum conscientiam scelerum, per abruptã venam sanguinẽ fundens, mortem sibi properabat: vtrique in tempore subuentum. fractæ claues adulterinæ duæ, quæ ad multa facinora viam aperiebant. Cum magna pars nauium, quæ soluunt ex ora Aethiopica, in hunc portum appellatur cum captiuis Aethiopibus, nostri Christianis adsunt morientibus, Ethnicosq. Christiana fide imbuunt, quam susceperẽ nõnulli. quamquam posteriore anno cum exposita essent mancipia, contage quadam morborum passim grassante, haud paulo plus negotij fuit in eorum corporibus animisq. curandis.

SEDES. ANGOLANA

ETSI PROPTER cæli inclemẽtiam, nostri qui Angolæ versantur, valetudinem interdum desiderant habilem labori: eam tamen confirmat pietas animi, & proferendæ tuendæq. cupiditas Christianæ religionis. ita & Lusitanis Aethiopibusq. opera persæpe nauatur. nam, vt liceat de præteritis recorda-

ri,

ri, duodecimus, haud multo amplius, annus est, cum Oloandã e Lusitania tenuere nostri, insulam multiplici superstitioni deditã, veriq. Numinis, ac recti prorsus ignaram: nunc Diuino beneficio Christi colentem: quem & in agro excitatis passim Crucibus, & in oppido templis arisq. testantur. Quod dicendum similiter de Corimba (regio ea est latissima, feraci solo, frequentibus pagis) deq. toto Angolæ tractu, eo, qui Aethiopum Principibus iam Christianis paret. Ita vero sunt Angolani homines Christianæ certi religionis, ac propositi tenaces, vt cum populis quibuslibet longa maiorum serie ac vetustate firmatis æquari possint. Res illa potissimum argumento. quod cum sit gens maxime in Venerem præceps, sic vno viuunt contenti toro, vt sint finitimis exemplo. Sacerdos ille de nostra Societate, quẽ anno superiore in Congi Regnum excurrisse accepimus, quacumque contendit, exceptus est a frequentibus hominibus, & læto vultu gratulantibus: quorum animos in fide roborabat, infantes, & adultos (si qui erant instructi) baptizabat. hi vero, si eos etiam adnumeres, qui Angolæ sunt baptizati, plus mille fuerunt: plures futuri haud dubie, nisi inimicum nostrorum conatibus, votisq. Aethiopum, bellum magna mole obstitisset. Nam etsi Lusitanica virtus confertissimos Angolanorum dissipauit, strauitq. exercitus: ea tamen est virorum multitudo in Angolæ Regno, ita continuo deperditas redintegrat acies, vt vix amissorum bello damnum sentiatur: et vrgent Regis decreta, qui nemini a militia vacationem concedit: detrectantes morte mul-

tat. Bis hoc anno commissum est prœlium, hostesq. eiecti ac repulsi: quin etiam res accidit omnino mirabilis. Lusitani erant fere ducenti: fœderatorum Aethiopum decem millia sub signis habebant. hæc tãtula manus tota sexcenta aduersariorũ millia fudit fugauitq. et, quod alioqui incredibile videatur, incruenta prorsus victoria. cuius quidem auctor non immerito creditur Virgo Sanctissima, quã præcipua quadam Christiani Aethiopes obseruantia verentur'. Affirmauit opinionem, quod cum magna vis hostium in nostrorum subsidia, quæ tenebant Aethiopes, derepente irruisset, seq. illi ad Ducem Lusitanum recepissent, abiectis oneribus: etsi vnde ij discesserant, in eodem loco consederunt hostes sæpius, vilioresq. omnes sarcinas, (vt est gens gazæ auidissima) diripuerunt: ea tamẽ, in qua erat abdita sacrosancta effigies Virginis (quam Lusitanus Prætor secum semper in expeditionibus habet, quam flexo veneratur genu quotidie, precatione adhibita, inspectante exercitu) salua propter viã, & integra reperta est: obcæcatis, ut uidetur, impiorũ luminibus, ne illud uiderent oculis, quod esset manibus attingere nefas. Hæc deinde imago in castra sollemni pompa reducta, vbi colitur religione maxima, eumq. honorem habet, vt ipsius sub vmbra præsidij se protegi confidant. Nec vana fides. Certe, post nobilem illam, atque haud scio an omnibus sæculis vmquam auditam victoriam, quam nostri de Angolanis reportarunt, cum duodecies centena eorum millia profligauerunt exiguo numero: cum forte quidam Lusitanus ad Regis vrbem delatus, quæsisset de eius ductore

re exercituum, quid causæ fuisset, cur illa multitudine prope innumerabili tam paruis copiolis cessisset: Haud quaquã, inquit ille, Lusitanorum arma metuebamus, quos vel vno spiritu difflare potuissemus: sed femina admirabili specie, clarissima effulgens in luce, seniorq. eius comes, flammeum vibrans gladium, qui conspiciebantur ante signa suspensis medio aere vestigijs, magnam incutientes spectantibus formidinẽ, alienatos terrore animos in fugam dederunt.

HAEC ERANT dudum de rebus Angolanis perscripta, cum addi quædam placuit, sero scilicet allata, quæ posteriore anno acciderunt. Res Christiana aucta. neque omnes tamẽ, qui postulabant, ad Baptismum admissi. ita facto opus, donec imperitent Christiani: nempe, firmamentum religionis, fides regnantium: idq. remedium aduersus sacrificulorum insolentiam. Angolanorum sacrificuli. Gangæ vocantur, tanto apud eos in honore, vt ab his salutem omnium pendere, & rerum conseruationem vulgo arbitrentur. Hi pluuias in aere colligere, ac soluere: inopiam frugũ, siccitate: vbertatem, tempestiuis imbribus præbere: valetudinem auferre, referre pro arbitrio, mortalibus: in mortem habere potestatem: quia soli norunt venena, eaq. cum libet spargunt: nec minus in uitam: quia salutares herbas, quæq. alia vtilia ægrotantibus: nec vero ea vulgant quasi arcana sacerdotij: rerum denique Diuinarum conscij, humanarum arbitri habentur. et effantur futura. quibus, propter familiaritatem dæmonum, qua implicantur, nonnulla ex euentu fides. Etsi non desinit interdum Diuina virtus

aliqua ostendere, quibus elusa impietate multorum, aliqui vehementius ad pietatem accenduntur. Tale hoc fuit. Lusitanus Dynastæ cuidã intulerat bellum. tetenderat in terris alterius, quo amico vtebatur. Magna erat ea tempestate siccitas: sati agri imbrem postulabant: eum se, & largum quidem, daturum pollicitus quidam ex eorum ordine, cui cælum scilicet paret, expectatione et cupidine promissi magnam excitarat hominum multitudinem. Serena luce ventum in planiciem peramplam, non longe a castris Lusitanorum: e quibus aliquot interfuere miraculo. Procedit in medium Ganga cum tintinnabulis, ceteroq. instrumento. mox ad tripudia, & sollemnem saltationem occulta addit murmura. per semihoram tenuit ritus supplicationis execrandæ. Atrox interea cooritur nimbus cum plurimo tonitru ac fulgure. pluuiam iamiamq. descensuram dixisses. Silere Lusitani, ad rei exitum intenti: lætari Æthiopes, & inconditis vlulatibus suum Gangam extollere: ipse super insitam vanitatẽ, iam nimius animis, superbe de se, & de Christianis cõteptim loqui: nescius quid cælum supra caput moliretur. Nec mora, crebrescente tonitru, ruere visa omnia, & horribile vibratum cum strepitu fulmen, in maximo tremore omnium, eum vnum ita percussit, vt fulminei in modum gladij, præciso capite truncum corpus reliquerit in terra. Quo facto confirmatum est dictum nostrorũ, qui illis sæpe hominibus, eorumq. Domino affirmarũt, aperire pluuias & claudere, non esse in hominum manu, sed in Dei: ab eoq. vno in huiusmodi necessitatibus opem petendam. Se-

quitur

quitur aliud in re grauiore. Rex Congi Aluarus tum potentia et opibus, tum Christi suscepta religione insignis, decedens e vita eiusdem nominis filium, & Regni, et fidei reliquit heredē. Hic regnandi initio scripsit ad vnum e nostris sacerdotem, qui apud toparchā quemdam, Lusitanis et indigenis dabat operam, cupere se eum habere vel consiliarium in rebus religionis, vel administrum. idem Lusitanorum significauit Præfectus, & nobiles Lusitani aliquot, qui apud illū uersabantur. iamq. parante iter, Lusitanus Prætor litteras mittit, ad Regem Aluarum perferendas. quibus litteris gratulabatur ei paternam hereditatem: et, si quid sibi ad eā tutandā esset opus, omnes facultates, Lusitani Regis nomine offerebat. Quæ Aluaro res, magno, vt modo dicetur, in aduersis adiumento fuit. Nam vt ipse erat non legitimo coniugio, non deerat qui ius faceret successionis incertum. ad eum igitur profectus cum socio sacerdos, & acceptus perhonorifice. Argumento sit, quod cum recepta iam consuetudine Rex non faciat exteris sui copiam, nisi elapsis aliquot diebus, quo augeatur ex interuallo reuerētia: statim atque audiuit de aduentu nostri, eum ex se inuisi, et ad se adduci iussit. Obtulit ei a Lusitano Prætore epistolam, pios deinde aliquot, quos secum tulerat thesauros, Sanctorum reliquias, imagines, & orbiculos piaculares. quæ omnia Regi gratissima fuere. Fere a patris morte ad eum vsque diem Aluarus desertus a ciuibus, neglectus a suis, dum se cōtinebat, vel non dans hoc tempore occasionem malis, vel bonorum consensui se reseruans. Vbi compertum amicas

ad Regē litteras ab Lusitanorū Prætore datas, tanta consecuta mutatio animorum, vt vltro venirent plurimi gratantes, & dilata ad id tempus tributa pendentes. Interea eius soror, sed tantum ex patre, clanculum illi struebat insidias: fouebat fratrem alterum, qui peregre aberat: ad hunc Regnum transferre cupiebat: tantumq. monitis & auctoritate profecit: vt ille, neminem sperans fore repugnantem, ad vrbē cum copijs non magnis intēderit, ea celeritate, vt simul adesse, et venire nūtiaretur. Non ignotum erat iu ueni, quod Lusitanus Prætor scripsisset. itaque Lusitanis, qui erant Congi, edici imperat, vt ne Aluaro opitulentur. quod si negligerent, iam tum minitari, post reportatam (vt facile erat de imparato) victoriā, illis cædem, templis arisq. vastationem. Rex contra Aluarus, Deum exercituum, in cuius manu omnium potestates & omnium iura Regnorum ad placandum conuersus, confessione prius & sacra communione operatus muniuit animam: orat deinde sacerdotem nostrum, aliosq. vt die postero, quo res mittenda erat in discrimen, is erat kalendarum Sextilium, precibus & sacrificijs victoriam a Deo exposcant. Tum nostro eidem, cuius spectatæ fidei prudentiæq. multum tribuebat, aurum omne & gazam Regiam committit custodiendam: aut, si quid aliter acciderit, in pios vsus erogandam. Et, quoniam, siue difficile est ita premere quæ coquuntur in mentibus consilia, vt non aliqua fumus erūpat: siue fraudis humanæ insinuauerat suspicio animo: ad aliquos, quorum habebat suspectiorē fidem, accersitos domum, in hunc modum exorsus est.

Et

Et iura Regni & naturæ meus peruertit frater, cum contra Regem & fratrem exercitum ducat. nec vero ita exarsisset, quamuis ætate flagrans & cupidine imperij, nisi in hac ipsa vrbe aliqui præberent furoris alimenta. intus, intus sunt, & fortasse in hoc cœtu, qui pro illo pugnant: vt maior mihi sit cum ciuibus, si hoc nomine dicendi qui ciuitatem oppugnant, quam cum hoste, quando ita se vult dici frater, futura dimicatio. Et vos quidem, mei patris assẽsu, qui has mihi moriens conciuit turbas, in me Principem iurastis: vos me nec expetentem, nec cupientem, ignarum futuri, credentem vobis, & rebus præsentibus, dignum Regno censuistis. siue id, ad parentis memoriam retinendum, siue timendum fuit. Nunc reperti sunt, qui nostri ne odio, & libidine mutationis, an altioribus de causis, datæ immemores fidei, cum maneant corporibus intra vrbem, extra animis, aduersum nos decertant. quibus ut toti sint apud hostes, nec animis corporibusq. distracti. vtq. segregentur a bonorum contactu, liberam do, quocumque velint, abeundi potestatem. Ego quidem non humanis viribus fretus, sed Diuino Numine, & æquitate causæ (etsi non deerit etiam Lusitanorum robur inuictum) aut in hac arce, Regni, profligato hoste, exactis improbis, iuste regnabo: aut pro illa, si ita Deo erit cordi, fortiter occumbam. Sed illud magis spero: vbi aciem ostendero hosti, trepidabit quamuis instructus, insita mortalibus natura, ut in aduersis qui nimis se abijciunt propter conscientiã imbecillitatis, cõtemnas: qui pressi, aduersus pondus nituntur, nec animos demittunt, propter fiduciam

ciam uirium admirere. Satis tuto pugnat pro quo stat Iustitia. Permouit omnes oratio: ita ad Regis pedes accidere multi, veniam orantes, ac pollicentes superioris temporis perfidiã posterioris fide correcturos: eamq. vt ne amittant, potius spiritũ amissuros. Neque promissum id iactantius, quam præstitum constãtius fuit. A pugna enim, quæ commissa est postero die, nemo non vulneratus abscessit: neque id tam virtute hostium, quam fraude suorum. extitere enim ex vrbe subornati complures, qui cives in hostem intẽtos, nec intelligentes, vulnerarent a tergo. ita & his, ignorantibus quos cauere deberent, minuebantur vires, & animus crescebat aduersarijs. Bis pulsi Regij: bis pudore an desperatione redintegrauerant pugnã: iamq. extrema patientes audentesq. fluctuabant. Hæc inter, ductor hostium, æger mora, & spei impatiens, Regem vnum, qui trahebat certamen, oculis & voce requirebat: nec diu: conspexit prima acie præliantem: nec Regio tantũ habitu, sed & sanguine (iã enim per proditionẽ vulnus acceperat) insignẽ. in eũ igitur, nihil timens aut tela, aut igneas glandes, infesto gladio fertur. nec recusata ab altero pugna. Dimicatio erat in specie impar. ille maior corpore & robustior viribus, integer, et ferro intactus, iraçũdia præterea incẽsus, et ferox secũdis. Rex, Diuina spe nixus, animo, quã corpore valentior. Sustulit mucronem ille, haud dubius vno ictu posse rẽ confici, dextrumq. interea latus nudum Regi ostẽdit. hic ferro opponens clypeum (qui in duas sectus est partes, ipse etiam leuiter strictus) gladio transegit aduersarij corpus, & celerrima via

mortis

mortis inuenta, ei vitam eripuit. Ex eius interitu illinc orta fuga: etsi irrita: iam enim obsessis vijs, qua erant transituri, paucis patuit effugium: hinc vero victoria. Rex victor sacerdotem nostrum, qui accepto nuntio ad eum gratulabundus exierat, amplexatus, ad Sancti Iacobi primum, dein ad Sancti Antonij, gratias Deo acturus, accessit: deinde curauit corpus: mandauitq. vt eo in loco, quo frater interfectus, templū Beatæ Virgini poneretur. nec multo post, vt celerius sacra attolleretur moles, eo veniens, vbi lapis cædebatur, cum sua coborte, saxa humeris subuectare, non inferius maiestate sua ratus, exemplo alios incendit. Postridie idem a Regina, eiusq. comitibus, itemq. a Lusitanorum nobilitate factitatum. Cum sacerdos deinde noster orasset abitum, nec exorasset nisi data spe procurandi reditus, aut alterius submittendi, liberali eum viatico prosecutus, mille aureos nummos Oloan densi Domui, eleemosynæ nomine curauit: missoq. edicto, cauit per totam ditionem suam, vt ne nostris proferēd. æ studium Christianæ religionis sit fraudi: sed eorum conatus omnes in toto Regno, quacumque re indiguerint, gratuitis auxilijs opibusq. adiuuentur.

PRO-

PROVINCIA BRASILIA

BRASILIA diuiditur in Collegia tria. Baiense. Pernambucense. Fluminis Ianuarij. Sedes quinque. Ilheorum. Portus Securi. Sancti Spiritus. Sancti Vincentij. Piratiningæ: Eam explent socij centum quinquaginta quinque. Adiunximus in Societatem posteriore anno decem. Abierunt e vita tres. De priore nihil est habitum.

BAIENSE. PERNAMBVCENSE Et Fluminis Ianuarij, Collegia.

IN BAIENSI Patrem Emmanuelem Barrium, virum nauũ & industrium amisimus. nouem annos in hac Prouincia collocarat. Collegij ædificatio, ornatus tẽpli, scholarum frequentia quotidie melior. multorum sedatæ discordiæ, odiaq. placata. tres a meretricio retractæ. Itum a duobus in officinas saccararias: et super multorum vitam emẽdatam, adiuncti ad Christum centum octoginta quatuor, omnes adulti. et quoniam plura hic seruitia, magna imperitia rerũ nequitiaque, ab eorũ more ac disciplina depulsæ. occursum adulteriis. et matrimonia aliquot rite coniuncta. Nec desiderant Indi, quorum præcipua cura, nostram diligentiam. Docentur initia-

initiamenta fidei: audiuntur confitentes: ad pietatem incenduntur: inseritur amor pudicitiæ: euellitur libidinis. Christum accepere animis, sacro fonte loti corpora, supra centum. Tres sunt hic pagi nobis commissi. Huc confluunt quicumque Diuina ope, conceptis superstitionum deliramentis, de Christiana fide meditantur. et iam, hoc vt faceret, decem pagorum turba cum suis Dominis se commouerat, nostris ducentibus, qui illuc contenderant. Sed hoc molientibus, & præparantibus itineri necessaria, suscitauit diabolus fictas quorumdam sententias, eorum simplicitatem arguentium, quod sub religionis imagine ad seruitutem ducerentur. itaque dilata tot mortalium conuersio. Ex hac tamen multitudine inuentus senex, qui cum filia venit, & duobus ex ea nepotibus, masculo & femina. hæc oculis capta, & manu trahenda: gibber ille, & succollandus per vices. hi baptizati omnes. Nimirum inuitatis ad conuiuium venire recusantibus, manci & debiles intrare compulsi, vt impleantur mensæ discumbentium.

DE PERNAMBVCENSI perscripta sunt capita, quæ ad vtrumque annum pertinent. ea complectar. Excessit e vita sacerdos vnus Franciscus Teixeiras. Familia vna cũ altera: vir cum paracho: pagus vnus cum suo sacerdote: et in altero pago parochus cum Collega, in gratiam, nostrorum hortatu, rediere. reuocati multi a peccandi consuetudine. In quodam oppido, quod est nobis commendatum, die Sancti Michaelis, a cuius nomine dictũ est templũ, celebratus magnifice Baptismus capitum bis centũ

viginti

viginti sex. Itum vtroque anno Paraibam. abest mil libus quinquaginta quattuor. in itinere, tribus in Indorum pagis statutæ Cruces conspicuæ tres. Paraibæ vero, vbi sæpe Lusitano pugnandum cum hostibus, eorum Dux bello captus, ac deinde triginta, sacra aqua tincti, antequam morte punirentur. Ea mors illis, quæ animæ attulit vitam, pro beneficio fuit.

DE FLVMINIS IANVARII hoc tantũ, omissis vulgaribus. Obijt Pater Balthasar Aluarus. Sodalitas Regum (ab tribus Magis hoc ei nomen) aucta. Instituta inter discipulos altera: eius appellatio ab vndecim millibus virginum. Spectata horum pietas, cum in magna siccitate, earum vnius perlato capite, nocturna pompa, pro cælestibus aquis est publice supplicatum.

SEDES. ILHEORVM. ET. RELIQUÆ.

APVD ILHEOS vetera multa odia restincta. Hic locus toties distingui poterat, quoties pax inter discordes facta: sed breuitati studendum. Cum parochus vnus domi seruet rem Christianam, alter additus, qui augeat foris: hic centum sexaginta duos lucrifecit. nostri suo muneri non desunt. et adiuuat interdum Deus illorum conatus recentibus exẽplis. Mulier captiua, cuius animus ad flagitia præceps, cum conseruis erat in opere: decidit in terram semianimis, diuinitus verbere incusso: et e variis partibus corporis sanguinem fundebat. hic casus effecit,

vt

vt e somno peccatorum excitata, exurgeret ad pœnitentiam. Anus quædam ab religione Christiana in tantum erat auersa, vt eam æque dissuaderet alijs, ac sperneret. Hæc a marito aliquando tam grauiter fuste percussa, vt sopiretur, diu iacuit exanimis. mortuã plerique arbitrabantur. vbi effusa aqua spiritum reuocauit, et mens compos est sui facta, vnum e nostris acciri extemplo iubet. Baptismum orat. requirenti causam tam subitæ mutationis: Ad tenebricosa, inquit, perducta sum loca, vbi qui non sunt mersi salubri aqua, ferali igne torrentur. et vidi miseram filiã sæuis circumdatam flammis, quod in morte inuenta est hac pertinaci superstitione damnata. mihi quoque est tergum afflatu vaporis ambustum.

IN PORTV SECVRO agrestes Indi, & propter locorum asperitatem, quæ hominum quoque durauit ingenia, efferati, adiuti consilio, & ad pietatem exculti.

PER SANCTI SPIRITVS pagos nostri dispersi, operam suã ponunt in pluribus ad Christum aggregandis. iam decem millia censentur.

PIRATININGAE spes oblata messis non paruæ. Moromimi (gens est sermone ab alijs dissona moribus q.) iam metu posito, pagos nostros frequentant, & contraxerunt aliquam amicitiam, gestu magis, quam sono uocis intellecti. In horum consuetudinem dat se vnus e nostris, eorumq. linguam condiscit, vt illo instrumento vtatur in eruudiendis hominibus, ijsdemq. perducendis (si conatum Deus respiciat) ad Christi disciplinam.

INDIA

INDIA

SOCIETAS nostra habet in India Domicilia, si ea etiam, quæ Iapone Sinisq. adnumeres, omnino quadraginta quinque, socios quingentos viginti quattuor. Baptizati varia per lõca quamplurimi: ij cõficiunt summam uiginti octo millium. Apud Indos octies mille: uicies apud Iaponios, posteriore anno: nam de priore nihil comperti. nec desunt qui Catechismo præparantur. Cooptati in Societatem octoginta duo: Goa unde quinquaginta: Iapone uiginti tres.

IN INDIA, ut iã de ea seorsum expediam, Sedes pleniores (ijs præteritis, in quibus uersantur pauculi) uiginti numerãtur. Octo præterea Seminaria Indorũ adolescentulis instituendis: in quibus singulis nostri quaterni, uel quini. Socij quinque supra quadringentos. Demortui undeuiginti. Nam hoc in numero etiã censentur tres, qui (ut nostrorum uita per incerta maris & tempestatũ quotannis uoluitur) obierunt in mari, anno octogesimo quinto: et duo, qui consequenti, in comitatu Iaponiorum: quattuor item, qui post fœdum naufragium ad Cafres electi, finem uitæ, quã per extrema omnia ducebant, implerunt. Mitigauit perceptum ex horum obitu dolorem, Iaponicorum Dominorum anno octogesimo septimo, mense Maio Goam aduentus: qui accepti sunt non modo a nostris, sed etiam ab uniuersa ciuitate, maiore cum gaudio, quo res fuerat propius metum. erat enim superior

annus

annus multorū nauigandi infelicitate infamis. Quæsitissimi honores habiti iuuenibus. a Prorege perhumaniter accepti, donatique: super omnia dona, equus singulis ex Arabia regifice instratus: et exolutū liberaliter, quantum factum esset in itinere, quantum faciēdum in commoratione, impensæ. quin etiam eorum oblectationi equestres ludi summa cum dignitate celebrati. Ipsi vero iuuenes nullum facere finem laudandæ Europæ. maximā maiestatem eius Principum cum pari humanitate in cælum tollere: in ore habere Catholicum Regē, & qui præest regimini Lusitaniæ, Albertum Cardinalem: Italiam rerum pulcherrimā, Romamq. Christiani imperij caput, sedem appellare religionis, fidei, sanctitatis: mortales, quibus in Europa nasci contigerit, perbeatos dicere: rectēq. tot rerū, quas viderunt audieruntq. voluptatem, cum tam longo ac difficili itinere compensatam arbitrari. et nunc pleni lætitiæ speiq. maximæ Aprilem expectant anni octogesimi octaui: vt, cum Deo, soluentes, reducenteq. eos Patre Visitatore, qui (quod scitis) Goæ substiterat (eum nunc sequentur septemdecim e nostris) in patriam reuertantur. Sed me iucunda quædam Iaponiorum Regulorum commemoratio longius tulit. Nunc ad rerum ordinem venio.

GOANA. PROFESSORVM Domus.

PIORVM liberalitate celeriter & magnifice domus extruitur & templū: et, vt nunc est, in

ædem, qua ex commodato vtimur, magnus hominum concursus. Nullum est enim Domorum Professarum munus, quin hic fructuose exerceatur. ita e socijs triginta septem, sacerdotes duodeuiginti, in proximorũ salute habent operam bene occupatam. ad conciones incredibilis multitudo. Sacramenta frequentantium maximus numerus. Audiuntur & firmantur ægroti: nec præsplendore nobilium, seruitia negliguntur. adiuuantur etiam qui clauduntur in carcere. nec deseruntur qui rapiuntur ad mortem. Vnius conuersio eo admirabilior, quo prius animi peruicacior, deinde doloris, propter commissa scelera, tenacior fuit. placati quamplurimi. eorum aliqui, submissi petentes terram, eos pacem orabant, a quibus erant offensi. pellices aliquot ijs nuptæ, quibus insueuerant. puellæ inopes permultæ collatitia dote collocatæ. In nosocomio desident sacerdos, vt rebus spiritualibus præsit, cum duobus tribusue Nouitijs gratia experimenti: multorum a peccatu reuocati animi. hoc magnum in illo, qui cũ sanus id feciſſet, postridie mane inuentus est mortuus. Priore anno vnus vicinus morti, vt nec vocem haberet in potestate, Baptismum cum accepisset, quem nutu petierat, sanitatem recepit. Ceterum insignis fuit ad excitandum pietatis sensum in animis, supplicatio Anastatica, quæ ab Collegij æde processit ad ornatissimum Domus templum: obscuro adhuc cœptæ lucis: sed tot funalia noctem flammis vincebant, longo ordine, tam crebri ignes coronabant vias inumbratas arboribus, vt coruscarent in morem Solis exorti. Missi priore anno Malucum duo, totidem ad arcem Mangaloris.

galoris. cum classe vtroque anno in singulis expeditionibus bini. Et constitit fructus inter milites maior: quod & tē pus longius (semel annuum fuit) et necessitas, quæ facit homines religiosiores, propior extremæ. Ducenti baptizati ex hostibus captis bello.

COLLEGIVM. SANCTI. PAVLI

RERVM in hoc Collegio gestarum, quod socij habitarunt octoginta septem (ijs, quæ pertinent ad litterarum studia, omissis) maximam partem rapit Pater Christianorum. Pater Christianorum dicitur ab his gentibus, qui præest rei Christianæ promouendæ. Hic namque & Christianos iam factos fouet, & omnem dat operam, vt ad Christum alij aggregentur: ea caritate, vt vel ab ipsis Ethnicis diligatur, collataq. spōte eleemosyna in bonis operibus adiuuetur. Vnus quidem eorum opulentus & nobilis, præaltam Crucem e tigno, quod domi habebat, fieri iussit, eāq. Patri misit, a quo intelligebat hoc agi. Et statuta est in via suburbana, sacra cum cærimonia, omni fere Christianorum turba ad orandum & spectandum effusa. Idem Pater custodias adit publicas, vinctos iuuat, expedit interdum ære alieno, vt soluantur. eum enim Prorex cum vinctorū audit causas, vult interesse: itaque aliquando octoginta dimissi. Idem, hoc biennio, quo est fame laboratum, sustentauit multorum inopiam. Hoc spectaculum, Ethnicis magnum ad conuersionem incitamētum. Multi vtroque anno quā maximo apparatu celebrati Baptismi. in quibus non

raro aliquid admirabile. Quidam paulo post, nonnulli statim a Baptismo, expirarũt. alij quos a recta fide abducere moliebantur, ad eamdem ab ijs adducti. Baptismo lustrati aliquot Brachmanes (ij apud Indos magistri superstitionum) cum filijs & vxoribus. Ipsæ interdum mulieres inscijs viris sese liberosq. ad Baptismum obtulerunt. celeberrimus Baptismus adolescentis ex antiquissima stirpe Regũ Balagatæ. Is est eius nepos, ad quẽ Idalcani Regnũ pertinebat. susceptus a Prorege, qui & cognomen ei gentilicium dedit. est igitur Ioannes Menesius. post Baptisma magno equitum agmine, equo insidens adductus in Collegium. vbi lautum ei epulum, Iaponijsq. Regulis datum. Hoc etiam ab eodem Patre repertum non paucis lucrandis. Fames erat in hac ora, inopia quæstus, & penuria alimentorum: ita Ethnicorum multi, filios, aut etiam se, paucula mercede vendebant. Egit Christianorum Pater cum Prorege, vt venalitij emi tantum a Christianis possent: qui empti ab Ethnicis, modo Christiani fierent (id enim iamdiu cautum est Regio decreto) libertate donarentur. Hoc Patris ingenium permultis saluti fuit. Ex hoc Collegio tredecim in varias expeditiones dimissi.

DOMVS. PROBATIONIS. GOAna, & Collegium Salsetanum.

PROBATIONIS Domus Goana (in qua nunc e nostris quadraginta quattuor, atque ex ijs Nouitij triginta quinque) etiamsi a Collegio separata,

parata, onerabat tamẽ Collegium annuo censu: cum vtrique Domicilio satisfieri non posset. Sed tandem posteriore anno Dei prouidentia quiddam obtulit, quod nostros ea cura liberauit. Hac de re quam verissime expediam, si pauca repetiero ab huiusmodi narratione nõ absurda. Quinque illi pagi Salsetanæ oræ, qui rebellantes superioribus annis, fideiq. infensi, interemerunt quinque e nostris: super ceteras pœnas, quibus merito affecti, priuati sunt proprio regimine, & duobus Lusitanis viris illustribus a Prorege assignati: tres Petro Castrio: reliqui Ioanni a Silua. Post tertium annum Castrius Lusitaniam cogitat. transferenda igitur in alium pagorum possessio. cũ hoc accepisset Pater Visitator, nõ prætermittendam occasionem ratus (est enim Castrius noster perfamiliaris) exponit illi necessitatem Probationis Domus, onusq. Collegij: orat (quandoquidem sunt pagi relinquendi) suscipiat hanc cogitationem, eos ne præstet ad Dei famulorum vsum referre, an vendere alijs pretio quocumque. Videbatur ea res Castrio habere deliberationẽ, nec facile explicari posse: itaque distulit. Interea Nouitij, Visitatoris admonitu, precibus insistere, orare Sanctos Christi Martyres, qui nuper in illis pagis profuderant vitã, vt rem suscipiant, cuius successus ita vtilis conuersioni populorum. preces auditæ maiorem Dei gloriam quærentium. nam et Castrius liberam possessionem nobis omnẽ donauit: et consecutus Salsetanorum qui requirebatur, assensus: Prorege ipso, omnibusq. Magistratibus nostra causa adlaborantibus.

COLLEGIVM Salsetanum haud procul ab vrbe Goa diuisum in Sedes sex, socios habet quattuordecim: ex his sacerdotes decem: qui curias siue Ecclesias curant nouem, & præbent Sacramenta populo nuper edocto. Quo autem in dies religio amplior, & illustrior: hoc ædes plures, ope nouorũ Christianorum, siue a fundamentis excitantur, siue eæ, quæ sunt, vt frequentem capiant multitudinem & alliciant, laxantur magis ornanturque, vtilitatẽ dignitate consequente. Igitur Raccholi vbi Collegiũ & regimen in sedes, Sacrarium ædificatum: absolutum Sacellum, quod extollebatur in templo: domui denique, vbi nostris esse liceat commodius, quæ trienio ante inchoata, fastigium impositum. In duabus etiã sedibus cũ angustiora essent tẽpla, alia non paulo capaciora opportuniore loco extructa. tertiũ adhuc alibi inceptũ. Margani, vbi nostri, post belli incendiũ, quod paucis ante annis domũ vastauerat, in cõmodatis ædibus habitabant, facta cubicula aliquot cum aula accõmoda cõmorationi nostrorũ: quibus insula in flumine e regione Collegij ab optimatibus data: vnde annuus census. Sed et in sede cui nomẽ a sãcto Thoma, tãto animorũ studio properata ædes, vt fere steterit intra annũ. ita facto fuit opus, cũ quinq. oppida in proximo ad Christũ accesserint. iã enim sanguine fortasse Martyrũ emollita pectora se facilius tractari patiũtur: sic vt semel vno die duorum oppidorũ sit facta conuersio. Et incitãtur interdũ aliqui ex occulto stimulis, quos ab euẽtu agnoscas a Deo fuisse. Magna aũt cõuersorũ pietas, quã aperte, vt diximus

in

in ædificatione & restitutione templorum ostendunt: cum pecuniam operamq. non inuitati conferunt, vt celeriter absoluantur. nec vero facile dictu, quantum acceßerit commodi ad rem Christianã dono Castrij. Nempe tres illi pagi receptacula nuper latronum, & idola colentium, propter proximum effugium, cũ angusto tãtum amne ab Idalcano diuidãtur, nunc, veluti claustra Salsetanæ peninsulæ, præsidia videntur esse reliquorum. ita Neophyti tutiores, Catechumeni firmiores: qui vtrique a nostris certis in Seminarijs instituuntur: et facilior conuersio multorum. His duobus annis sacro abluti Baptismate mille centum quadraginta. Reliqua communia.

COCINENSE. COLLEGIVM

MVLTA simul cõplectimur: Cocinense Collegium, & Sedes, quæ a Collegio reguntur. si quid erit singulare, unicuique reddetur. In hoc Collegio socij viginti duo, sacerdotes ex horum numero tredecim. Et Collegium quidem templumq. nuper instituta: nec, quæ nostra est opum tenuitas, nostro ære promoueri possunt. Sed iniecit sæpe voluntatem Deus hominibus, vt ad perficiendum opus, de facultatibus suis aliquid impertiãt. etsi nos quoque, ingruente fame, super Catechumenos, aliquot alios nostris copiolis aluimus. Lusitanis, qui hic sunt, noster vtilis labor: quo maior ijs quotidie ad pietatem accessio. Factæ æris restitutiones, admirabiles Ethnicis visæ: et tanto maior consecuta existimatio religionis

Christianæ: ad quam multi vtroque anno accessere. in his e Regio olim genere Naires duo: qui nunc se tandem post mysticum partum, aiunt miris solicitudinum aculeis, quibus animo compungebantur, fuisse liberatos. Vnus quidam extrema ætate, vt exijt e baptizantis manibus, ante eius pedes animam efflauit. Cum damone est acerrima pugna. Sacrarũ enim vi precationum non ab animis tantum, sed et a corporibus eijcitur. Quin etiam (vt sæpe pro locorum superstitione vocatur a veneficis ad expellendos morbos) si interueniat forte his cantionibus Christianus, nullam vim habet veneficium, & diabolus Magorum recusat imperium. Ceterum Sedes duæ, quibus Cocinense Collegium moderatur, sunt inter oppida Ethnicorum, e quibus nonnulli perducuntur ad fidem. Eorum Rex ita nostros non odit, vt eos humanissime complectatur.

VAIPICOTAE Sedes est priscos inter Christianos, qui se a Sancto Thoma appellant. ij sunt amplius centies mille. in ea Sede quattuor e nostris. et bene ponitur labor. nec ignarum id Regi Catholico, qui eam rem Patri Visitatori per litteras commendauit. Multa in illa gente obsoleuere propter vetustatem: plura inualuere propter imperitiam. Sacerdos vnus e nostris percallens linguæ Chaldaicæ, complura in eorum sacrificulorum (Cassanaires appellant) Ritualibus inuenit a Catholica fide dissidentia. Nestoriũ magistrũ illum impietatis in Sanctorũ numero habebant. eius alumnos disciplinæ tamquam cælo receptos venerabantur. ostensus est illis error: et libri purgati.

Purgati. Confessiones auditæ non paucæ: et sæpe (quod maiorem affirmat hominum pietatem) per interpretes aperta est pueris schola doctrinæ Christianæ: ad quam, eorum vnus graui correptus morbo, cum chartam, quam sacris inscriptam verbis eius rogatu miserat noster, subnexuisset collo, altero die valens accessit. eodem remedio Ethnicus inueteratam inualetudinem abegit. Ab his initijs inchoatũ Seminarium puerorum, adiuante opus Prorege, & gratantibus indigenis, qui liberos suos nostræ disciplinæ committunt. Aedes nostra eiusdem Proregis humanitate aliquod capit incrementum. Parauarum Dynastia (hi sunt populi Vaipicotæ contermini) trecentos aureos, & elephantum misit, reficiendæ nostræ Domui, quam tribus ante annis in bello incenderat. Qui adolescentes instituuntur a nostris, mira sunt apud omnes existimatione. Regulus quidem Porcæ (Porca uicinum est oppidum) vni eorum magnum habuit honorem: et multis admirantibus, eum dixit a se habitum illi, propter nostrorum disciplinam. Celebrata supplicatio, in eaq. prælata Crux (vbi sacrosanctæ reliquiæ) sollemni pompa: et exhibitum spectaculũ sanctissimæ Crucis Heraclio ab Cosdroa redditæ, incredibili approbatione. et spes est, vt eo annuente, qui dispersos colligit, pernicioſum schisma aliquando tollatur.

IN EO TERRARVM tractu, qui est a Cocino ad Porcam, duo sunt templa (nunc additũ est tertium) ijs præsunt sacerdotes duo nostri: magno cũ labore, nec minore cum periculo. Quippe inter medios

dios Ethnicos non ita facile conuertuntur animæ(posteriore quidem anno paulo plures ducentis) et difficilius retinentur. Aegroto cuidam, quem ad confitendum peccata facultas magis defecerat, quam voluntas, cum hortante sacerdote fudisset ad Deum preces circumsistens familia, vox rediit: mors deinde veluti suspensa, Diuino beneficio, non ante vitam abstulit, quam confessio esset finita. Viri quatuor, qui concubinas, vt dimitterent flecti non poterant oratione sacerdotis: vbi ille in eorum conspectu, id vt impetraret a Deo sese acriter flagello verberauit, fecerunt quod rogabantur. Efficacior nempe visus verberum sponte corpori inflictorũ, quam verborum vtcumque iactorum sonus: et Christiana caritas euidentibus factis, quam strepentibus dictis illustrior.

COVLANA. DOMVS. ET. ORA Trauancoris.

HAC IN DOMO, & alias tributi per Sedes in Malabarica regione, habitant nostri duodetriginta, studioq. adiuuandi proximos operã addunt. ad sacrũ lauacrum accessere ducenti septuagintà. Templum præterea conditum in oppido, quod Coulano abest millibus tribus.

IN ORA TRAVANCORIS sacerdotes quattuor, quibus multorum mortalium cura commissa. Baptismi Sacramento expiati quadringenti quadraginta. et ad Neophytos tuendos aduersus Dynastarum

rum impotentiam, suscipiendus interdū labor. Adiuuat gratia, qua nostrorum vnus valet apud Regem totius regionis. Sed & hic Maumetes spargebat venenum: & aliquos infecerat, qui de fano extruendo permissu Regis cogitabant. Oppressa semina tam exitiabilis superstitionis, tum nostrorum consilio, tum maxime Dei miraculo. Qui primi ex impio ritu sē iunxerant matrimonio, cum virum vidissent, candenti, vt dicebant, veste, vectum equo, horribili specie, metu mortui. et repentinum horum exitium salutare multorum fuit exemplum. Qui nutabant cōstabiliti in fide: alij erecti.

INPISCARIO littore duodecim sacerdotes. Laicus vnus. Domicilia sex. Præcipuum in insula Manar: vbi perpetuo terni. Christianorum quadraginta tria millia. templa per diuersa loca viginti sex. nec facile tam multis satisfieri tam exiguo numero potest. Mirabilis hominum religio. Aptissimam putant coercitionem esse peccati, confessionem. Gens prona ad eleemosynam. proxime obtulerunt pauperibus aureos ter mille & quingentos: collato ære quadraginta virgines collocarunt: duorumq. valetudinariorum quæ sunt in hoc littore, vsui, & rebus, ne quid desit, omni ratione subsidium parant.

TITVCORIMI nuper nostrorum consilio, & auxilio Pantagatinorum (ij sunt capita regionis) inceptum Seminarium indigenarum adolescentium, qui se Clericos fore profitentur (ij iam plures triginta) magnos progressus habet. Ceterum Baptismata aliquot sollemni ritu habita: præsertim in Manar insula,

sula, tutiore ab aduersarijs recessu. baptizati septingenti. qui etiam humanis opibus fuere adiuuandi. His annis duobus, super infantes, mille septingenti: omnes ita gaudentes religione suscepta, vt ciusdem non modo lætitiæ, sed etiam rei suos fecerint participes. Horum aliquibus Deus tribuit illud beneficiũ, vt qui ipsos venerant peruersum, conuerterentur.

SEDI BEATI THOMAE, vbi tres e nostris, additum alterum templum. Ibi ad Christum se adiunxere priore anno quinquaginta.

COLLEGIVM. MALACENSE

Sedes Malucensis: Iaponiorum Domicilia aliquot, & Sinarum.

MALACENSE Collegium habent cum tribus Laicis sacerdotes tres. Malucensem Sedem multiplicem sacerdotes octo, cum Laicis duobus. In Malacensi expeditum templum, & collata ad rem sacram lauta supellex non pauca. ea res decorem vrbi attulit. Aucta quoque aliquo vectigali res domestica.

AD MALVCAS INSVLAS anno priore missu Patris Visitatoris ierũt duo: posteriore sacerdotes tres cum socio, vt in quattuor sedibus labo rem partirentur. earum duæ in ora Malucarum. in regione Amboini a Malucis & Tridore tercentum fere millibus alteræ. Vtile id genti, cui iam plures Sacrorum administri: ipsis administris iucundum, quorum paucitas prior defatigationi propior erat.

IN

IN AMBOINI tractu, litteræ venere, esse iam Christianorum oppida sex & triginta. in Malucis & Selebribus amplius quadraginta. ea cum inuiserentur, reperti in duobus plures cum pellicibus: quas postea, de indignitate edocti, iustis sibi nuptijs vxores fecere. et restituta disciplina. in vno salutari aqua tincti nongenti: e quibus fere sexcenti quartum annũ egressi: in altero octodecim cum Baptismo ceßerunt e vita. Messis vbertate, lætior fit labor operarum.

DE IAPONIIS rebus hæc accepimus. Apud XIMAS, in illis terris, quæ ab Arimẽsi Rege, post Tacanoui mortem, receptæ, dederunt Christo nomen primores Regni quatercentum. Horum exemplum, nisi quid aliud acciderit (hoc dictum propter prælia Iaponijs sueta) ducenta millia secutura videbantur.

BVNGI, etsi contra nitente Rege Filio, alijsq. Principibus, Ecclesia quotidie amplior. vincit enim auctoritas, & prudentia Regis Patris, cuius omnia cõsilia illuc vergunt. Per eum spes est, vt FVNAII via vna, quæ est Collegium iuxta, perueniat ad Christum. Iamq. in ea Crux conspicitur erecta.

NEC MEACVM caret fructu. e Faxibæ cohorte, qui amplissimum Nabunangæ imperium obtinet, quattuor viri nobiles Christum accepere. fauet autem Faxibas nostrorum studijs, & soboli Christianorum. Iusti Vconduni res promouet, & honori studet. ei concessit oppida quædam in initio regnandi. In his amplius millia quindecim præparabantur ad Baptismum. ædificat propterea nostris domum, & templum:

plum: eorumq. postulat numerum augeri. Missi aliquando vna decem: submissi alij: nec adhuc satis. Idē tertium Bungi Seminarium faciendum, alia duo cumulanda, vt in singulis alantur minimum octogeni, Domicilia nobis, quæ iam sunt quattuor & viginti, multiplicanda curat. Ceterum Tyrocinium nostrum Vsuquiense augescit virorum flore, & robore virtutum. Etiam tunc, cum ea scribebantur, quindecim habiles Societatis muneribus, ad eam se adiungere cupiebant. Et sane par est augeri laborantium numerum, vbi crescit materia laboris.

RES SINENSIS hoc erat in statu. Ad duos sacerdotes, qui olim Xauchini (ea est vrbs magni nominis) procerum permissu sedem fixerant, ijsdem non abnuentibus, accessere alij duo. Cum consultarēt quid agendum, captum consilium incepto prudens, tutum euentu. Penetrare placuit in aliam Regni partem, vt pluribus præsidijs muniretur commoratio. et opportune factum, vt Mandarinus ille (nomen est publici Magistratus) per quē prior impetratus ingressus, iam Namquinus, dignatione aucta, in aliam prouinciam mitteretur. Eius igitur amicitia & auctoritate vsi Michael Rogerius, & Antonius Almeida, alio se contulerunt, Duarte Sandio, & Matthæo Ricio Xauchini relictis. Igitur Sinis stationes duæ. et cogitabatur de tertia. At Pater Visitator prudēs moderādi, statuit bonis consilijs, quæ mora valescunt, spatium dare: ne violentia expectationem præcipitet. Et res ipsa docuit, apud Mandarinorum nationem natura

suspi-

suspicacem, festinatione atque auiditate præpediri cõsilia sapientiorum: et quæ accipi possunt, non esse rapienda. Xauchini autem hactenus Christiani viginti: candidati plures. Spe quidem, ea quæ scribuntur, quã re maiora. Sed rei etiam ipsius, vt parua fere principia omnia, pœnitere non debet. Diu enim moliendum, quod stabilius esse debet, & effici celerius.

EXPOSVI, Patres Fratresq. carissimi, vt potui, vix intra decimum mensem, in cõcursu plurimarũ occupationum narrationem rerum, quæ biennij spatio, aut a uobis ortæ, aut non sine vobis. operosum sane opus, & spissum, et quod desideraßet (vt alias) biennem operam vacui hominis, & hoc vnum agentis. Quod si ego me obtulissem, siue oblatum onus sine cunctatione recepissem fiducia virium: fuisset furor. nunc amor obsequij persuasit, vt quoniam subterfugere non poteram quod imponebatur, plus etiã susciperem, quam poßem. Id tam cito perduxi ad finem, tum more hominum, quibus natura insitum propere sequi, quæ piget inchoare: tum quod satis diu litteræ annuæ tacuisse videbantur. Et longius processit magnitudo voluminis. sed ex ijs, opinor, quæ audistis, intelligitis, non me longum, qui scripsi, sed res, de quibus scripsi, multas fuisse. Plura fuerunt impolita, & obscura. sed quid mirum, cũ ea ipsa, quæ exaraui, non dico limare, sed vix potuerim semel recognoscere? Ceterum, quam celeriter hæc scripserim, vidit Collegium Romanum, quam inornate, iam scitis omnes: vt quem interdum incepti prope pœnitebat, nunc pudeat facti: propterea æquius est, cum cognoscatis cau

sam,

ſam, oranti veniam, ignoſcere, & maiora Societati in dies Deo tribuente, meliora ab aliis expectare. Romæ. Ex Collegio Romano. VIII. Idus Nouembres. M. D. LXXXIX

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE NAVARRA

Omnium in Chriſto ſeruus

Franciſcus Bencius.